



(10)


Theatru
Amor.
Spes.
Desi-
deri-
um.
Auda-
cia.
Lætitia.



Ira
Timor
Fuga
Despe-
ratio.
Odi-
um.
Tristi-
tia.



THEATRUM PASSIONUM ANIMÆ

APERTUM

IN CÆSAREO-ARCHIDUCALI UNIVERSITATE OENIPONTANA

AUCTORE, & PRÆSIDE

P. LEOPOLDO NEI-STYFTER SOC. JESU,

Philoſophiæ Profeſſore Ordinario,

& nunc

DECANO,

ACTORE, & DEFENDENTE

Prænob. D. ALEXANDRO ANTONIO GISLIMBERTI,

Tridentino, A.A. L.L. ac Philoſ. Magiſtro.

Anno 1721. Menſe Julio.

OENIPONTI,

Typis Mich. Ant. Wagner, Cæſ. Aul. Typogr.

EXCELLENTISSIMO
ET
ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO
JOANNI BERNARDO COMITI KINIGL,

Libero Baroni in Ehrnburg, & Warth,

Dapifero Hæreditario Comitatûs Tyroleos,

SAC. CÆS. REGIÆq; CATH. MAJEST.

CONSILIARIO INTIMO ACTUALI,

CAMERARIO, & EXCELSÆ CAMERÆ SUPER. AUSTRIÆ

PRÆSIDI,

Domino Oppignoratitio Dynaſtiarum Welſperg, Michaëlſpurg, & Præfecturæ Stubacenſis &c.

Domino, Domino, ac Patrono Gratioſiſsimo

Felicitatem.





Assiones fert disquisitio ista: patere ILLUSTRISSIME, Et EXCELLENTISSIME COMES animalia hæc nativo pædore squalentia in Augustum TUUM irrepere palatium, ut sese tota TUIS honoribus, TUIS obsequiis consecrent. Ob ambitiose tentatum aditum in Magnam Domum, tantò magis fulgentem, quantò magis majorum imaginibus cerísque fumosam, promereri veniam se credunt, quòd tam publicis, quàm privatis impellantur nominibus. Non adduco publica argumenta, quæ jubent omnibus animi AFFECTIBUS submissè venerari CÆSAREÆ CAMERÆ PRÆSIDEM Dignissimum. Norunt singuli, TE laborare pro Tyroli piè, & sanctè, pro Augustissimo sollicitè, ac prudenter, pro communi incolumitate TE verè Patriæ impendere PATREM. Merentur hæc

non

non paucas pagellas, ſed juſta volumina plena TUI, TEque unum referentia: non tamen eadem perſequor, quia TE nolle arbitror.

Quod opus hoc tenue advexit, eſt nova Dignitas, ac Felicitas, ad quam nuperrimè TE elatum à Romanorum IMPERATORE intellexi. Vicina ex domo conſpexi exaltato ab Aquila REGULO omnium ordinum gratulantium motus, ac erumpentium animorum in plauſus ſtudium, quòd à Sac. Cæſ. Majeſt in Actualem CONSILIARIUM Intimum auſpicatiſſimè electus fueris. Publica hæc gaudia abripuerunt ſecum Dedicationem hujus Opellæ, ut omnium ordine TIBI gratularetur noviſſimè à Supremo in terris MONARCHA collata decora, abundè oſtendentia, quanto in ejus animo eſſes locô. Omnes igitur AFFECTUS ex præcordiis prorumpunt, TIBIque gratulantur inexſplicabili jubilo Celſiſſimos honores omni jure jam dudum promeritos. Et utinam vocales ſatìs eſſent, & publica ſatìs profeſſione Tuas, & multas, & magnas prærogativas deprædicare poſſent! tunc foret, cur non tam TIBI, quàm ſibi gratularentur paſſiones animi.

Privatæ etiam rationes non erant ſtudioſa indagatione conquirendæ, quæ perſuaderent conatum meum TIBI devoveri. Ut audeam Excellentiæ Nominis TUI inſcribere Philoſophiam meam, eſt ipſum Nomen TUUM. Quo enim deferantur animi paſſionès, niſi ad illum.

illum; qui nomine, & re verè est BERNARDUS? dicuntur pathemata esse monstra, quæ vincere multis difficilius accidit, quàm ferocissimos domare leones. Motus primò primi illorum tam celeres sunt, tam violenti, ut nec humanâ prudentiâ prævideri, nec inhiberi possint. A TUA melliflua suavitate oportet, ut lucem impetrent, qua illuminetur eorum cæcitas, prudentiam, qua gubernetur propria inconstantia, & fortitudinem, qua debelletur earum crudelis seditio. Veneramur enim in TE has animi commotiones sine defectibus, turbines hos in perpetua malacia, & non minùs raro, quàm Illustri prodigio hostes istos humanæ rationis ita potestati TUÆ obedientes, ut ad omnem motum exspectent TUUM nutum, ac si ipsæ etiam forent mente præditæ. In TE solo spectare licet THEATRUM PASSIONUM, ubi nec minimus ventus spirat sine rationis imperio, ubi humani affectus videntur exuisse naturam, ac mirabili metamorphosi in meras commigrâsse virtutes. Et hôc passionum frænô TE adeò Cæsaris voluntatem TIBI devinxisse multi non vanè autumant. Si quis tamen assultus passionis cor TUUM aggreditur, non insurgit ille, nisi pro vario patriæ statu. Congaudes bonis illius successibus, minùs prosperis affligeris, & malis ipsi imminentibus condoles. Has autem inquietudines condemnare audeat, qui patriæ hostis appellari cupit.

Quid

Quid igitur in obſequium horum mirabilium agam? niſi ut TIBI dedicem hanc de paſſionibus lucubratiunculam? quam minorem venerationem exhibere ſummæ TUÆ Dignitati, quàm ut publicè proclamem, TE verè eſſe illum, qui cæteros inſtruere poſſis, quomodo paſſionibus utendum, & eorum venenum in Antidotum convertendum. Suſcipe igitur AFFECTUS hosce meos, quos in manus aſſumere jam juſti pretii uſura erit, magnúmque videbitur, ſi dixeris, placet AFFECTUS illius, qui totus eſt.

Excellentiſſimæ & Illuſtriſſimæ
Dominationis Tuæ


Humillimus, & obſequentiſſimus Cliens

ALEXANDER ANTONIUS GISLIMBERTI Tridentinus.

Approbatio Theologica.

OMni Rege major eſt, qui ſe indomitóſque animi affectus ritè novit regere. Artem hanc regiam egregiè docet & illuſtrat præſens ab Auctore, & à Propugnatore ſuo ſplendida & Illuſtris, à Patrcno autem ſuo Illuſtriſsima & Excellentiſsima Lucubratio, quippe quem hæc ipſa non jam Regulum, ſed Regem in hoc maximum eſſe probat & demonſtrat. Quis proin hanc neget digniſsimam eſſe, quæ in ſplendoribus genita lucem publicam aſpiciat, & ſub Excellentiſsimo, Illuſtriſsimo, & per communem influxum omnibus benefico ſidere ſervet perennem?

FRANCISCUS GAUN S. J.
SS. Theol. Prof. & nunc
Decanus.



Approbatio Philoſophica.

THeatrum hoc ex paſsionibus animi conſtructum, ac orbi litterato conſiderandum propoſitum, tam ordinata methodo, doctrinæ ſoliditate, ac eruditionis copia diſtinctum eſt, ut omnes, qui ſeſe nôſſe cupiunt, & actores, & ſpectatores in eo eſſe, geſtire debeant. Quare digniſsimum judico, quòd pro omnium utilitate, ac primi actoris, nempe Prænobilis & Doctiſsimi D. Defendentis Gloria in luce publica ſtatuatur.

JOSEPHUS SCHREIER S. J.
Philoſ. Profeſſ. Ord. locò
Decani.

Elenchus ſequentium diſſertationum.

In parte prima.

In parte ſecunda.





PARS I.

De paſſionibus animæ in genere.

DISSERTATIO I.

De paſſionum animæ natura, earúmque affinitate, & differentia ab operationibus voluntatis.

§. I.

De natura paſsionum.



NE inprimis ſtatim litterarum apicibus cum importuno quodam interpellatore colluctandum ſit de vocabulis, ideo ſub qua ſignificatione paſſionem uſurpemus cenſemus præmonendum. Non ſumimus in his paginis illam latiſſimè, prout quælibet actio paſſio eſſe frequentiſſimè defenditur ab ijs, qui parco naturæ genio ſe ſe accomodantes horrent entitates multiplicare ſine urgente neceſſitate: non accipimus paſſionem pro qualibet receptione, tametſi nihil eorum expellatur, quæ priùs ſubjecto inerant, conformiter illius inclinationi, atque ita anima recipit aliquid de novo, ut nihil præterea amittat de bono ſibi connaturali, quo ſenſu Ariſtoteli 3. de anima t. 12. *Intelligere eſt quoddam pati.* Quâ etiam ratione aër patitur, cùm ſolis radijs illuſtratur, & divina pati dicuntur, qui cum Apoſtolo ecſtaſi abrepti etiam poſt quatuordecim annorum Spatium adhuc recordantur, arcana ſe verba audiviſſe, quæ non licet homini loqui. Neque ſignificat nobis paſſio quamlibet rei receptionem connexam

cum remotione alicujus præexistentis in passo, quando hoc non est perfectivum ipsius passi, qua ratione aqua patitur, cùm refrigeratur. Sermo nobis in his assertionibus erit de hac passione, prout per eam denotatur receptio effectûs disconvenientis, conjuncta per se cum abjectione, ac destructione alicujus præexistentis in passo juxta naturæ leges & exigentiam, quo pacto verbi divini humana carne vestiti Deicidium, Sanctorum Martyrum torturæ corporum integritatem corrumpentes à plebe passio vocantur: qua ratione aqua pati dicitur, cùm præsente igne calorem recipere cogitur. Hujus igitur naturam jam exponere aggredimur. *Passio igitur est motus appetitus sensitivi ortus ex imaginatione boni vel mali sensiblis cum aliqua insolita corporis immutatione.* Hâc descriptione maximorum virorum placita in unum conciliantur. Hoc enim significat Aristotelica definitio 2. Rhetoric. cap. 1. ita habens: *Affectus sunt, quibus homines commoti differenter judicant.* Videtur quoad verbum desumpta ex D. Joanne Damasceno Lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 22. aiente: *Passio est motus virtutis appetitivæ sensiblis ob imaginationem boni, vel mali.* Et quid aliud sibi voluit D. Augustinus Lib. 9. de civit. Dei, cap. 4. quàm id, quod nos asserimus, dum ita loquitur? *motus animæ, quos Græci pathi appellant, ex Latinis quidam, ut Cicero 3. Tuscul. perturbationes dixerunt, alij affectiones, alij affectus, alij expressiùs passiones vocaverunt.* Denique non alium, nisi nostrum sensum præsefert D. Gregorius Nyssenus disput. de resurr. & anima cum sorore Macrina ante medium his verbis: *Pathi, id est affectus, passiones, sive perturbationes, & motus animi, certô quôdam usu voluntatis, & arbitrij, vel virtutis vel vitij sunt instrumenta.* Sed ut apertiùs ista pateant, singula descriptionis membra partitè expendo.

Ante omnia igitur exsibilandi sunt Stoici, qui affectus nostros corpora quædam, & animalia esse dixerunt. Id, quod de ipsis quoque pathematis corporis ad deliria est referendum, ad affectus item voluntatis, & actus intellectûs, ac harum facultatum habitus transtulerunt, ac virtutum chorum, ac scientiarum ideas nobilissimas in corporum, & animalium classem ignobilissimam redegerunt. Argumenta ad pudendi hujus & fatui placiti confirmationem, quæ Seneca epist 106. annotavit, sunt prorsus futilia. Ita enim Stoicorum secta ad probandum, affectus esse corporea animalia, argumentatur: ira, amor, tristitia, vultum nobis immutant, modò frontem adstringunt, modò faciem diffundunt, jam ruborem evocant, jam fugant Sanguinem. Quid ergo? an dubitandum, passiones esse corpora? tam manifestas corpori notas

cre-

credis ab aliquo posse imprimi, nisi à corpore? præterea mutationes istæ in corpore causari non possunt, nisi corpus tangant: quanta autem vis propensionum, ut impellant, ut cogant, ut retineant! nónne timor retinet? nónne audacia impellit? nónne gaudium extollit? ergo vim corpori inferunt. Quidquid autem tangit corpus, corpus esse oportet juxta Lucretij Philosophiam:

Tangere, vel tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Sunt igitur affectus corpora, sunt animalia appensa animali ratione prædito, sunt adulterinæ hujus spiritus appendices, sunt lupi, simiæ, leones, ursi, utpote quorum opera, factáque imitantur. Apage monstrosam istam fabulositatem; cessa, humanum animum in stabulum transformare. Non est humanus animus hydræ species multa habentis capita, quorum unum quodque per se pugnet, per se noceat: non est chimœra, seu animal ex leone, & Dracone colligatum. At, inquis, agit passio, impetum habet: igitur animal est, do tibi, suum passiones impetum habere; at suum proprium non habent; ex animo ille oritur, & ob contactum corporis, connexionémque in illum derivatur. Si Stoicorum stultitia reciperetur, non tantùm passiones, sed etiam virtutes, & vitia animalia essent; quia eadem nobis indicia præstabunt. An nunquam attendisti, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quam modestam quietem reverentia? quantum rigorem severitas? igitúrne virtutes erunt corpora? igitur si ex injusto aliquis fit justus, ex temperanti intemperans, ex forti imbellis, non perseverabit esse animal, quod primò esse cœpit; in aliud transire licebit. Ultrà res ista procedet: omnes scientiæ, omnes cogitationes erunt animalia, quod non nisi delirans recipiet animus. Manet ergo solum animum in varias figuras converti, non esse toties aliud animal, quoties aliud facit; nec illud, quod ab animo fit, inter animalia esse numerandum.

Motûs nomenclaturam primò dedi passioni; quia anima intuendo bonum, & malum, ut objecta sibi propria huc, illuc transfertur vel à vero, vel etiam subinde tantùm ab apparente in rebus, quas admiratur. Incipit hic motus in sensibus externis, qui omnis cum vi quadam motrice conjunctus videtur; quæ enim sensum deliniunt, gratam, quæ offendunt molestam commotionem efficiunt, sícque voluptatem, & dolorem, quasi naturales affectus, toto corpore diffundunt. Tum verò voluptate quâdam pars externa affecta perfunditur, cùm facilè, & perfectè operatur, quia hic omnis appetitûs finis judicatur: ubi verò illa operatio impeditur, tum affectio molesta, & doloris nomine ple-

rumque donata subsequitur. Sic omnis continuitatis in corpore interruptio dolorem, ut restitutio in integrum voluptatem creat. Sic transitus à sono asperiore in leniorem jucunditatem inducit, quòd sensorium, seu organum auditûs demulceat, auferátque molestiam. Affectus isti sensuum externorum, scilicet doloris, & voluptatis, quique diffusi sunt per tactum toto corpore, pertinent ad appetitum naturalem, & cùm citra ullam cognitionem præviam excitentur, passiones propriè vocari non debent. Quia tamen objectorum impressiones per externos sensus ad interiorem traductæ notam aliquam boni, aut mali, commodi, aut incommodi secum ferunt adjunctam; ideo in appetitum animalem dicti metus dimanant, affectúsque interiores procreantur.

Secundò passio est motus potiùs *appetitûs*, quàm virtutis apprehensivæ tam imaginatricis, quàm intellectualis; neque iterum audienda est Stoicorum schola, quæ dolorem & gaudia, cæteràsque animæ propensiones esse solùm judicia quædam, & opiniones frivolè somniabat: v. g. dolorem esse opinionem præsentis mali, in quo demitti, contrahique animô justum videtur; metum opinionem impendentis infortunij, quod intolerabile judicatur.

Non aliô opus fuisset ad explodendam hanc fabulam, quàm ut Chrysippus Stoicorum princeps Phalaridis taurô inclusus fuisset ad sententiam suam comprobandam: certò momentô temporis crassus error unàcum fumo evanuisset. Fundamentum hujus rei est, quia actio potentiæ apprehensivæ tota absolvitur exprimendo simulacra ectypa objectorum, circa quæ versatur, & in his sistitur tanquam in termino suo ultimo. Igitur ex his operationum generibus per se non subsequitur transmutatio organi corporei, adeóque neque passio rigorosè accepta. Quòd si vel ob nimiam phantasiæ attentionem, nimiam intensionem, aut diuturniorem continuationem virtus apprehensiva detrimentum patiatur, aut ad corruptionem successivè organum disponatur, id habebit se tantùm per accidens, causæque erunt assignandæ, aut dissipatio, aut affluxus nimius spirituum, & aliorum humorum. Sic cum proportione res contingit in aliis potentijs ægrè post defatigationem operantibus; sic languorem conciliat diuturna lectio librorum, tum ex defectu spirituum, tum ex læsione organi proveniente à nimio spirituum affluxu, qui cùm sint temperamenti calidioris, facilè inflammationem organi inducunt. Propterea rubentes ex nimia lectione oculi, calor intensus capitis, & dolor, ac languor, seu fastidium ulterioris laboris. Econtra verò operatio potentiæ appetitivæ peragitur prosequendo, aut fugiendo objecta ipsi ab imaginatione proposita, ex quo nascitur motus in

corpo-

corpore requisitus ad obtinendum, vel ad objectum reijciendum. Ob hanc rationem appetitui sensitivo, tanquam supremo totius compositi œconomo, obtemperant ad amussim omnes aliæ vires in animali reperibiles, atque ab ipso moventur ad suas functiones in utilitatem totius ritè obeundas. Hanc autem obedientiam à suis subditis impetrare non poterit, nisi priùs moveat organum corporeum à natura destinatum ad actus appetitûs eliciendos: inducta verò semel agitatione immediata in organum proprium, facilè motum in reliquas corporis partes emanare conspiciet. Constat igitur rationem passionis tantùm à delirantibus in apprehensiva virtute quæsitam fuisse, cùm illa in sola appetitiva inveniri possit.

Tertiò quoque falluntur collocantes motus patheticos in appetitu rationali, qui eadem res est cum voluntate. Quamvis enim in voluntate ijdem actus circa bonum, aut malum sensibile exerceantur, quibus appetitum sensitivum infestari conquerimur, amoris scilicet, odij, desiderij, fugæ &c. motus tamen isti in altiori longè sphæra sunt constituti, quàm ut ignobili passionum turbæ se commisceri patiantur. Quemadmodum enim in Deo exulare debent omnes illi affectus, qui boni alicujus absentiam, aut egestatem indicant, vel supponunt, & removendum est, quidquid limitationem, aut defectum involvit, ita, ut sacri codices sermone tantùm ad nostram imbellicitatem accomodato, & non tam affectum eô tropô, quàm effectum significant, quando Deo interdum passiones v. g. erga bonos favorem, adversùs improbos ultionem, iram, zelum, indignationem, & quæ sunt affines loquendi formulæ, tribuunt; adeóque primus omnium motor necessariò immobilis est cogitandus: ita pariter anima secundùm se spectata expers censenda est omnis passionis strictè sumptæ. Testatur enim nobis experientia, tam sæpè tumultus hosce seditiosos antevertisse liberum voluntatis exercitium, ut sæpiùs imperium dominatricis hujus reginæ à pertinacissimo Passionum furore fuerit superatum. Quando verò facultas rationalis ab impulsibus externis libera se ipsam determinat ad amplectendum, aut aversandum, quod intellectus clarè percipit, tunc quasi regio solio insidens, quæcunque patitur, ita recipit, ut propterea nihil eorum deperdat, quæ sibi juxta naturæ ordinem pro permanente dote sunt attributa, potéstque tunc illo axiomate gloriari: Elephas non capit muscas. Hac de causa nemini mirum videri debet, quòd Philosophus tam sæpè in libris Physicorum animam immobilem esse scribat; operationes enim animæ à corpore separatim inspectæ, quibus vel absque ulla specie materiali, quæcunque objecta contemplatur, aut unam rem potiùs amplectitur,

ctitur, quàm alteram; hæ, inquam, operationes exercentur sine ullo ab organo corporeo influxu, ideoque nullo mutationis inquinamento maculantur, quo corpora ignobiliora redduntur; sed tantùm adjunguntur, quæ aliàs ipsius naturæ propriè congruunt. Scio, voluntatem posse imperiô quodam suavi & politicô, non tamen despotico imperare, aut funditùs tollere truculentiam passionum: patet nihilominus, & inferiùs magis declarabitur animam ad hoc uti solere appetitu sensitivo tanquam instrumento, qui frequentissimè instar belluæ indomitæ jussis refragatur æquissimis. Subsint ergo hæc animi pathemata jurisdictioni supremæ voluntatis; nunquam tamen, ut filij, pro patre agnoscent voluntatem. Non tamen diffiteor hujusmodi operationes in anima rationali tanquam sede immediata partialiter recipi; cogit enim veritas actionibus vitalibus substratum vitale assignare: respectu tamen illarum anima non se gerit, ut spiritus, sed materiæ larvâ obtecta incedit.

Quartò additur, ejusmodi passiones ortum suum ducere ex imaginatione boni, vel mali sensibilis. Scit nempè perbenè facultas imaginativa appetitum ab origine sua cœcum esse, non posse ferri in incognitum, & sicut repugnat audire sine auribus, velle sine voluntate, ita implicare sine boni cognitione amare: novit se arbitram in hoc regno tantùm posse imperare, quantùm proponit. Ideo calidissimæ lenæ instar ex omnium sensuum collibus corrogat pellaces rerum imagines, quibus plena appetitum aggreditur, eúmque tot stimulis urget, quot sunt incitamenta pulchritudinis, aut deformitatis, quas nudas postmodum animæ proponit. Appetitus sensitivus ex se ipsò adeò favet propriis inclinationibus, ut nulla sint, quam non benevolè sequatur. Quòd si insuper auxilium ipsi aliunde afferatur, movebit tempestatem, ut ventorum turbo decumanos excitat fluctus. Non opus est, ut bona aut mala, à virtute phantastica repræsentata, sint verè talia, qualia apparent appetitui; confidit iste nimis temerariè; credit omnes propositiones, quin eas priùs ad examen revocet; non videt in tot tenebris alijs facibus prælucentibus, nisi quas ipse præfert, totúmque se illius curæ committit. Si ipsæ scientiæ, quæ pro objecto veritatem sibi assumunt, ingeniosè nos fallunt, cùm inter ratiocinationes sæpè sophisticæ cavillationes detegantur; quid fallaciæ apud lumine orbatum appetitum obtinebunt phantasmata? certè vana & levia pro gravissimis, festucam pro palea ostendent; impellent ad currendum post objecta ostensa, si similitudinem solùm boni præseferant, ad fugienda illa, quæ apparente colore mali vestiuntur. Succinctè adstipulatur Epictetus hisce: *sæpiùs opinione, quàm re turbamur.* Cui nervosiùs adhuc accinit regius Psaltes psal. 38. *Verum*

rumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.

Ultimò denique subjungitur hæc clausula, quòd fiant ista tanto cum impetu, tanta cum violentia, ut necessariò in corpus inducatur insolita aliqua mutatio. Hoc adeò verùm est, ut si motus isti sapienter moderati forent, nec præter ordinariam viam excederent, passionis naturam non essent sortiti. Pone enim motionem quamlibet spirituum & sanguinis vocandam esse passionem; fieret ergo, ut citra passionem nihil homo velle posset, cùm nulla esse possit in hâc vita spiritualis affectio amoris, aut odij sine motu appetitûs sensibilis, & agitatione spirituum, quemadmodum nulla intellectio sine imaginatione: hoc autem est contra torrentem; cùm omnes supponant ut certum, fieri quædam ex passione, quædam sine illa, & quædam contra passionem irritantem. Præ aliis hoc advertit D. Damascenus locô superiùs laudatô. *Leves motus, atque hujusmodi, ut nullum sui sensum præbeant, nondum passionum nomen obtinent; magnitudinem enim, quæ alicujus momenti sit, habere debent.* Non incommodè res sic explicatur. Quemadmodum in maris motibus est alius auræ tenuis, alius concitatior, alius vehemens, quique horrida tempestate pontum à fundo cum incolis piscibus, & arenoso sabulo verrat: sic in animorum agitationibus quædam sunt leves, velut initia, quædam surgentis motûs, & propriè affectiones dici debent: sequuntur validiores, quibus concitationis, commotionis, aut passionis nomen rectè aptatur: denique superveniunt, quæ animum universum concutiunt, de rationis sede, & judicij statione depellunt, & verò vocum rigore perturbationes appellantur. Ratione naturali res satis luculenter sic ostenditur, quando effectus deprehenditur valdè remissus, etiam modica subsequitur transmutatio corporis; hinc citò unusquisque ad genium redire solet, & tale sibi conveniens temperamentum recuperare, ut nihil detrimenti passus esse videatur: malè ergo talis motus inter passiones civitate donatur.

Quòd si tamen per decursum affectus, quantumcunque tenuis non deponatur. Sed diutiùs perduret, aut repetatur sæpiusculè non interpositis diversis aliis pathematis, & non directè contrariis, succrescet necessariò perturbatio, & quæ ab initio nullatenus, aut vix inter passiones numerabatur, per decursum, & rem & nomen sibi vindicabit. Connaturale enim est cuicunque affectui, ut invehat in organum corporeum humorum temperamentum & dispositionem sibi optimè faventem, eámque semper augeat, ut rivuli majora flumina, de quibus ille cecinit:

Nasci-

Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo;
Quáque venit multas accipit amnis aquas.

ex quo rursus perturbatio præexistens majores vires assumet, & sic mixtura temperamenti per conditionem affectûs, natura autem affectus per complexionem temperamenti sese mutui juvabunt, & continua augmenti hinc inde vicissitudine insurgent. Quis ergo obstupescat, multos ob hanc causam quàm plurimum nocumenti passos fuisse, qui diutiùs pertinaciter alicui cogitationi tristi aut hilari inhæserunt, atque affectui semel hausto sine fine indulserunt? quis miretur, non nullos etiam incidisse in amentiæ barathrum, destructo irreparabiliter organi temperamento: tametsi passio in sua origine surrexerit ex levissima vena? Motus autem iste insolitus corporis observatur primariò in humoribus, scilicet in sanguine, & spiritibus, qui tum in venis, tum arterijs, tum nervis animalis contenti in ijs, tanquam in canalibus à natura destinatis, huc illuc discurrunt. Non loquor hîc de sanguinis pericyclosi, vel circuitu, quo fortè nihil illustriùs detexit sæculi elapsi solertia, quamque se anno 1638. in Gallijs docuisse perhibet Honoratus Fabri; de hoc, inquam circuitu hîc non loquor: sed de multiplici illo sanguinis motu mihi sermo est, quem diversæ passiones ciere solent. Sic aliquando sanguis exteriorem superficiem deserit; hinc pallor, tremor, frigus: non nunquam, eò ubertim affluit; hinc rubor, ardor, oculorum splendor, quæ variæ motuum rationes suis locis singulatim sint discutiendæ. Et verò ruboris accessio quid aliud, nisi sanguinis appulsum? pallor verò ejusdem subductionem dicere potest? Neutrum autem sine motu contingere posse, est palam. Imò ita non nunquam sanguis moveri videtur, ut versùs circumferentiam ex arterijs excurrat, velut in iræ, pudoris & gaudij motibus contingit. Aliquando autem secùs accidit, ut nempè à circumferentia versùs centrum quod cor jure vocari meretur. Ex venis adducatur, ut in mœrore, timore, odio, &c. Cùm autem sanguinem à se ipso moveri sit impossibilè, utpote qui nec animatus esse defenditur, nec alia vi polleat, quàm eâ, quæ cœteris liquoribus competere adstruitur; ideo adhuc aliquid investigandum, quod ad hunc potiùs, quàm ad illum motum possit determinare. An dicemus omnes affectus, quos in sanguinis motibus observamus, spiritibus esse tribuendos? sed cùm spiritus isti aliud non sint, nisi rarescentis sanguinis portio; cùm sanguis ipse inanimis sit, eodem jure dicendum erit, quòd potentia motrice per vasorum angustias quoquoversum se se extendendi sint privati, sicut sanguis à se ipso per totum corpus non diffunditur. An sanguinis motum, qui passiones comitari solet, ad animam rationalem referemus?

At

At cùm agitati humores animæ imperium sæpè non audiant, & sanguini anima minimè insit, hæc immediatè impetum imprimere non valebit, neque ad hoc asylum licebit recurrere. Igitur præter humorum æstum alia adhuc sunt accersenda, quæ in passionum insurgentium turbine inquietentur. Sed amabo quid passio in corpore non commovet? & primò quidem ipsius vitæ fontem, cor nempe aggreditur, quod vario pulsu apertè indicatur, qui in ira magnus, altus, & frequens; in timore frequens, & intermittens; in gaudio magnus & tardus, in tristitia parvus, & tardus deprehenditur, qui motus ab alio, quam à systoles & diastoles diversitate derivari non potest. Impetuntur violentè vasa arteriarum & venarum; quonam enim aliàs pacto fieri posset, ut in timore, & dolore sanguis versus cor retorqueretur, reptatu lubrico, serpentino, vel undulato? coguntur etiam per hæc symptomata sese explicare, vel contrahere vasa capillaria; unde sudor, frigus, tremor, pallor, rubor &c. ex quibus tanquam certissimis signis æque benè colligimus passionem, quæ cor opprimit, quam Medici ex arteriarum pulsu argumentũ morbi desumunt, qui corpus infestat. Si enim capillares arterias contrahi contingat, totus ferè sanguis in carnes effusus à venis exsugitur; & cùm nullus alius in prioris locum succedere valeat, pallor & frigus, ac carnis depressio nascetur. Si autem capillares venas contrahi accidat, magna sanguinis copia ex arterijs in carnium fibras effundetur, & modica à venis contractioribus exsugetur, qui carnis ruborem, tumorémque facilè formabit. Si verò venarum & arteriarum extremi canaliculi arctissimè comprimantur, copiosus sudor stillabit ex poris, tremórque cuticulæ micabit. Quid in nervis, in musculis, quid in alvi intestinis, in hepatis, & splenis fibris, quid diaphragmate, pulmonibus, trachea, lingua, oculis passio non efficit? quid in ventriculo, vesica aliísque organis, de quibus honestè loqui non possumus, quid in facie, ore, toto vultu affectus præstet, explicari verbis vix potest, licèt nemo sit, qui hoc ignoret.

In tam terribili omnium partium tempestate ab affectibus excitata, si quis animam corpore inclusam consideret, saxeus sit oportet, nisi intimis visceribus illius conditioni miserandæ compatiatur. Quam impius, & sacrilegus demum fuerit Rex Nabuchodonosor, si tamen nobis inter sylvarum umbras obvius factus fuisset, exuvijs ferarum involutus, supremus quondam monarcha in monstrum æquivocum conversus, & pulverulento fæno pastus, oculos nostros ad lacrymas, viscera ad teneritudinem commovisset. Ah quantò nobilior est anima rationalis, ad diadema perpetuum, ad immortale imperium nata! originem suam du-

cens de vitali fonte ipsius Deitatis : Trinitatis consiliô excellenter condita, ut ex consultatione artificis innotesceret pretium operis ! & animam hanc, ad ideam Divinæ essentiæ, tanquam ectypon ad prototypon elaboratam, sub tyrannide passionum tanquam vilissimum mancipium siccis oculis intuebimur ? verum est, eam, quando omnis affectûs expers quiescit, instar aquæ tranquillè stagnantis sedatam esse; at verò, quia nihil in eam magis agere potest, quàm corpus intima unione annexum ; ideo, cùm humorum affluxus rei aut molestæ, aut jucundæ incursu commoventur, dum ferè, ut aqua lapide injecto, motuum recurrentium velut undulatione quadam agitatur. Assilierit appetitum fortuitus aliquis dolor ; quales tunc eliciet anima cogitationes ? an permittet tunc illi libertatem applicandi se negotijs serijs ? verificabitur potiùs magni Augustini philosophia : *Illuc naturaliter rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris.* Quòd si verò non in unam tantùm, sed in integram passionum legionem anima incidat, Deum immortalem ! quasnam strages tigrides istæ sanguinolentæ non dabunt ? quomodo instar bruti alicujus ratione carentis illarum sævitiei præda cadet ? Medæa id satis experta, quam Tragædus sic furentem inducit :

Medæa nunc sum, crevit ingenium malis.

Mox iterum pudore perfusa dissimulat, quod priùs concoxerat, proponit iterum alia, sed vix dissimilia, donec seposita omni in prolem teneritudine specioso prætextu habenas rabiei laxat.

Quidquid ex illo tuum est,
Creusa peperit: placuit hoc pœna genus,
Meritóque placuit. Ultimum magno scelus
Animo parandum est: liberi quondam mei,
Vos pro paternis sceleribus pœnas date.

Audaciam furore commota excitavit ; mox quasi ipsam pœniteat admissi furoris, verecundiam, metum, & misericordiam spirat:

Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu,
Pectúsque tremuit, ira discessit loco:
Matérpue tota conjuge expulsa redit.
Egóne ut meorm liberûm, ac prolis meæ
Fundam cruorem? meliùs ; ah demens furor!

En quomodo, veluti classico canente rabidi canes impetum in animam fecerint, eámque suis latratibus, suis morsibus dilaceraverint, dilaniaverintque. Meliùs igitur est homini neque delectari, neque dolere sensu

ſu corporeo; tunc enim anima tumultu vacua, & quaſi ſe ipſa recluſa perfrui poteſt ſpiritualium ſuorum bonorum guſtu & dulcedine.

§. II.

De affinitate, & differentia paſsionum cum operationibus voluntatis.

COlligo etiam non nullos ſæpiùs hallucinari, dum affectum voluntatis ab appetitûs motu ſufficienter, ut guttam ab aquæ gutta, non diſcernunt: cùm enim affinia communibus & ſimilibus gaudeant nominibus, ac ſicut paſſiones audiunt nomine amoris, deſiderij, lætitiæ, ſic pariter de ſapientiæ amore (quæ haud dubiè non eſt rebus ſenſibilibus annumeranda) legamus Sap. 8. *Hanc amavi, & exquiſivi à juventute mea.* Sic etiam voce tenùs confundatur concupiſcentia cum deſiderio ab eodem Sapiente: cap. 6. *Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum:* cùm ſimilia deducantur ex regiis hymnis, ut Pſal. 118. *concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas:* & inferiùs: *ecce concupivi mandata tua*; ideò facillimè incauti in errores labuntur. Rurſus quamvis nihil vetet, affectus voluntatis ſine ulla alteratione elici; non raró tamen inter ſe amicabili ſucceſſione ſunt conjuncti, & eò ipsô magis idonei, ſi non ad nubilum inſcitiæ errorem procreandum, ſaltem ambiguitatis nebulam elevandam. Hæc affinitas adhuc magis viget in affectibus, quos nomine iraſcibilis facultatis exprimimus, quatenus iſtorum officium quodamodo eſt comparare bonum cum malo, & malum cum bono, atque alterum alteri præferre ex motivis invicem connexis. Comparare autem, unum alteri præferre philoſophicæ palæſtræ revocant ad munera intellectûs, & conſequenter ad voluntatem. Ideo actus appetitûs ſenſitivi ſpecialiter participes illius modi tendendi in objectum, accedunt propinquiùs ad actus animæ rationalis; ut audacia, timor, deſperatio &c. Diſſentiunt tamen & genere, & ſpecie pathemata ab actionibus, quæ voluntati jure adſcribuntur. Hæ enim lenes, placidæ, tranquillæ, illæ ſunt concitatiores, turbidæ &c. non ſecùs, ac intellectiones puræ dicuntur, quæ ex lumine naturali veritates potiſſimùm à materia ſecretas contemplantur; imaginationem autem vocitamus, cùm ex ſenſuum occaſione aliquid percipimus: ſic volitionis nomine intelligimus impreſſiones, ex libertate à ſummi boni auctore indita, profectas; perturbationes autem animi ap-

pellamus, quas cum ſanguinis,ſpirituum, aliorúmque membrorum commotione probè ſentimus, perſpicimúsque, quid in nobis præſtent. Fatendum quidem eſt, mentem noſtram nihil percipere, voluntatem nullum actum elicere, citra aliquam ſpirituum in cerebro agitationem. Ex lege quippe à Molitore naturæ ſancita, ita anima cum corpore eſt conjuncta, ut motus animi etiam illi, qui ad corpus non referuntur, quædam ſpirituum commotio comitetur; adeo, ut etiam ipſum amorem juſtitiæ, aut virtutis certa ſanguinis agitatio ſenſibilem efficiat, & rerum intellectualium pereptionem impreſſa phantaſiæ veſtigia roborent. Sed hic humorum fluxus, qui actiones voluntatis conſequitur, placidè, & tranquillè labitur; ubi econtra in propenſionibus appetitûs ſenſitivi adeò vehementer extolluntur, tumultuantúrque, ut vix animus ſufficiat ad eosdem in ordinem redigendos, tempeſtatémque ſedandam. Imò ſi adhuc longiùs progredi voluerimus, in ipſis paſſionibus reperiemus, unam alterâ majori fremitu ſævire, & animal à ſtatu connaturali, ac diſpoſitione conformi dimovere. Ita graviùs laborabit, qui triſtitiâ opprimitur, quàm qui præ gaudio, & lætitia tripudiat; quia gaudij affectus ſanguinem per omnes corporis partes diffundit, quem triſtitiæ anguſtiæ ad interiora contrahunt. Quis autem ignorat ſanguinis diſperſionem per corporis membra minùs animali viventi nocere, quàm arctiorem ejus compreſſionem? cùm maſſa ſanguifera, prout etiam involvens lympham, & bilem, ſervire debeat animali pro alimento proximo, ideóque ſui diſpenſatione per vaſa totam corporis regionem foveat. Ex oppoſita autem ratione, ubi vitalis ille rivulus in contractis partibus, quaſi in quadam ciſterna ſtagnabit, parcior erit nutritio, & cùm organa perpetuâ transſpiratione plurimùm de ſua ſubſtantia deperdant, ſi rorulentâ alimoniâ de novo appoſitâ non reſtaurabuntur, eadem labefactari neceſſè erit. Rationem à me ſi petas, cur paſſiones animales in pleriſque majores vires exerant, quàm affectus voluntatis circa bona ſpiritualia, hanc affero principalem. Bona ſolo intellectu percipienda non aliter nobis innoteſcunt, quàm famulitiô ſenſibilium: pleríque autem hærent in prima horum ſuperficie, nec mentem applicant, ut ſubtiliori meditatione bonorum ſpiritualium nucleum eruant, eáque in perfectum meridiem educant. Hoc didicimus ex Jeremia: *Nullus eſt, qui recogitet corde*, cujus veſtigijs inhæret ſapiens cap. 9. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animum, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Senſibilium econtra tam bonorum, quàm malorum clarior in nobis, quia intuitiva cognitio ſplendet, ad quam majorem apprehenſionem nihil connaturaliùs, quàm parem,

&

& fortiorem appetitum oriri. Quod si tamen facultas intellectiva intimiùs scrutetur suum objectum, quàm sensus suum comprehendat, nec hæreat tantùm in exteriore accidentium cortice, sed ad substantiam usque pervadat: cúmque ex altera parte bona intelligibilia sint longè præstantioris naturæ: ideò sicut visus intellectualis præoptandus est visui corporeo; & sicut homo præeminet brutis; ita major erit affectus rationalis, quàm proprius appetitui sensitivo.

DISSERTATIO II.

De partitione, & ordine passionum.

§. I.

De partitione pasionum.

MIrandum prorsus est, animam, quæ perspicacitate sui visûs pervenit ad intuenda alia omnia; excæcata tamen sit ad seipsam clarè cognoscendam, nec satis distinctè se possit supra proprias reflectere operationes. Nihil est in naturæ thesauris adeò absconditum, nihil adeò arcanis involutum secretis, quò ipsa non penetret, quod suâ solertiâ non detegat. Rimatur viscera universalis omnium matris, terræ scilicet, fertur in incognita subterranei mundi regna, ad quæ olim Proserpinam à Plutone raptam fuisse, Poëtæ fabulantur: cognoscit quomodo humidum unctuosum continua coctione, & digestione depuretur lutuosis recrementis, filtretur, sublimetur, ac tandem in argenti venas fixetur: scit sympathiam & antipathiam quatuor elementorum, quomodo in altum tollantur vapores, condensentur in nubes, dispergantur in pluvias, & emicent in fulgura, non fugit ipsam ulla pars proprij corporis, sive illa sit tenuis ductus thoracis, sive subtilissimæ in messenterio venæ lacteæ, sive aliud quidpiam, quod sua crassitie capillum non excedit: dividit, & crudeli artificio omnia dissecat membra, ut singulorum proprietates accuratè addiscat. Interea tamen deest animæ notitia rerum, quæ in intimis ipsius penetralibus cuduntur: notæ sunt ipsi functiones aliorum, circa proprias penitùs cæcutit. Ut nihil lamenter, quod incertis solùm conjecturis comprehendat suæ naturæ excellentiam, nisi majus ipsi auxilium à fidei consiliis præstetur; de hoc solùm hic conqueror, quòd ipsæ etiam animi passiones in profundo abstrusæ celentur.

Sit, quòd suis stimulis imprimant quædam sensibus stigmata; characteres tamen isti adeò nondum sufficiunt, ut naturæ scrutatores Philosophi ne quidem in eorum numero statuendo convenerint.

Stoici cum Horatio illos ad quatuor revocaverunt. Voluptatem scilicet, dolorem, cupiditatem, & metum, juxta illud Horatij Lib. 1. epist. 6.

Gaudeat, an doleat, metuat, cupiátve, quid ad rem?

A quibus non multùm discrepare videtur Plato, qui in Theœteto sub persona Socratis sic loquitur: sensùum hæc nomina sunt, visus, auditus, olfactus, gustus, tactúsque frigidorum & calidorum, quos sequuntur voluptates, dolores, cupiditates, atque timores. Sequitur hanc divisionem Trojanâ tubâ insignis Poëta lib. 6. Æneid. sub Anchysæ persona statuens mundum singulásque ipsius partes divino informari spiritu, ac moveri, speciatim verò hominum animas ex eo esse oriundas, suósque motus in corpore tanquam tenebris inclusas, pati, unde vix auras, cœlestémque patriam possint intueri.

Hinc cupiunt, metuúntque, dolent, gaudéntque, nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

Aristoteles nullum iniit certum affectuum numerum; sed ut occasio tulit, variè eos recenset. In Ethicis supremas omnium passionum classes decennariô numerô dirimit, nulla fugæ, aut spei factâ mentione, quas alij ubique suggerunt. In Lib. Rhetoricorum tredecim recenset omissa *verecundia*. Galenus reducit eas ad octo differentias. Apud Tullium Tuscul. quæst. lib. 4., qui non tantùm Romanæ eloquentiæ, verùm etiam Romanæ Philosophiæ Princeps est appellandus, habes quatuor affectuum genera. Ultimis temporibus Renatus des Cartes longissimam instituit seriem; ut sic non tantùm sit diversa apud diversos passionum combinatio, sed etiam diversa apud eosdem varijs in locis observetur.

Celebrior, & magis operosa multorum divisio est appetitûs sensitivi in concupiscibilem & irascibilem, ex qua desumunt, passionum alias ad concupiscibilem, alias ad irascibilem potentiam esse revocandas. Ponit hanc differentiam Philosophus lib. 1. Rhet. cap. 10. hisce verbis: *Appetitiones irrationales* (id est appetitus sensitivi) *sunt ira, & cupiditas.* Similia tradit Ethic. 3. cap. 1. inquiens: *Oportet autem & ob aliqua irasci, & nonnulla appetere.* Meminit etiam hujus partitionis Bethlemiticæ Cryptæ incola D. Hieronymus, cùm in caput 13. Math. ait: *In ratione possideamus prudentiam: in irascibili odium vitiorum, in concupiscibili desiderium virtutum.* Tantorum virorum auctoritas cui sensus communior adstipulatur, fulcitur hâc ratione. Res bonæ

duo-

duobus modis expeti possunt, sicut & mala dupliciter repudiari: Primò ut bonum facile obtinibile, vel saltem præscindens à difficultate: Secundò ut difficile obtentu, adeóque tam arduum, ut absque victoria difficultatis resistentis haberi nequeat. Non quòd ipsa arduitas obtinendi tanquam ratio objectiva terminet appetitum sensitivum, eúmque ad accedendum invitet; hoc enim esse impossibile constat: Sed quia bonum sic aliquando expetitur, ut per eam prosecutionem animal reddatur expeditum ad superandas difficultates, si quæ in procuratione boni fortè occurant. Ubi tamen animadvertendum, non sufficere quamcunque difficultatem, qua objectum est circumvestitum, ut arduitatis nomine veniat: si enim exiguum molestiæ septum sufficeret, vix ullus inveniretur actus concupiscibilis, cùm vix ullam rem amore prosequamur, in qua adipiscenda non modica saltem difficultas se se ingerat. Similiter contingit per appetitûs fugam repudiari malum duobus modis: uno modo, ut malum absolutè, alterô ut arduum ad declinandum. Jam verò quis dubitabit? quin duo affectus diversam inter se naturam sortiantur ob respectum ad bonum secundùm se, & alterum superativum magni obicis, cùm ipsa objecta ob dissimilitudinem hanc inter se dissideant? nempe virtutis irascibilis effectus sunt ex innata indole pugnaces, contentiosi, aspirántque ad victoriam obstantium repagulorum; ut quando famelicus leo ferocientis tauri carnibus exsatiari expetit: pathemata verò facultatis concupiscibilis sunt genij magìs pacifici, & quieti, ut quando ovis virentia ad pedes gramina affectat. Hanc utramque facultatem humano statui valdè convenientem esse, ex eo probatur, quòd cùm plurimæ Myriades malorum in mortalium vitam pro sua conditione frequentissimè incidant; bonorum econtra seges plerumque aridè succrescat; exinde oportuit hominum vires creberrimè incitari tum irâ, seu impatientiâ ob mali præsentiam: tum cupiditate ad absentia bona conquirenda.

Ex biformi hoc monstro appetitus concupiscibilis, & irasciblis, quod eodem sinu concludit duos gemellos, sibi invicem summè adversantes, scilicet affectum unum mitiorem, & magìs compositum, alterum concitatiorem, & furentem, ex hoc, inquam, biformi monstro reliquas passiones originem trahere reputant. Quemadmodum enim de lernea hydra commenti sunt Poëtæ, quòd resciffo uno ex septem capitibus, statim alia duo in prioris locum repullulaverint: ita pari modo ex concupiscibili, & irascibili tot passiones sobolescunt, quot numerantur motus animi, qui circa bonum, & malum capita extollunt. Atque ad appetitum concupiscibilem sex referuntur, scilicet *amor*, & *odium*; *desiderium*, & *fuga*; *gaudium*, & *tristitia*: In irascente autem quinque comprehenduntur:

nimi-

nimirum *ſpes*, & *deſperatio; audacia*, & *timor*, ac demum *ira*, cui nullam opponi paſſionem multi docent. Et primò quidem hunc numerum circa appetitum concupiſcentem conantur ita ſtabilire. Tot ex appetitu concupiſcente profluent paſſiones, quot diverſis modis continget imaginationem tendere in bonum, vel malum abſolutè, & non ut arduum, conſideratum: hoc autem accidere ſex modis cenſent. Primò enim oblata rei bonitate inclinatur anima propenſione quadam in illud;ita tamen, ut præſcindat ab illius præſentia, vel abſentia, & hæc coaptatio exprimitur voce amoris. Si bonum illud ſit abſens, & facilè conſequibile, excitabitur deſiderium. Si præſens, exorietur gaudium, totúsque animus illi incumbet. Similiter propoſitô malô, ſi illud repræſentetur, ut abſtrahens à poſſeſſione, & non poſſeſſione, progignetur odium, ſeu averſio; ſi ſolùm immineat, & ſit vitabile, efficietur fuga; ſi denique malum præſens ingruat, anima illi ſuccumbet, naſcetúrque triſtitia. Secundò affectus facultatis iraſcentis ad quinque claſſes reducere ſatagunt. Vel enim bonum abſens arduum elucebit ut obtentu conſequibile, & ut præponderet difficultati, & concipietur ſpes; vel æſtimabitur obtentu impoſſibile, ita ut arduitas prævaleat bonitati? & erumpet deſperatio. Si malum aliquod reſpiciat, tunc hoc apparebit vel ut repulſu facile, & ut dignum, pro quo obtinendo ſuperetur difficultas, quæ ineſt, & pro quo fiant tanti ſumptus? & creſcet audacia; vel tendet in malum arduum ita, ut eidem obviam prodire, & ingruentis difficultatis impetum ſui objectu ſiſtere non præſumat? & talem invadet timor. Vel denique occupatur appetitus circa malum præſens vindicandum? & incendetur ira, quæ nullam habere paſſionem oppoſitam dicitur, ut in reliquis aſſignatur aliqua ubique contraria. Sit enim, quòd potentia iraſcibilis circa bonum aliquod verſetur, contrarium priori malo. Hoc ſi attingatur, ut præſens, fieri non poteſt, ut proponatur circumveſtitum arduitate; quia præſentia boni non accidit, niſi ſublata omni obtinendi difficultate. Igitur ex nullo bono præſenti erui poteſt alius affectus, quàm gaudij, & delectationis, qui ad animam concupiſcentem accerſitur. Quodſi ponas malum præſens apparere, ut irreijcibile nullis viribus, tantùm in anguſtijs exprimes triſtitiam: ſi ut reijcibile quidem, ſed non niſi ſummo conatu, qui præponderet bonitati rejectionis, iterum aliud non obtinebis, quàm triſtitiæ affectum, qui ad priorem ordinem eſt redigendus. Ad hanc partitionem ſtabiliendam excogitârunt duos verſiculos, memoriæ juvandæ causâ:

Triſtor, amo, cupio, delector, abominor, odi.
Deſpero, iraſcor, timeo, multùm audeo, ſpero.

Alij

Appetitus Senſitivus.

- Concupiſcibilis.
  - Amor.
    - Deſiderium.
      - Delectatio.
  - Odium.
    - Fuga.
      - Triſtitia.
- Iraſcibilis.
  - Spes.
    - Audacia.
      - Ira.
  - Deſperatio.
    - Timor.

Alij

Alij adhuc meliùs consultum imaginationi credebant, si omnes passiones in schematismum describerentur, prout Dialectici lineam prædicamentalem, aut Jurisconsulti arborem sanguine junctorum depingere consueverunt.

Hac tam ampla partitione quidam adhuc non contenti, ulteriùs ad fallendum otium suis divisionibus progrediuntur; & quosdam quidem *naturales*, alios *ultranaturales* barbarô vocabulô dicere solent. Affectus illos, quibus animal indiget, ad statum suum, vitam, & speciem tuendam, conservandámque naturalium appellatione complectuntur ob aliqualem conformitatem, qua eadem bona subjacent appetitui quoque innato, & naturali, quique omnibus tam sensu præditis, quàm sensu orbatis, est communis. Hujusmodi esse volunt famem, & sitim, ac potissimùm timores illos, quibus refugit animal à rebus corpus lædentibus, aut mortem afferentibus. Qui verò excedunt limites appetitûs innati, quíque feruntur in bonum, aut malum futurum, præter naturalis voce indigitant, ob hanc conjecturam, quòd appetitus innatus moveri non possit, nisi in bonum, aut malum sibi actu præsens, vel certè quia præscindit ab absentia, & tempore venturo. Eâdem ratione ad præternaturales affectus redigunt, quicunque tendunt in objectum compositum ex bono & malo invicem permixtis, eò quòd appetitus purè naturalis, ac innatus ne confusa quidem virtute dotatus sit diversa inter se comparandi, qua tamen prærogativâ sensus pollet. Ad hos etiam reducuntur varij affectus, quibus aliqui afficiuntur ex sinistra rerum apprehensione ad comedenda illa, à quibus, tanquam rebus fœdissimis, aliàs natura secundùm se abhorret, de quibus canit Poëta:

Sic ubi jam gravidas stimulant fastidia Matres,
Obscœnam satiant fercla pudenda famem:
Scilicet expetitur modò calx, modò creta palato;
Et modò, quæ stomacho displicuêre, placent.

Ulteriùs non omittunt discrimen superaddere inter affectus infinitos, & finitos, eo sensu, ut primi ordinis sint, qui non cessant, aut terminum ponunt, sed appetendo pergunt sine fine, etiam dum objecti concupiti præsentiâ fruuntur. Contra secundæ classis, ubi certam objecti sui possessionem aliquando sunt adepti, veluti saturi explentur. Causam reddunt, quia nempe intellectus amplissimâ suâ sphæra peregrinatur per omnia, adeóque capax est, ut species bonitatis apprehendat sine fine, & hoc ipso excitetur passio illimitata. Hoc didicisse se dicunt ex Philosopho, qui lib. 1. polit. cap. 6. inquit: quòd infinito concupiscentiæ existente, homines infinita desiderant. Primorum exemplum dant amorem

rem

rem inexplebilem opum, aut honorum : ſecundi ordinis ſunt appetitus edendi, bibendiqne, & ſimilium, quibus limitem natura faſtidiô, & nauſeâ præfixit.

Niſi temeritatis notam incurrere metuerem, ſi me opinioni ab univerſa vetuſtate per tot ſæcula approbatæ opponerem; fortè non malè defenderem, non eſſe, niſi unicam paſſionem, & omnes commotiones, quibus anima exagitatur, nihil eſſe, niſi ſolùm amorem variis ſchematis exornatum. Quia tamen res hæc ad quæſtionem de nomenclatura devolvitur; nolo tanto molimine eam hìc librare. Quem enim quæſtum facerem? nempe integram nubem Auctorum contra me excitarem, in qua, quia ſinguli inimicorum debellari non poſſent, quæcunque pars remaneret illæſa, victoriam ſibi adſcriberet. Adijce, ſi vulgatæ huic diviſioni inſiſtatur, magnum compendium conſtrui ad partem ſecundam in ſuas diſſertationes commodiùs diſſecandam.

§. II.

De ordine paſsionum.

QUod ad ordinem paſſionum ſpectat, duplex ille conſiderari poteſt: unus cauſæ efficientis, quatenus paſſiones aliæ ex alijs excitari, & ſe conſequi poſſunt; alter dignitatis, quo aliæ alias perfectione ſuperant. Ac in ordine quidem productionis generativæ, ſi reſpiciamus ad ipſam indolem animæ appetentis, & ad naturam objectorum ſecundùm ſe acceptam, non attendendo caſus particulares, pathemata facultatis concupiſcentis, primum locum abripiunt paſſionibus potentiæ iraſcentis. Quemadmodum enim priorem ſedem tenet bonum, & malum abſolutè præ malo, & bono arduitate contracto; ita etiam amor boni, & averſio mali abſolutè talis (quæ animæ concupiſcens ſibi arrogat) priorem ſedem obtinebit, quam proſequi bonum arduum, & malum arduum fugere, quo officio appetitus iraſcibilis fungitur. Rurſus idcirco animal bonô arduô, tanquam hamô, ineſcatur, ut ſuperata tandem difficultate in eo, tanquam in auro ab omni ſcoria purgato, tanquam in roſis ſine omnibus ſpinis, & velut in optatiſſimo centro quieſcat. Igitur paſſiones conſiſtentes in averſione ex proſecutivis via naturali oriuntur, & in ipſas, velut in finem, ordinantur. Inter ipſas autem paſſiones appetitûs concupiſcibilis, illæ, quæ in proſecutione conſiſtunt, ordinariè præcedunt eas, quæ conſiſtunt in fuga. Rurſus inter proſecutiones potentiæ concupiſcibilis or-

dine præcipua erit amor; ſuccedet deſiderium; ultimò locò delectatio. Atque idem ordo inter fugas his tribus proſecutionibus oppoſitas eſt determinandus circa contraria objecta, ſcilicet inter odium, abominationem, & dolorem, ſeu triſtitiam. Inter proſecutiones iraſcibilis prima habenda eſt ſpes; annectitur proximè audacia, & poſtremò locò venit ira. Inter fugas autem, quæ ſunt in iraſcibili, ſcilicet inter deſperationem, & timorem, vix ordo aliquis certus tradi poteſt quoad executionem, ſed videntur hæ potiùs diſparatè ſe habere. Craſſæ tamen æquivocationis vitandæ causâ inſinuatio facta eſt de præciſione à caſibus particularibus, quos ſcientificæ quæſtiones negligunt, ſolúmque ruminant, quid ſingulis per ſe conveniat. Quodſi enim aliquando ad initium ſubveniat menti objectum arduum, ceſſante poſtea difficultate, fiet tranſitus ab iraſcibili ad concupiſcibilem affectum, & ira inflammatus poteſt concitari poſtea amore alicujus boni neceſſarij ad vindictam ſumendam.

De ipſo dignitatis, & perfectionis ordine, ſi quid compertum eſt, hoc fortè ſtatui poteſt. Primò paſſiones concupiſcibilis, ſaltem quæ proſecutionem ſapiunt, præſtantiores ſunt pathematis iraſcibilis virtutis, quandoquidem, poſteriores ad priores referuntur tanquam media ad finem, & ſic tam vulgare, quàm verum Philoſophi axioma magis inconcuſſum reddunt. Vide ergò, quòd, ſicut actus intellectûs origine, & dignitate præeminent operationibus voluntatis; ita affectiones appetitûs concupiſcibilis prævaleant ſymptomatis potentiæ iraſcibilis duplici modô, & generationis, & perfectionis. Secundò tam inter affectus concupiſcibilis, quàm potentiæ iraſcibilis præcipuus competit gradus ijs, in quibus prævalet prædicatum proſecutionis, poſtpoſitis illis, in quibus elucet ratio averſionis, & fugæ. Suaderi poteſt hic dominatus ratione quadam deducta ex perfectione motûs rerum naturalium. Quòd enim motus naturalis lapidis cadentis intenſior deprehendatur in fine, cùm nempe magis appropinquat ad terminum ſuæ naturæ convenientem, quàm in principio, ubi ab eo violentiâ adhibitâ avellitur, argumento eſt, magis naturæ conſentire, atque adeò perfectius eſſe accedere ad terminum, quàm ab eodem recedere. Sic etiam cùm proſecutio in appetitu ſe habeat quaſi inſtar alicujus acceſſûs, præſtantiâ ſuâ præcellet fugæ, quam ſimilitudine receſſus oſtendit. Tertiò inter paſſiones omnes quatuor præcipuè potiores cenſeri ſolent, ſcilicet delectatio, dolor, ſeu triſtitia, ſpes, & timor, quas ~~lib~~. 1. de conſolatione Philoſophia metro ultimo complexus eſt Boëtius illis verſiculis:

Gau-

Gaudia pelle, pelle timorem,
Spémque fugato, nec dolor adsit.

Superſedeo minutiores ſeries ex his ordinare, cùm nec operæ pretium eſſe, nec guſtui legentium ſapere judicem.

DISSERTATIO III.

De Sede, in qua paſſiones recipiuntur.

§. I.

An paſsiones in anima recipiantur?

TRiplicem paſſionibus ſedem ſtatuit Plato; motibus facultatis iraſcibilis in corde, niſibus concupiſcibilis in jecore, vel lumbis, & rationalibus in cerebro, ut ſic in eodem individuo deſcriptus habeatur triplex rerum publicarum ſtatus: ſcilicet conſularis in appetitu rationali; militaris, & contentioſus in iraſcibili; quæſtuoſus, & avarus in vegetativo. Si quis ex diſcipulis antiquæ Philoſophiæ Deum hunc ab hac ignorantia excuſare ſtudebit, id facilè præſtabit dicendo, non locutum eſſe de animabus, ſed de animarum viribus. Juxta delirium Manichæorum, qui duplici anima rationali corpus humanum informabant, bonâ unâ, quæ velut particula Divinitatis à Deo eſſet reſecta, & malâ alterâ, quæ portio aliqua à dœmone originem duceret; juxta hoc delirium, inquam, paſſiones in anima deteriori ſtabulabuntur, unde nobiliori inſidiabuntur. Sed quænam intemperies adeò eos in transverſum egit, ut ſubſtantiam eſſentialiter malam non perſpicerent eſſe chymericam? ignorabant ſcilicet, tam phyſicum, quàm morale malum ſolùm reſpectivè dici, & ſæpè non aliud eſſe, quàm bonum minus, & defectuoſum. Stoicorum abortivum vagæ mentis fœtum, exiſtimantium affectus in ſola opinione erronea, & judicio ſitas eſſe, jam ſupra exploſimus: hoc ſolùm hìc inſinuare ſufficiat, ridiculum hoc effatum plurimùm favere Carteſianis, quatenus pathemata aliud eſſe non volunt, quàm meras cognitiones ſpirituales. Nolint, quæſo, confundere ſpiritualia cum corporeis; id, quod plerumque comitatur paſſiones, cum ipſis paſſionibus. Supereſt ergò nunc ſolùm, ut quæramus, an in ipſa anima rationali paſſiones ſint collocandæ; pro qua controverſia aliqua priùs de animæ naturæ ſunt advertenda.

Sicut unitas ineffabilis Deitatis adeò est simplex, ut ad illius essentiam meliùs comprehendendam coacti fuerint philosophi eam quasi dividere,& diversas illius perfectiones variis exprimere nominibus, utentes jam phrasi naturæ, jam fati, modò providentiæ, modò motoris supremi &c; atque hac ratione in orbem terrarum pluralitatem Deorum induxerunt, ac innumeris populis idololatriam affricuerunt: sic pariter iidem, cùm indivisibilitatem animæ rationalis mente sua concludere non valerent, absolutissimam hanc Dei imaginem variis adumbrârunt nomenclaturis, ut varias ejusdem operationes vivaciùs ob oculos ponerent. Contemplati sunt eam in tribus statibus inter se maximè differentibus, ita ut in primo plurimùm appropinquaret dignitati Angelicorum spirituum; in secundo deprimeretur ad conditionem animantium brutorum; & in tertio vilesceret adeò, ut plantarum naturæ assimilaretur. Ut est vegetativa, in alio non occupatur, quàm in corpore nutriendo, in alimentis digerendis, convertendis iis in sanguinem, & distributione per arterias & venas facta, mirabili prorsus metamorphosi conatur eandem prorsus materiam condensare in carnis substantiam, extendere in nervorum propagines, indurare in osseum sceleton, & in cartilagineos processus elongare. Imò à Divina providentia impulsa curam suscipit universum ipsum conservandi, dum producit, quod constanter deficit, generàtque sibi simile, ut perpetuò species sua perduret. Verùm in his omnibus anima rationalis aliud non agit, quàm arbores, & flores, quæ æqualiter excrescunt alimento à cœlo delapso, & Solis calore per occultos meatus in altum sublato. In secundo statu anima rationalis sensibilis fieri videtur, quando incipit acquirere rerum cognitiones, & producere varias versùs easdem inclinationes. Miratur varia objecta famulantibûs sensibûs externîs, qui nuncii munere funguntur imaginationi; species productas fideli memoriâ recludit, ut magnâ curâ conservatæ iterum occurrente occasione restituantur. Exsplicata rerum bonitate aut malitia, incipit anima amare, vel odisse; accurrit ad sibi placentia, refugit ab iis, quæ offendunt, & à diversis qualitatibus, quæ ipsi obviam fiunt, incitatur differentibus motibus, quos Latini verbô passionis declarant. In hoc gradu anima rationalis constituta non transcendit perfectionem brutorum, cùm illa non minùs auxiliantibus sensibus detegant objectorum qualitates, non minùs recipiant in phantasia species, easdémque memoriâ retineant. Denique in statu tertio à corpore extricata occupatur circa veritates altissimas, tractat cum Angelorum choris, per varias creaturas, tanquam per scalarum gradus,

dus, ſcandit usque ad Divinitatis ſedem, ibſque inexhauſta pulchritudinis abyſſo abſorbetur. In aliis rebus, Deitate inferioribus, erecta mente examinat qualitates ad indagandam eſſentiam, comparat præterita cum præſentibus, & ex utroque de futuris concluſiones præſagit. Facultas hæc tot miraculorum vocatur ſpiritus, domina reliquarum potentiarum, arbitrium ita liberum, ut cœlum ipſum ſuſpiciat illius libertatem, nec ullo unquam tempore violenta prædeterminatione phyſica vim ipſi inferat; ſed potiùs dexterrimè procuret obtinere conſenſum gratia tali, quæ quidem, ſi converſionem efficaci voluntate intendit, certò certiùs obtinebit effectum, quin tamen dira, ſæváque neceſſitate obſtringat. His connotatis

Dicendum jam, in anima rationali paſſiones ſedem non obtinere, ſi illa conſideretur, prout ultimo loco fuit depicta. Sic enim repurgata ab omnibus fæcibus terrenæ materiæ, ſolùm poterit vim ſuam exercere in operationibus ſpiritualibus eliciendis, eritque tam parùm capax pathematum, quæ ſunt ſenſationes materiales, quàm parùm ſenſationes poſſunt inhærere alicui non ſenſibili, quàm parùm oculus poteſt recipere ſonum inviſibilem, & auditus eſſe ſubjectum lucis. Hæc ipſa etiam eſt ratio, cur Doctor Hypponenſis lib. 9. de civit. cap. 5. circa finem in aligeris ſpiritibus ante faciem Dei adſtantibus paſſiones excludat, dum docet: *Sancti Angeli, & ſine ira puniunt, & ſine miſericordiæ compaſſione ſubveniunt, & tamen iſtarum nomina paſſionum conſuetudine locutionis humanæ etiam in eos uſurpantur propter quandam operum ſimilitudinem, non propter affectionum infirmitatem.*

Quodſi tamen natura animæ inſpiciatur, prout in ſecundo ſtatu fuit deſcripta, prout corporea mole eſt circumdata, nihil vetat, in ea paſſiones immediatè recipi. An non enim omnium philoſophorum placitum hucusque fuit, ad appetitiones hominis animam neceſſariò debere concurrere, ut ſubjectum ſaltem partiale? clariora ſunt D. Auguſtini verba, quàm ut etiam à malevolis in ſiniſtrum ſenſum detorqueri poſſint. Sic autem lib. de ſpiritu, & anima cap. 4. habet. *Anima ſecundùm operis ſui officium diverſis nuncupatur nominibus; dicitur namque anima, dum vegetat; ſpiritus, dum contemplatur; ſenſus, dum ſentit; ratio, dum diſcurrit; memoria, dum recordatur; voluntas, dum conſentit.* Igitur anima vegetat, igitur ſentit, & eô quidem modô, quo intelligit, hoc eſt, ut non ſolùm ſenſationem producat, ſed eandem etiam recipiat. Rationum pondus hoc poteſt auctoritati accedere. Si animæ non uniuntur appetitiones, non magis reddetur appetens, quàm materia prima; vitæ enim ratio, ſi ulla fides eſt peripato, æquè dicit receptio-

ceptionem, ac effectionem sensationis: productionis titulô primariò fruetur anima, alterô gaudebit materia: consectarium ergò erit tam vitalem esse materiam, quàm animam, quod refugit unanimis hominum consensio. Rursus si in anima non collocantur cognitiones, quæ materiales dicuntur, quomodo poterit homo per eas cognoscere? certè ut aliquam denominationem totum mereatur, oportet illam suprà aliquam totius partem determinatam cadere. At, si anima non est subjectum immediatum cognitionis materialis, & materia illam recipiens tam parùm est capax formæ denominantis cognoscentem, quàm parùm anima apta est, ut per albedinem vocetur alba, nulli parti hominis tribueretur determinatè denominatio cognoscentis: ergò rectè colligeretur nullam partem, & consequenter nec totum animal cognoscere. Jam si in anima rationali ponuntur cognitiones corporeæ, fatendum est, in ea etiam excitari appetitiones materiales; aliàs non erit idem principium determinans ad efficiendum amorem appetitûs cum principio cognoscente, quod tamen scholæ unanimi voce loquuntur.

Cùm autem hujusmodi inclinationes & aversiones corporales ex natura sua exigant etiam unionem physicam sui cum materia, ideò colligitur, adæquatam sedem passionum consistere in complexo ex corpore, & anima eam partem vivificante, ubi dantur hujusmodi motus, nec non in combinatione humorum, quæ inest tali parti. Et quia humorum combinatio diversa fit in diversis hominibus, ideò, licèt omnes sint compositi ex simili materia & forma, sollicitantur tamen diversis impulsibus corporalibus, sicut iisdem diversa vitæ mensura, uni longiores, alteri breviores, etiam abstrahendo à causis extrinsecis contingit. Imò idem individuus homo ætatis mutatione eveniente experitur eam diversitatem, ob immutatam nempe tamperamenti constitutionem. Complexum, ut dicit humorum & spirituum combinationem, existens vel in una, vel pluribus corporis humani partibus informatis animâ sensitivâ, exprimi solet variis vocibus. Quoties enim audimus similes locutiones: homo superior, homo inferior; homo novus, homo vetus; homo animalis, homo rationalis, quibus libri ascetici sunt referti? ista non sunt larvæ, ideæ, moralitates, & voces sine re; sed omnia, quæ similibus nominibus includuntur, distinguuntur inter se verè realiter, saltem distinctione inadæquata. Quid enim censes intelligi per partem superiorem? cave ne aliquid aliud tibi fingas, quàm animam rationalem, quam meliùs recentioris philosophiæ patroni cum suis potentiis identificatam ponunt. Partem autem inferiorem si audire contingat, ob oculos mentis

tis tibi propone collectionem ex humoribus, cum parte corporis, in qua resident, & anima illam informante. Ubi vides, animam inadæquatè ab eo complexo distingui, & sic à puncto veritatis non aberrabis. In unaquaque ex his duabus partibus hominis, nempe superiore & inferiore iterum aliæ duæ fiunt partitiones. Una appellatur pars concupiscibilis, qua facultas expedita redditur ad facilè appetendum, vel saltem ad aliquid approbandum, sive id accidat actu voluntatis, sive actione corporis. Altera sortitur nomen irascibilis, quæ nempe celeriùs fluit ad repellendum aliquid alterutro ex illis duobus actibus, ad quam allusisse videtur regius psaltes, quando psalmo 4. dixit: *Irascimini, & nolite peccare:* Interdum etiam contingit, ut eandem operationem sibi vindicet tam virtus concupiscibilis, quàm irascibilis: vel quia operatio per propriam suam arduitatem invitat, ut constat in generosis animis, qui ad facilia languescunt, ad ardua verò moventur, & excitantur: vel quia ipsum objectum ita vehementer desideratur, ut appetitus proterat omnes obices contra illud insurgentes, prout facit actus spei, per quem anima ita Deum ut ultimum finem appetit, ut insurgat contra omnes difficultates ad possessionem Dei impediendam emergentes. Usus tamen communis obtinuit, ut in nomine imponendo toti complexui communiter homines subscribant sacris codicibus, ubi legimus Genesis 4. *Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* & ideò hac loquendi methodo utuntur, dicúntque communiter, passiones sitas esse in appetitu sensitivo.

§. II.

Ubi resideat appetitus sensitivus?

JAm verò cùm appetitus statuatur sedes, in qua passiones sustentantur; hic autem præter ipsam animam imbibat etiam tanquam partem organum aliquod corporeum: ideò ulteriùs animosa contentione inquiritur, quænam humani corporis pars præ altera sit in thronum eligenda. Et primò quidem Platonis Dogma hoc fuit: tres dari animas: rationalem, mentis optimam partem; & hanc capitis arcem tenere; irascentem procul à ratione ad domicilium cordis deductam esse, illique obsequi, & respondere locô sapientiæ; cupidinem infernas abdominis sedes tenere, ut popinas quasdam & latrinarum latebras, ac diversoria nequitiæ; relegatam verò idcircò longiùs à sapientia hanc partem videri, ne im-

 portu-

portuna vicinitas rationem, constitutam super cunctorum salutem, in ipsa cogitationum utilitate turbaret. Huic subscribit Claudianus de quarto consulatu Honorij:

Iram, sanguinei regio sub pectore cordis,
Protegit imbutam flammis, avidámque nocendi,
Præcipitémque sui: rabie succensa tumescit;
Contrahitur tepefacta metu; cúmque omnia secum
Duceret, & requiem membris vesana negaret,
Invenit Pulmonis opem, madidúmque fluenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At sibi cuncta petens, nil collatura cupido,
Injecur, & tractus imos compulsa recessit,
Quæ velut immanes reserat dum bellua rictus,
Expleri pascíque nequit; nunc verbere curas
Torquet avaritiæ stimulis, nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœsta manet, satiatáque rursus
Exoritur, cæsáque redit pollentiùs Hydra.

Secundò acriter inter se committuntur philosophorum Princeps, & medicorum antesignanus, quorum prior appetitui tanquam omnium aliorum sensuum moderatori, & judici tribunal in corde ponit; alter verò supremam totius corporeæ structuræ arcem, cerebrum nempe, erigit. Veniam hìc rogo à magno Stagyrita, si eô paulisper desertô, in partes Galleni concessero. Libratis enim rationum momentis animus in adversam abstractus sententiam cogitur appetitum ad altius subsellium, à corde scilicet ad cerebrum promovere. Ut veniam faciliùs impetrem, non græca posco naturæ mysteria; sed quæ nota sunt, quæ patent, quæ oculis observantur, ad mentis trutinam intromitti cupio. Et quæro primò: cur illæso cordis sinu sæpissimè vitietur, & non rarò prorsus deficiat internus appetitus, ut docent Phrenitides, & deliria? si facultas sensitiva appetens non re, sed cogitatione tantùm ab imaginatione secernitur, eò quòd ad rei gratæ, vel molestæ species phantasiæ impressas statim sequatur operatio appetitûs; cur corruptâ phantasiâ, pharmaca applicamus cerebro, & non pectori? tertiò cur vehementi studiorum occupatione, ex diuturno phantasiæ, ac memoriæ exercitio solùm caput defatigatur? quare obnubilatô post mensam cerebro minùs apti invenimur ad studiorum labores prosequendos? cur vulnera capiti inflicta memoriam aliis abstulerunt, aliis verò, quod de Clemente VI. scribitur, felicissimè reddiderunt? non invideamus igitur nobilissimam hanc cerebri stationem appetitui sensitivo, præsertim cùm in illud velut

in

in centrum omnium externorum sensuum nervi immediatè transmittantur. Adhuc citiùs appetitui exitum à corde ad cerebrum permisisset Aristoteles, si manifesta oculorum experientia convictus cognovisset, nervorum omnium propagines, non ex corde derivari, sed à cerebro dominante, reliquis subministrari partibus. Debetur hæc notitia dicasterio medico, quod sectionibus animalium nervos omnes vel ex cerebro, vel ex medulla oblongata, prout intra cranium existente, progerminare ostendit, ita ut prope cerebrum, aut spinam, sint latiores, in progressu semper fiant angustiores. Non secùs ac arbores, quæ prope radicem in trunco amplissimum amplectuntur spatium; dum verò proficiscentes ramos tenuiores explicant; inde dissecantur in ramusculos, ac denique in frondium propagine omninò evanescunt. Nempè non examinavit acutissimus aliàs arcanorum scrutator, eandem esse cerebri, & nervorum substantiam, duplici membrana, seu meninge vestitorum, prout saltem in majoribus animalibus deprehendere potuisset. Nunquam vidit, incisô, vel ligatô nervô partem superiorem, & cerebro viciniùs copulatam nihil detrimenti pati; inferiorem verò, & cordi propinquiorem omni sensu ac motu privari. Hæc omnia palpabiliter appetitum à corde exulare jubent, & pro consentanea regione cerebrum attribuunt; quod sive triclinium, sive lacunam immundorum affectuum vocites, mihi perinde est. Non ignoro, cor variè contrahi, aut dilatari, prout diversi impetus exsurgunt, & quamdiu pectus ipsum non commovetur, non solere dici passionem: hoc tamen secum non trahit, cordis texturam omnium motuum vitalium principium esse. Sufficiet ad hoc, affectum in spirituum commotione maximè sensibilem in cerebro formari; tum ad cor ipsum, quasi ad rotam machinæ primariam diffundi, ut in sanguinem, & alias corporis partes pervadat, ac corpus ipsum in eo situ, & partium dispositione, quam affectûs natura postulat, collocetur.

Sed vix exhausta hâc difficultate emergit alia non levioris momenti, in quanam scilicet parte determinata cerebri moretur appetitus sensitivus, quod à nemine satis fuit divinatum, hoc ante omnia Cartesius velit, nolit, concedat cum suis sequacibus necessè est, sensum internum non figere domicilium tantùm in conario, seu glandula pineali, pendente prope tertium ventriculum in centro ferè cerebri, & figura pineæ nucleum imitante. Quæro enim ex Cartesio, quare tam rigido plebiscitô, aut si mavult senatûs-consultô imperet animam reliquis corporis membris exesse, eámque intra solam glandulam ableget? reponit, ens indivisibile non posse occupare spatium divisibile. Habeat sibi adversarius, quod petit, me, non sine vitio interim permittente, sed audiat sequelam

quelam pessimam, quæ inde eruitur, ipsa glandula, cùm habeat fibras, sinus, posśitque dispesci in plures partes, cogetur misera anima etiam ex ipso conario exulare, durissimô Cartesij decretô. Si Dominus Renatus ad angustias redactus imperaverit animam in minimum aliquod glandulæ punctum recedere, tunc ineptam reddet ad omnia totius hemisphærij objecta percipienda, eò ipso, quod sine corporum penetratione, quam ut monstrum perhorrescit, omnes ad illud punctum, nervi convenire non possint, nec per illos ad sensus exteriores spiritus deduci. Imò neque ad nucem hanc in statu suo integrè relictam ex observatione Stenonis, reliquis rei anatomicæ consultis adstipulantibus, pertingunt omnes nervorum ipsorum fibrillæ. Nititur nempè hoc somnium varijs suppositis manifestè falsis. Judicat enim cum antiquitate, spiritus animales, qui ex vicinis ventriculis cerebri concurrunt, ibidem temperari, & adhuc magis perfici: nec spiritus in ventriculis generantur, & pars hæc potiùs à natura destinatur ad phlegmaticos humores recipiendos, adeóque anima potiùs à suis operationibus impediretur. Credit etiam morbis non esse obnoxiam, adeóque regionem pro principe parte saluberrimam: at testantur recentiores Medici arenulas, & calculos non raro magnam, imò subinde plusquam dimidiam glandulæ partem occupare illæso appetitus usu. denique putat nucem hanc esse mobilem ad spirituum incursus, omnes nervos in eam desinere: at fixam anatome demonstrat, & contra alterum reclamat autopsia. Quod si fides adhibenda Thonnero, qui testatur, glandulam hanc posse penitùs exsiccari pulveris nitociani usu, appetitu nihil penitùs corrupto, tunc sibi Cartesius de hellebero prospiciat, ad capitis sui intemperiem priùs sanandam, quàm tam subtiles veritates orbi universo proponere aggrediatur. Non est, quod vereatur, ne, si animam non includeret tam angustæ capsulæ, illa se ipsam aliquando in corpore amittat. Aliàs anima jam satis angusto carcere circumdatur, & dum carnis corruptione repellitur, ne ad alta exsurgere liberè possit, cum Poëta conqueritur:

Libera, quæ potui spatioso ludere cœlo,
Cernis ut angusto carcere clausa premar?
Heu dolor! ut miseras me lux effudit in auras,
Ipsa loco cavea membra fuêre mea.
Pes compes, manicæq; manus, nervíque catenæ,
Ossáque cancellis nexa catasta suis. &c.

Sed quid ergo in hac materia, de qua apud Auctores vix aliquid invenitur, quod intelligi possit, ne dum explicari; in qua meræ tenebræ sunt, ex quibus ne minimam quidem luculam exprimere valeres: quid, inquam,

quam, in hâc materia ſtatuendum? adhæreo domeſtico in alijs etiam ſententiis mihi amiciſſimo P. Honorato Fabri, viro, de quo meritò ambigere licet, an potiùs ad Philoſophorum, an ad Medicorum cætum, an ad Mathematicorum chorum ſit reducendus, adeò in omnibus eſt præſtantiſſimus. Cùm hoc igitur ſic concludo: organum ſenſûs interni conſiſtere videtur in plexibus cerebri, quos ſecundinis fœtûs non abſimiles volunt Anatomici, quíque retinam interioris cerebri componunt complectentem cerebri ventriculos. Hoc multis argumentis evinci poteſt. Et primò contra Græcos exiſtimo functiones internas haud quaquam elici per totam cerebri ſubſtantiam, ſed in aliqua duntaxat illius parte. Si enim in toto cerebro exerceri poſſent, cùm ſpinalis medulla ejuſdem ſit rationis, illa quoque ſenſui interno domicilium præberet. Idem dicendum de nervis opticis, præſertim juxta ortum ſuum, ut mirum videri non debeat effatum Galeni pronuntiantis, nervi ſunt *cerebrum parvum, & compactum:* hoc autem quilibet ſanus intellectus refugiet. Præterea perforatô non ſemel craniô, licet exquiſitiſſimus in menyngibus, dura ſcilicet, & pia matre, dolor deprehenſus ſit, in ipſa tamen medulla, vel nullus, vel ſatis obtuſus repertus eſt. Cùm autem organa ſenſuum externorum obſerventur exquiſitiſſima ſentiendi facultate pollere, cuinam tantùm animi erit, ut hoc ſenſui interno denegare non dubitet? Ex hoc autem ulteriùs pergo & liberè pronuntio, nec ulli particulæ cerebri appetitum inexiſtere; ſuſpicio fundamentô non caret. Si enim in aliqua parte manſionem figeret, haud dubiè in tota medulla moraretur, cùm inter omnes partes non ſit magnum, ac ſubſtantiale diſcrimen. At toti medullæ appetitus non inexiſtit, quod præter ſuperiùs dicta teſtimoniô ſuô adhuc palam faciunt Medici, qui apud Isbrandum frequenter deprehenderunt una, & altera parte indiſcriminatim læſa, vel reciſa, principes tamen functiones integras permanſiſſe. Ita narrant de juvene, cui magnum apoſtema penetravit in ſuperiores ventriculos: ita de ancilla, cui diverſis vicibus exempta fuit putrefacti cerebri quantitas pugni magnitudinem adæquans, quibus tamen phantaſia ſana conſtitit: igitur conſectarium erit appetitum, neque parti cerebri ineſſe. Atque hac ratione corruit Arabum ſyſtema, qui imaginationem & appetitum ſenſitivum ſedibus diſcretos eſſe voluerunt, ita, ut phantaſiam, in partibus anterioris cerebri, appetitum, & memoriam in occipite collocaverint, experientiæ enim illorum, quòd læſo graviter occipite memoria plurimùm periclitetur, non habet ſat firmitatis; nam ex Bonhij ſententia non rarò appetitus & memoria corrumpitur ob vulnera ſincipitis, & phantaſia ob læſionem occipitis, cùm non minùs vulnus anticæ, quàm poſticæ parti

inflictum harmoniam & compagem cerebri queat diffolvere. Adhuc pluribus fe fe cavillis exponerent collocantes cum Kenelmo, Digbæo appetitum in fepto lucido, quod in medullari fubftantia difcriminat fupremos duos ventriculos; quis enim principem facultatum fedem effe dicat mediam inter duas cerebri cloacas; quomodo in capitis hydrope, ubi aliquot libræ feri congeri deprehenduntur in ventriculis, & feptum medium fæcibus innatat, poterit mens integra perfiftere? quomodo in hoc cafu fpecies vifibiles appellere, vel fpiritus poterunt difpenfari?

Quæ cùm ita fint, & appetitus fenfitivus nec glandulæ pineali, nec medullæ cerebri, nec fepto lucido inhæreat, & duntaxat plexus retiformis dictus fuperfit, reftat folùm, ut ifte pro appetitûs organo affignetur. Argumento huic licèt negativo, non tamen pondere fuo carenti, plurimum roboris accedit ex analogia fenfuum externorum, præfertim verò vifûs, ficut enim retina fungitur munere organi vifualis, eò quòd ex defecatiffima cerebri fubftantia, & innumeris tum arteriolis, tum venulis conftans, atque ipfo nervo optico longè mollior, adeóque aptiffima quoque fit ad affectionem fenfibilem excipiendam: ita pariter interior cerebri plexus fedes appetitûs interni conftituendus eft, cùm minutiffimis arteriolis, venulis, aliífque vafis fibrífque nerveis exquifitiffimè intentis, tam benè elaboratus fit, ut retinam oculi perfectè imitetur. Quæfo accuratiùs illum intueamur, & videbimus è cerebri bafi, in qua nervorum originem omnes agnofcunt, hunc plexum non procul abeffe, ac proinde facilè traduci poffe affectionem organo fenfûs interni impreffam. Scilicet per nervos, quæ etiam funt fubjectum externorum fenfuum diffunduntur operationes ad dictum plexum; ab hoc inde per nervos motibus localibus fervientes in mufculos toto corpore diftributos. Nempè animal totum quoddam eft, non tantùm accidentale, ut cumulus lapidum ex multis aggregatus, fed operofæ naturæ arte elaboratum, ut omnes functiones ad communem quendam finem pertineant. v. g. fenfus externus fentit, fed ea conditione, ut affectio, quæ prolicitur, ad officinam fenfus interni traducatur; à fenfu interno percipitur hac quoque lege, ut per nervorum, venarum, arteriarúmque fibras in totam machinam fpargatur. Hinc à peripheria itur ad centrum, & datur regreffus à centro ad peripheriam; intelligo à fenfibus externis peripheriam quafi corporis obtinentibus ad fenfum internum, qui fibrarum centro inhæret; ab hoc ad reliquorum organorum fupellectilem, fcilicet nervos, mufculos, & membranas. Igitur, ne longior fim, cùm in omnia corporis membra ex tribunali appetitûs interni affectionem propagari fit neceffe, certè in ea duntaxat parte figi debet, quæ ex omni fibrarum ge-

nere

nere est composita: sed præter præfatum plexum nulla hujusmodi fabrica ostenditur, igitur in animalibus perfectis (in illis enim, quæ insectorum calculô comprehenduntur, in medullæ spinæ dorsalis sibi mansionem elegit) rectè dicitur in eodem sustentari appetitum sensitivum. Nec obstat multiplicitas innumera actuum internorum, facultatis scilicet imaginativæ, & appetitivæ: potentia enim vitalis ad hos non adeò laxum, & magnificum exigit fabrorum antrum. Quod, ut intelligas, in exemplum linguam, quæ, parva licèt mole, subservit ad innumeros vocum sonos edendos, ad diversissimos sapores gustandos. Idem in particularibus propriisque tum videndi, tum audiendi organis est manifestum. Unde moles perparva plexus retiformis nihil obest, quin mirabili artificio in eo varietas multiplicis organizationis contineatur. Neque abstrahit me ratio, quâ multi sibi persuadent, si in medulla cerebri appetitus sensitivus non subjectetur, tantam cerebri vim frustra in cranio esse repositam. Ego verò fidenter nego, tantam cerebri molem frustra esse; tum quia in homine magna humorum copia gyrans liberaliore indiget colatorio ad fæces secernendas; tum quia non parum ad sensum internum confert, licèt appetitus sensitivus in eo minimè regnet. Ideam sciendi cupido manifestam iterum in sensibus externis exhibeo. Oculum accipe, qui plurimis ex partibus est fabricatus, licèt in singulis actus vitalis non eliciatur. Alteri muneri inservit humor crystallinus, alteri aqueus: alio munere defungitur uvea, alio cornea: omnes visioni famulantur, videndi tamen facultate carent: minima inter omnes hoc privilegio gaudet, eóque munere defungitur. Quidni de sensu interno idem sentiatur? qui licèt in toto cerebro non habitet, sed in una duntaxat angustiore casa commoretur; alias tamen omnes partes promptas habet, qui suô modô ad effectum concurrant, quatenus scilicet vel ad traducendam affectionem, vel ad conservationem, defensionem, nutritionem, purgationem, vel ad alium quemlibet usum ad eundem finem spectantem conducunt.



DIS-

DISSERTATIO IV.

De causis passionum intrinsecis.

§. I.

Prima causa caro viva.

PErspicuum cuilibet scio, non tantùm in hominibus diversæ ætatis, quales sunt in florente juventute, & adulta senectute constituti, sed etiam in coævis varios vigere passionum vepres. Videbis hunc velut Megæram ex erebo emersam ita ad iram pronum, ut ad minimam sibi oblatam occasionem accensas conquâsset tædas, ignésque spargat exitiales; dæmonem ipsum, non à Deo immissum, sed sponte assumptum circumferat. Alios econtra ad iram esse segniores, ac propè rigentes; proniores tamen experieris ad timorem, quo jugiter concutiuntur, ita ut meticulosæ hæ animæ, pusillíque spiritus nihil unquam securum judicent: omnia suspecta habeant, & ad quamlibet umbram infuso veluti gelu per omnia membra contremiscant. Sunt, qui nec irâ corripiuntur, nec absterrentur timore, & cæteris magis inclinantur ad gaudium, & lætitiam, quíque continuum ver sereno, & roseo vultu præseferant. Alii è converso mærore perpetuo, jugíque angore cum Heraclito & Bellerophonte premuntur, qui instar filiæ novercantis fortunæ videntur quotidie amissas opes, sublatos morte consanguineos, absumptas incendiis domos, grandine contritas segetes, disruptas, vel collisas ad scopulos naves, & alia id genus lugere, & deplorare. Quænam, amabò, causa intrinseca hujus proclivitatis ad tam varios, támque sibi adversantes affectus debebit excogitari? animam rationalem non putârim, cùm hæc in singulis hominibus ejusdem speciei esse à sanioribus defendatur, & cùm proprietates extrinsecæ minimè à natura sejungantur ab individuo, cujus sunt pedissequæ inseparabiles, oporteret omnes homines jactari iisdem passionibus, quod experimentis evidentibus refellitur. Data etiam ea opinione, qua multi detinentur ad judicandum, animas ratione præditas in perfectione substantiali differre, nondum tamen enodata est omnis difficultas, cùm per ætatum varietatem in iisdem hominibus propensiones hujusmodi immutentur, & anima semper eodem persistat statu usque ad ultimos senectutis canos. Hic igitur erit præsentis

tis dissertationis scopus, ut similium proclivitatum causas intrinsecas perscrutemur.

Primò ergo dicendum, effectus istos nasci ex eo, quòd homo constet duobus elementis sibi contrariis; corpore nimirum & animâ. Dicteriis vapularet, qui ad tuendam animæ dignitatem sibi persuaderet omnem passionum perturbationem à solo nostro corpore provenire, & animam solùm ob contactum membrorum coinquinari. Universo enim orbi notissimum est, corpus ex se ipso potestatem non habere ad operationes vitales producendas; oportet igitur animam in omnibus actionibus assistere. Doctrinam hanc divinè elucidat Augustinus lib. de perfect. hominis, cap. 17. *Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit.* Complexum hoc ex materia & anima multas appetit res, modò unam, modò aliam juxta diversarum causarum combinationem, quas anima expedita ad judicandum censet non debere fieri. Et ecce jam motus contrarios! nempe illum, quo viva caro incitata ad vindictam, ad venerem, ad fugam has res non aliter, ac magnes ferrum appetit; & alium, quo anima cognoscit, non debere hæc fieri, & de facto non vult fieri, quósque oppositos motus quasi digitô ostendit Paulus, quando scripsit ad Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, nimirum inclinationes corporeas resistentes judicio dictitanti illa non oportere facere, & voluntati nolenti ea perpetrare. Non ignoravit hoc sæcularis ille, qui cujusdam veneficæ nomine ajebat:

Video meliora, probóque
Deteriora sequor.

Ambæ quidem hæ partes conjunctæ inter se sunt quasi individui duo Collegæ; nihilominus cùm unus originem suam adscribat terræ, alter se cœlo natum glorietur; ideò inter se diffidere, atque sese invicem odisse assolent. Nunc simul pacificè vivunt, & sese summo prosequuntur amore; mox querimoniæ exaudiuntur, & à querelis ad rixas prosiliunt. Nullus melior judex hujus rei assumi potest, quàm D. Augustinus, qui sanctiori vitæ propinquior bellum hoc intestinum satis expertus est. Audi lamentantem: ego, inquit, deliberabam, ut servirem Domino meo, ego eram, qui volebam, ego eram, qui nolebam, ego eram, nec planè volebam, nec planè nolebam: ideò contendebam, & dissipabar à me ipso, & ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen, ostendebat naturam mentis alienæ, sed pænam meæ. Lib. 8. Confess. cap. 20. Quia verò hoc compositum ex

parte rationali & irrationali, vocatur communi loquendi phrasiologia appetitus sensitivus, statim Philosophus videt causam efficientem pathematum à causa materiali non discrepare, eâ ratione, qua intellectus in seipso gignendo cognitiones, iisdémque in seipso mansionem exhibendo, duplicem quidem denominationem accipit; in rerum tamen natura una, eádemque res permanet. Sed quid respondendum erit his ipsis naturalis sapientiæ amatoribus, si profundiùs controversiam expendendo exquisiêrint, quænam ex his duabus partibus seditiosi passionum tumultûs magis rea sit agenda? salvo meliori iis assentior, qui animam tanquam magis ream rebellionis insimulant. Illa enim est, ex qua una cum vita oritur primariò omnis tumultus: illa est, quæ instigat corpus contra spiritum, & stulta cœcitate arma subministrat, quæ postea adhibentur ad propriam quietem extinguendam, ipsíque vulnus lethale infligendum: illa est, quæ auxilia præbet corpori inanimi, quod aliàs putredinis ac paludis acervus bellum movere non solùm non auderet, sed neque posset. Illa est, quæ utitur corpore, sicut faber malleô, aut incude, in qua format omnium perversitatum idola, & fabricatur quarumcunque voluptatum simulacra. Immeritò igitur querelis animæ defertur à Philosopho, si justi judicis partibus fungi velit, cùm corpus tot criminum, quorum accusatur, non probetur esse auctor; sed tantùm scelerum complex, solúmque animæ consilium, & sententiam fuerit secutum. Hæc de primaria passionum radice; quæ tamen, quia nondum sufficiunt ad diversissimas in eodem homine animi agitationes explicandas, ideò

§. II.

Secunda causa est temperamentum.

DIcendum secundò, proximum à certis affectibus ortum duci ex temperamento humorum. Cùm enim summa animæ cum corpore consensio intercedat, tantóque ista duo inter se fœdere sint conjuncta, ut alter alterius actiones consequatur: quis nostrum mirabitur, causam in agendo à suo instrumento, animam à corpore dependere, cùm sciamus à scriba non adeò elegantes depingi characteres, ubi calamô minùs aptô utitur? & quis negaverit, nisi fortè ille, cui ferocitas molestiorem frontem penitùs exuit, quis, aio, negaverit, illum ad iram plurimùm proclivem esse, cui bilosus humor in magna quantitate obtigerit? Quis inficia-

inficiabitur, illum, qui crasso, & tenebricoso sanguine abundat, ad tristitiam facilè mobilem? ideò Galenus in Opusculo, cui titulum inscripsit: *Quòd animi mores corporis temperamentum sequantur*, ostendit, pronitatem animi ad certos affectus ex temperamento oriri, cui postea mores accommodantur. Quia autem hanc corporis temperiem diversi diversam sortiuntur, & etiam eadem ob varias causas extrinsecas sive aëris, sive victus, sive astrorum influxus in eodem immutatur consequens est, homines ex ijsdem varia nancisci temperamenta, & cum ipsis varias infirmitates, hujus, vel illius affectus: hinc sicut varia symptomata effectus sunt diversi corporis temperamenti; ita vicissim varia corporis constitutio constituit hominem jam proniorem ad has vel illas inclinationes; ipsum autem temperamentum animalium emergit ex redundantia quadam quatuor qualitatum elementarium, caloris scilicet, frigoris, siccitatis, & humiditatis, quas in ipsis quatuor humoribus residere volunt Physici, in quantum homo aliquis esse temperamenti frigidi & humidi putatur, quando in eo hi duo humores prædominantur. Notandum igitur humorem illum, quem vulgus sanguinem appellare consuevit, non modò ex quatuor elementis constare, in quæ tamen immediatè non resolvitur: sed ex quatuor aliis succis, in quos facilè abire potest, esse conflatum; scilicet ex flava & atra bile, ex pituita, & ex eo, cui communis sanguinis nomen adhæsit. Pituitæ nomen sibi vendicat illa sanguinis portio, quæ ex chylo recenter desumpta, nec multoties circuitu per vasa corporis excocta, crudiori adhuc, ac minùs spirituosa frigiditate, ac humiditate inficitur. Purissimi sanguinis voce audit ea pars, quæ pluries per corpus circumducta, & in corde dilatata ad mediocrem subtilitatem pervenit. Illa massa, quæ per frequentiores circulationes adhuc ad majorem tenuitatem est exaltata, & magìs fervida evasit, & ad naturam calidam & siccam accessit, bilis nomen est adepta. Denique melancoliæ vox accommodatur illi substantiæ, è qua post plurimas attenuationes spirituosæ particulæ in magna quantitate sunt eductæ, atque hinc sola frigidior, crassior, & magìs terrestris, & sicca, quasi in fundo remansit. Humores isti variè inter se misceri possunt, ita ut jam unius quantitas alteram mole superet; vel ut per motum, & agitationem certæ particulæ faciliùs congregentur, & sic unitæ majori vi polleant ad æstum procreandum, quàm separatæ. Ad hoc non parùm confert organorum structura, sicut ad pulsandam chelin, vel saltandum, & canendum. Quod si itaque in mistione peracta aliquis descriptorum humorum v. g. biliosus, prædominetur totum temperamentum talis hominis ad biliosos revocabitur: totum animal verò in censum melancholi-

eorum veniet, ubi portio, frigidior, crassior, & magis terrestris abundabit. Cùm enim sanguinis massa ad nutrienda animalium membra sit ordinata, si in isto plures particulæ terreæ, & crassiores prævalebunt paucissimis ignitis, oportebit etiam illas partes, quibus in pabulum cedunt, similes morborum pravitates contrahere.

Verùm quia inficiari non possum, humorum istorum habitudinem minimè appellandum esse temperamentum, sed potiùs effectum ipsius temperamenti; cùm non ideò hic vel ille ad Melancholicorum gregem spectet, quòd in ipso plurimum atræ bilis detur: sed quia multùm atræ bilis ex alimentis in organis principaliter famulantibus excoquit, ideo potiùs in illo multum nigræ bilis atramentum diffunditur: propterea ad alia in auxilium vocanda se debet mens extendere. Crediderim igitur, eos magis veritati appropinquare, qui tuentur, illam substantiam esse temperamentum, quæ ex primitivis humoribus, ex parentum sanguine, & ex congenitis seminibus constituitur. Ex hac radice decidendum putant: an iste sanguineæ, ille biliosæ sit complexionis, quòd in prima conformatione corporis, vel sanguis, vel bilis magis convenientes obtinuerit qualitates. Cùm enim ex hac massa cætera omnia membra suo tempore formentur, illam virtutem in istis prævalere oportet, quæ in materia, ex qua fabricantur, dominiô eminuit, erúntque magis calida, quæ spiritu & sanguine abundabant: illa minùs, quæ istis carebant. Neque est ullum periculum, ne materia ista primigenia fons & origo principalium partium per continuam & valdè notabilem transspirationem deperdatur. An non enim in ipsa adulta senectute, an non in ipsis cadaveribus maculas primigenias altè infixas remanere cernimus? si in brutis, saltem imperfectis, exspiraret tota illa primigenia materia, ex qua fœtus procreatus est, an non successu temporis una cum materia in auras abire deberent omnes animæ particulæ? Certè anima materialis subjectum mutare non potest. Resultaret igitur totum novum animal adæquatè distinctum ab eo, quod primò fuit generatum. Hoc autem nec sibi ipsi persuasum habebit, qui illud dicere cupit. Tutiores nempè sunt partes illæ primigeniæ, quàm ut vi caloris nativi adeò facilè resolvantur, & evaporent; tum quia fundantur in humido radicali, non tenui, & aqueo; sed oleoso, & calido, quod adeò facilè expugnari non potest, ut sic diutiùs vitam protrahamus: tum quia agentia inimica ob præcedentem pugnam cum exterioribus membris plurimùm debilitantur, ut intima postea non tam citò superare valeant. Rectè igitur temperamentum constituitur partim in calido innato, partim in humido radicali, quod à primo ortu fœtui inhæret. Hoc humidum radicale, & calidum innatum

tum, cùm principalioribus corporis partibus inhæreat, non erit extra rhombum pauca, quæ ad rem nostram spectant ex ijs delibare, in quibus physiognomi inter se conveniunt. Dicunt igitur de medio animalis ventre, ad furentem audaciam, ad magnæ iræ præcipitantiam nata esse corda frequenti calore, velocíque respiratione dilatata: econtra timidum animal, ubi pectus glabrum, parvum, angusta vasa, tarda respiratio, exiguúsque pulsus. Imò his ipsis arbitris ex natura cordis (præsertim si hepar cum corde conspirat) totius corporis constitutio promanat, ita ut totum reliquum corpus humidum censendum sit, ubi humor cordis siccitati prævaluerit; siccum verò, ubi siccitas illius dominata fuerit. Neque malè hæc arguunt; corpus enim imitatur naturam humorum: isti calorem, & spiritus; calor autem, & spiritus cordis fabricam. Per infimum ventrem præcipuum viscus hepar, ubi nimio calore excedit, oleaginosos spiritus in nimia quantitate excitat, qui deinde sub acidi succi à liene venientis virtutem multùm obtundunt; túmque hac ratione parvum fermentum procreant, nimia bilis tum atræ, tum fiavæ copia progignitur, quæ ad Melancholicorum aut cholericorum actiones propendet. Quòd si aliquis hepar frigidum nactus fuerit, atque hinc minùs aptum ad digerendum lienis succum; primò fermentatio plurimum detrimenti patietur; inde deficiet boni chyli concoctio; & denique sanguis crudus. serosus, ac in corde solummodo in aqueum vaporem extenuatus totum corpus merô replebit serô, ex quo frigidissimo, & humido frigore phlegmaticorum actiones promovebuntur. In supremo ventre præcipua portio frons, si quadrata, & præterea aliquantùm in medio concava fuerit, magnanimitatem portendit; si verò rotunda omen proprium iracundiæ habebitur, eò quod in interioribus cerebri sinibus reverberati nimiùm spiritus, quàm plurimum inflammentur. Atque hæc tria membra principaliora habentur ad humores excoquendos, qui functionibus patheticis sunt subordinati.

§. III.

Consequuntur etiam ad operationem phantasiæ.

TErtiò communissimè mater pessimorum filiorum, passionum scilicet, est vis imaginativa. Non ipsa bonitas, vel malitia objecti prout re ipsa datur in se, sed prout coloribus apparentibus depingitur appetitui, eandem varijs aculeis affliget. Advertit hoc Aristoteles, qui lib. 2.

Rhet. cap. 5. definivit *timorem esse ex imaginatione futuri mali corrumpentis, ac dolorem inferentis; perturbationem quandam, aut tristitiam.* Inhæsit hæc ipsa sententia Senecæ epistol. 13. *plura sunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt, & sæpiùs opinione, quàm re laboramus*, miserum esse, qui se non beatissimum judicat, licèt mundo imperet, apud Poëtam Comicum invenies:

Non est beatus, esse se qui non putat.

Quid enim refert, qualis status tuus sit, si tibi videatur malus? & ne sacram auctoritatem negligamus, hoc ipsum verbis non ambiguis ostendit Regius Propheta psal. 13. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Nempè callidissimè sese imaginatio insinuat apud Principem facultatum appetitum nimirum; repræsentat illi sensuum oblectationes; intercedit apud ipsum tanquam advocatus apud judicem & suavissimè ostendendo varias necessitates, victoriam extorqueri. Nititur, auscultat anima benevolis auribus oblatas preces, non examinat pondera rationum, & ne tristem discedere patiatur, in illius favorem pronuntiat sententiam. Ita est, nimis citò accedimus argumentis apparentibus, non refutamus illa, nec excutimus; sed trepidamus, & sic vertimus terga quemadmodum illi quos pulvis pecorum fugâ excitatus castris exuit.

Certè quando contemplor animam corpore tanquam carcere conclusam intimis visceribus commoveor ad compatiendum illius statui, in quo non veritati, sed mendaciis à fallacibus sensuum nuntiis assentitur. Divinus iste spiritus undequaque materia tanquam muro circumvallatus plerumque non gaudet alia cognitione, quam quæ per viam aurium, & oculorum derivatur; isti enim videntur potissimùm ministri esse destinati ad eruendam scientiam. Sed quæ utilitas ex ipsis? illudunt nobis dolosis narrationibus: non considerant aliud nisi rerum apparentiam: hærent in superficie accidentium, nec ad interiorem substantiam penetrant: ita ut magis conduceret esse cœcum, quàm perfrui visione tam fallaci & obscura; ut melius esset, in ignorantiæ tenebris delitescere, quàm accumulare tot ac tam perniciosos judiciorum errores. Analogiam hujus rei non ineptam nobis exhibent Platonici. Tenet populus solem nobis maximas afferre utilitates, quando ascensu suo supra Horizontem conciliat iterum universis pulchritudinem, & splendorem, quos tenebræ malignè subduxerunt. Philosophis verò istis auctoribus orbi nostro plus detrimenti, quàm lucri ab illius præsentia obvenit, propterea, quòd detegendo terram recondat cœlos, & quando oculis indulget aspectum pratorum liliis, rosisque vernantium, retrahat ordinatissimos stellarum

choros

choros & pulcherrimam mundi partem abscondat. Ita sensus sublimium rerum contemplationem impediunt, econtra vilium objectorum cognitionem ita concedunt, ut tamen veritatem nunquam integrè manifestent. Quid igitur mirum, si in schola tam cæcorum magistrorum non nisi stultas hauriat apprehensiones? si ex tenebris non nisi umbras? quid mirum, si ex falsis opinionibus inde nascantur appetitus tam inordinati?

Circa hanc tamen passionum causam duo animadvertenda. Primum est, mendaces imaginationis suspiciones non tam constanter durare, quàm latè sese extendunt; aliàs nimiùm infelices nasceremur. Immutantur igitur apprehensiones vix non singulis momentis, nascuntur, & pereunt vix non eodem tempore, & quod phantasia nunc ambobus brachijs amplectitur, illud pari iterum facilitate reijcit. Unde autem oritur, quòd apprehensio rei vivacissima, & altissimis radicibus inhærens in momento dispareat? accipe. Sensibus tanquam fulcro innitebatur, qui cùm, sicut sagarum specula, res exhibeant, quæ ipsis placent; ideo tam subitanea subsequitur priorum irritationum ruina, & interitus. Alterum quod observo, est, ipsam opinionem non pollere virtute movendi propriè tali ad tempestatem pathematum; hoc enim solis rebus terminantibus apprehensionem competit; neque phantasma est, de quo lætamur, aut contristamur, ad eum modum, quo corpus calefit aut rigescit vi calidi, aut frigidi sibi applicati, & non etiam vi ipsius applicationis. Solum igitur imaginationis actus verus, vel falsus excitare potest lætitiam, vel tristitiam, tanquam vera causa quatenus per cognitionem reflexam inspicitur, atque ita transit in rationem objecti præsentis aut boni, aut mali.

§. IV.

Accenduntur etiam à voluntate.

Quartò passionum seditionem non antecedit sola imaginatio, sed eadem quandoque præeunte intellectione, imò ipso voluntatis arbitrio accenditur, & hæc duo quidem ad ordinem rectum hominis conservandum semper antevertere debuissent, ut semper præivissent, passionem saltem vehementiorem, si homo integritatem, & innocentiam originariam custodivisset. Cæterùm voluntas ipsa arbitrio suo non immediatè & proximè in ullo naturæ statu passionum fluctus extollere potest.

Quis

Quis enim ex mero libitu imperare fibi cum effectu poteft, ut amet, ut triftetur, quemadmodum poteft movere corporis artus? petitur igitur neceffariò cognitio congruens, ad quam proximè voluntas determinet, ut exinde appetitionis motus fuccedat. Hanc cognitionem prælucentem duplici via voluntas obtinebit. Et primò quidem imperando ipfi intellectui, ut paulifper à fpiritualium contemplatione curam avertat, séque ad fenfibilia bona non tantùm in communi, fed etiam in particulari perpendenda applicet. Hoc autem fi fiat, potentia intellectiva non folùm amorem, odium, triftitiam, aliósque affectus fpirituales in voluntatem inducet; fed amorem, odium, triftitiam aliáque pathemata in ipfam facultatem appetitivam invehet. Reclamant contra hanc fymptomata excitandi methodum Cartefiani ftrepitu ingenti, eámque mirâ explodunt acrimonia: fed cùm ipfe appetitus fenfitivus in eadem animæ rationalis fubftantia radicetur, quid deeft, quo minùs intellectus appetitui lucem ad fuas operationes præferre poffit? Fateor tamen alteram, quam ipfi agnofcunt, rationem inducendi paffiones per voluntatem: naturæ agendi modo magis conformem, magífque ordinariam effe; & ideò hanc paucis declaro. Ubi intellectus à voluntate, dominante fua regina, imperium recepit, ad fenfibilium confiderationem incumbendi, ipsíque tanquam fubditus morem geffit; de lege ordinaria traducetur etiam in ipfam phantafiam cognitio aliqua, quæ quidem fua perfectione non adæquabit fplendorem cognitionis fpiritualis, fufficiens tamen lumen præbebit animali facultati. Inde fequetur diftinctus motus in fibris plexûs retiformis, qui in mufculos potentiæ motrici famulantes deducetur, reliquásque partes fimili affectione folicitabit.

§. V.

Procreantur quintò ab affuetudine.

QUintò denique ad progenerandas has animæ ægritudines plurimùm efficaciæ affert affuetudo, quæ habitum inurit facilitantem ex parte appetitûs ad actus fimiles depromendos. Annumeranda eft hæc caufis intrinfecis, eò quòd inolitam habituum proclivitatem difficillimum, fi non prorfus impoffibile, fit deponere, illáque infeparabiliter inexiftat, quafi altera natura. Non pudet me hanc veritatem ex Ariftotele defcribere, apud quem lib. 1. Rhet. cap. 11. ita lego: *quod ufitatum eft quafi jam innatum effet, gignitur. Nam cùm fæpè ipfum ipfi femper*

pro-

propinquum sit, & ipsius quidem semper natura sit, ipsius verò sæpè consuetudo, naturæ consuetudo similis est. Ut more meo rem similitudine explanem, non omnino ineptam plantarum genesis subministrat. Quemadmodum enim ad vegetabilium productionem quatuor concurrunt, ipsum solum, semen, planta, & fructus: ita ex totidem principiis affectuum seges succrescere solet, temperamentum, & indoles à natura insita non malè solum nuncupabitur; primi actus, qui ex eo resultant, semen includunt; habitus ex frequentioribus actibus suborti semina quasi in plantam extendunt, ex quibus consequentes operationes velut fructus dependent. Sicut seminis granum, licèt valdè exiguum, si fertili inseratur agro, procreabit plantam suæ naturæ conformem; sic actus animæ, quamvis fugax, & tenuis, sui vestigium permanens relinquet, erit surculus imperfectior, non autem habitûs vocabulum explebit; fragilis, instar virgulæ, facilè aut exsiccabitur, aut evelletur, & operationes, quas efficiet, adhuc aliquam difficultatis acerbitatem sapient, ut fructus nondum maturi. Quòd si cum tempore altior excreverit, si actibus frequentioribus magis fuerit consolidatus, & usu firmatus, ita robustè resistet, ut eum nec facilè vis externè illata, nec tempus longissimum sua falce radicitùs exscindere possit. Unde monet Horatius lib. 1. satyr. 3.

Te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala. Namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.

Sed quid opus metaphoris ad deterrimam vim consuetudinis comprobandam, ubi longè graviora demonstrant potentiam illius ad effrenes, & indociles passionum furias producendas, sufficiat dicere, inveteratam consuetudinem ipsum temperamentum adeò pervertere, ut subinde vix ampliùs prima lineamenta appareant. Sic domesticus Licurgi canis venationibus continuis exercitus, & canis venaticus lautioribus epulis assuetus, cùm ambo in forum ad copiosam multitudinem producerentur, venaticus ad expositas accurrit escas, dum domesticus leporem est persecutus. Sufficiat tam ardui operis rem esse imbutum sinistro habitu animum eradicare, ut si non omnem sudorem sterilem reddat, saltem duplicatum laborem requirat. Sic Timothæus insignis cytharæ pulsandæ Magister duplicatum exposcebat stipendium ab illis discipulis, qui à rudiori professore initia hujus artis didicissent. Denique consuetudo tam tyrannicum exercet imperium, ut vix ipsi voluntati, reliquarum licèt potentiarum imperatrici regnandi habenas concedat.

Sed inquies, nihil tritum magis apud ſcholaſticos, quàm habitum acquiri, intendi, ac per repetitos actus radicari: te lucem uberiorem expoſcere, unde ex habitu tanta proclivitas ad varios affectus? quomodo eadem potentia motrix neceſſaria eodem prorſus organô inſtructa, nunc ſumma cum difficultate, nunc iterum cum maxima facilitate in actû erumpere poteſt? an fortè concurret ad talem motum peregrina quædam qualitas? reſpondeo, hæc tam aſpera non eſſe, ut lævigari non poſſint. Nempè fibræ corporis animalis repetitis motibus facilè aſſueſcunt; quod clarè perſpicies ad quaſcunque corporis partes, oculos convertes. An non crebra ſaltatio pernicitatem conciliat pedibus? an non frequens fidium pulſatio agilitatem digitis manuum? an non guttur ad canendum, lingua ad loquendum, ſtudiô, uſu, artéque facilitatem aquirunt? nimirum ubi eadem determinatio ſæpiùs accedit, jus quoddam, ut ſic loquar, in organum ſibi arrogat; id eſt, certis veſtigiis illud affectum relinquit. Sic virga in eodem ſitu diu retenta, vix ab eodem deinde amoveri poterit: ſic brachium in tali, vel tali ſitu per vim adactum, in alium ſine ſenſu doloris nequit adduci: ſic oculus, qui viridem duntaxat colorem diù videret, eò quaſi colore imbueretur. Ita etiam non in lubrico fabricam exſtruit, qui docet, fibras, quæ paſſionum motibus inſerviunt, ubi ad talem, vel talem motum v. g. iræ, frequenti affectione ab objectis traducta determinantur, eandem determinationem ſibi familiarem facere; ea quaſi imbui; ad eam ſe ſe componere, ubi deinde vel modicus affrictus ab extrinſeco accedet, quis ambiget, eas ad motum v. g. iræ ſtatim determinari, cùm eam affectionem jam quaſi induerint? non video planè, quid contra hanc exſplicationem inſolubile pugnet.

Expoſita ſic natura conſuetudinis, jam tecum ipſo ratiocinare, quantam vim ineſſe oporteat vegeto habitui ſemel aſſumpto. Videbis luculenter affectus oppoſitos eſſe maximè arduos, eóſque non niſi per vim extorqueri poſſe: contra verò actus, qui ex indito ſequuntur uſu, adeò facilè profluere, ut quaſi minimè cogitantibus excidant. Saxum cogita, vel quodlibet corpus grave in plano declivi poſitum: vix minimo digito attactum deorſum præceps agitur; tanti etiam eſt animum paſſionibus aſſueſcere; minima nempè affectio ab extrinſeco proveniens ſufficiet ad fibras organi determinandas, & illicò potentia in actum prorumpet. Ante hanc radicem jam nobiſcum naſcitur fomes, ſive putridus fons animi fluctuum; dum creſcimus, inimicus iſte noſtris viribus ſuas adauget; nec debilitatur, niſi ubi decrepita ſenectute incurvamur; non extinguitur, niſi poſtquam nos ad mortem deduxit, & nobiſcum occumbit,

cumbit, cum hoste hoc primis annis gerere oporteret bellum, quamvis non nisi serò finiendum; oportet etiam cum damno nostrarum virium illius arma infringere. Quantæ igitur stultitiæ reus fiet, qui adversario suo auxiliares copias submittet? qui nutritis habitibus inimicorum numerum augere non negligit? consulat Augustinum in psal. 57. ubi hoc ipsum deplorat: *Cum concupiscentia natus es, ut eam vincas, noli tibi hostes addere; vince, cum quo natus es. Ad stadium vitæ hujus cum illo venisti; congredere cum illo, qui tecum processit.*

DISSERTATIO V.
De causis extrinsecis passionum.

§. I.
Constitutio parentum.

CAusæ extrinsecæ, juxta præsens institutum illæ dicuntur, quæ extra animal constitutæ, movent, aliciunt, exhibéntque fomenta, concipiendis affectibus opportuna, quæque plerumque ipsum temperamentum accendunt. Ex pluribus contenti erimus aliquibus, inter quas primum locum merentur parentes. Cohæret hoc apprimè sacris codicibus, ubi Esdræ cap. 9. lib. 4. legimus: *Qualis ager, talia & semina, & quales flores, tales & textura.* Calculum suum addit Philosophus, dum lib. 3. Polit. cap. 8. definit: *Consentaneum est ex melioribus ortas esse meliores.* Notat etiam lib. 1. cap. 4. quòd sicut ex hominibus homo, & ex bestiis bestia generatur, ita ex bonis parentibus, ut plurimùm bona editur proles: ut è converso ex malè moratis genitoribus pessimi oriuntur filij. Et ne Poëtarum effata nobis minùs faverent, sic ludit Horat. lib. 4. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in juvencis, est in equis patrum,
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Insedit hæc opinio adeò populis, ut communiter dicatur: *sæpè solet similis filius esse patri.* Limitatur tamen adagium; quia non nunquam contrarium evenit, præsertim in Principibus, qui raro ijs delectantur, quibus eorum parentes fuerunt occupati. Quid autem dicemus homi-

nes ad ita ſentiendum permoviſſe, non aliud, quàm quòd filii una cum ſanguine, ut plurimùm velut hæreditario jure recipiant etiam parentum temperamentum, quod ad hunc vel illum affectum magis inclinat, ideò ſapientiſſimè Plutarchus progenitores monitos voluit, ut magna cura & circumſpectione utantur conjugali licentia, ne intemperantem laſciviam poſtea luere impudentes cogantur proles. Achilles inter mollities filiarum Lycomedis, regis inſulæ Scyri educatus, adeóque delitiis quaſi effœminatus, nihil de belli certaminibus cognovit: at Ulyſſe ipſi monilia, & oſtrum repræſentante, inſita à parente indole prælegit arma, & ſcutum, opportuna ad mollienda fortium virorum facta, quæ tamen nunquam viderat. Quòd ſi quis, his non obſtantibus, negare præſumeret, habitudinem noſtri corporis nos majoribus noſtris debere; digito tantùm ipſi demonſtrandæ eſſent maculæ, & caracteres, quos ſola vehementior matris imaginatio fætui imprimit; & quî ſe talis expediret, planè neſcio.

Plurimùm etiam cenſetur momenti habere lac, quo parvuli aluntur, non tantùm, ut ex alimento infantes variam contrahant, ad multas paſſiones propenſionem, ſed ad ipſam etiam brutorum naturam caſtigandam. Quis enim neſcit, felem, à cane lactatam, & propterea minus aggreſtem, ac infidam evaſiſſe, quod à ſe viſum Cardanus refert? plusquam notus eſt puer, qui diù lacte ſuili nutritus, jam grandior natu factus, gaudebat in cœno volutare, moréque porcorum vorare. Audivimus non ſemel alium, quem capra diù lactavit, jam adultum virgulta avidè corrodere, & caprarum more ſaltitare conſueviſſe. Reprehendendum igitur illud, ut ita dicam, dimidiatum matrum genus, quæ cùm per novem menſes proprium aluerint fætum; cùm primùm poſtea eundem in lucem ediderint, eundem neglectim aliis mulierculis, non rarò valdè ſagacibus nutriendum tradunt, quamvis diu, noctúque matris officium implorantem audiant. Redarguendæ ſunt, quæ propriæ pulchritudinis venuſtatem novercali ritu ſobolis utilitati præferunt, ipſíque vitalem fontem exſiccant. Celebratur ab Apoſtolo vidua, eò inter Chriſtianos nomine digna: ſi ipſa filios enutriat; non ſufficit peperiſſe, ſed ſi *nutrivit*. Magnus enim honor matrum lactare, & fovere, quam ediderint prolem, non autem editam ad extraneas abijcere. Ipſa naturæ ſolertia eas admonet, ne corpus ingenitis primordiis benè inchoatum degeneri alimento alieni lactis corrumpere permittant. Poſtquam enim, ſanguine oppitulante, in penetralibus ſuis corpus fabricatum eſt, adventante jam partûs tempore, in ſupernas ſe ſe partes profert, ut præſtò ſit ad fovenda rudimenta, & recens nato victum notum

tum & familiarem offerendum. Non igitur frustra creditum est, quod sicut valet ad fingendas corporis, & animi similitudines naturæ seminis; ita non secùs ad eandem rem lactis ingenium & proprietates valere.

§. II.

Promovent passiones esculenta.

PRoximam sedem occupant esculenta & poculenta, quorum vis non modica ostenditur ad varios ciendos affectus. Si enim diversa plantarum genera ex diversitate tum terræ, tum aquæ progigni cernimus; si videmus quotidie animalia, ut aves, pisces, & quadrupedia multùm diversam pro alimentorum diversitate naturam consequi; quis inficiabitur, ex cibo, & potu, in propriam viventis substantiam transeunte, varia consurgere temperamenta apta ad pariendas varias pathematum cohortes? non, non, sunt mera ludibria præstantissimorum virorum effata, quando testimoniis suis palam faciunt, sanguini augendo aptissimum alimentum futurum panem recentem, eúmque albissimum, probéque coctum: ova tremula, carnes juniorum animalium &c., aquam puriorem fontanam, vinum generosum salubriter dilutum. Non præcise ad auctoritatem suam tuendam, ut sæpè in aliis assolent, medici vetant alimenta crassa, duriora, & terrenam substantiam olentia, ad quæ spectant panis ater, & furfaceus, vinum nigrum, & crassum, aquæ turbidæ, & limosæ, legumina, caseus antiquus, carnes bubulæ, leporinæ, suilis, præcipuè fumô induratæ, pisces acetosi, salsi &c. His enim melancholicum humorem augeri fixum habent. Credendum ipsis est, ut alteri cuilibet in sua arte, quando docent, frigida & humida, qualia sunt fructus, olera, lacticinia, aquæ haustus &c. facili labore in pituitam mutari: quando tuentur, nimiâ ciborum copiâ calorem nativum obrui, cruditates gigni; quod etiam accidere volunt, si cibus statim à somno, vel immediatè ante somnum, aut ante priorem cibum excoctum sumatur. Denique si ex ipsis intellexeris, calidos & siccos cibos, vina generosa, alimentorum defectum, bellaria in fine mensæ assumpta, & similia in biliosum sanguinem amarescere, ipsis ut fidem adhibeas, suadeo; aliàs facile ipsis erit, iram in te potione medica evomere. Jure igitur Plato lib. secundo de legibus interdixit pueris vini potum usque ad annum duodecimum, eundémque tantùm permisit senibus ad discutiendam temperamenti frigiditatem temporis lapsu contractam. Non

 imme-

immeritò hunc ipsum tanquam venereo igne plenum prohibuit juvenibus, ac iisdem toties parsimoniam in victu, & potu, tanquam rem mittigandis affectibus maximoperè aptam, commendavit. Sufficit nempe corpori malitia sua à natura contracta; quid flammæ ampliore materia opus est, aut belluæ copiosiore alimento, ut effrænatior reddatur? neque verò alimenta duntaxat, cùm in substantiam viventis transeunt, per nutritionem pronitatem ingenerant ad certos affectus qualitatibus ipsorum ciborum consentaneos; sed etiam priusquam convertantur in substantiam aliti, idem plerumque præstant, immutato per virtutes suas viventis temperamento, unde illa ad passiones inclinatio derivatur. Ita perspicuè Philosophus sec. 30. probl. verbis istis: *Vinum enim immodicum tales maximè homines reddere videtur, quales melancholicos esse affirmamus, morésque varios id condit, cùm bibitur, ùt iracundos, humanos, misericordes, audaces: quorum nihil mel aut aqua, aut lac efficere potest.* Hæc fusiùs prosequitur, & inter alia illum Homeri versiculum recitat:

Me victum Baccho lachrimas effundere dicunt.

Exscripsi hæc verbatim; quod quia feci non illaudato Principe Philosophiæ, vitio mihi non ferendum timeo.

Ad alimenta proximè accedunt pharmaca, quæ extrinsecus ingeruntur, quæque non modicam vim habent ad passionum agmen advehendum. Conventum enim est in templis medicorum, magnum esse usum alexipharmacorum ad frænandos passionum morbos ex humorum intemperie concitatos. Receptum est à communi omnium pocula medica plurimum conferre, ad functiones cognoscitivas expeditè & salubriter exercendas, cùm phantasiæ organum impuritate humorum illud gravantium liberetur. Hoc certè insedit animo Carneadi, qui disputaturus priùs caput Helleboro purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilium animæ redundaret, vigorémque, mentis labefactaret. Hoc etiam sentiunt Professores Theologiæ de moribus dictæ, qui suadent scrupulo insanientibus, ut atram bilem adhibitis evacuent remedijs. Cur ergo medicamenta hac virtute careant ad passionum ardores suscitandos? planè eadem arte medica humor ex variis corporis partibus poterit prolici, & medicamentorum varii haustus cum illo permisceri, ac ita diversimodè efficere, ut opportunus evadat, ad hanc vel illam symptomatum ægrotationem protrahendam.

Ad hoc genus causarum pertinent amatoria pocula, quæ philtra vocantur, quæque eò sunt nocentiora, quò magis corpori applicata. Sic primò minus virium obtinebunt mixturæ ex variis radicibus, metallis,

mem-

membrísque animalium compositæ, certísque ligaturis involutæ, ubi hæ tantùm sub chlamyde, vel inter lectuli plumas vel sub ostii limine fuerint abscondita, de quibus Propertius lib. 3.

Improba non vicit me moribus illa, sed herbis:
Staminea rhombis ducitur ille rota.
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt.

Si medicatis frugibus bellaria, è Dœmonum conviviis relicta, cibô potúque misceantur, & ad interiorum viscerum contactum penetrent, non solùm in Veneris furias pellicient, sed etiam valetudinem, & mentem à statu suo deijcient. Advertit hoc propter suam obscœnitatem in exilium relegatum Poëtam:

Nec data profuerint pallentia philtra puellis,
Philtra nocent animis, vímque furoris habent.

Scio hujusmodi lethæos succos, vèl vestibus affrictos, vel corpori infusos, vim suam potissimùm haurire ex pacto cum Dœmone inito, & plurima tantùm deservire declarandæ fidei conventorum, ac ne malefici decipiantur, præbendo, (ut dici solet) quid pro quo: nihilominus quia, si non misceantur omnino toxica, certè absurdissima quæque adhibentur, quæ sine aurium offensione dici non possunt, & quorum solus odor equas in furorem adigit, ideo ipsa philtra secundum se quoque virtute pollent ad imaginationem perturbandam, humores concitandos, totúmque corpus æstrô quodam accendendi. Expertus hoc Caligula Imperator, & Neronis avunculus, quem à Cesonia simili potu interfectum scribunt Josephus, Suetonius, & Juvenalis. Expertus hoc Lucretius (Poëtáne, an Phylosophus magis?) quem primò dementatum, deinde furoris impatientâ se ipsum interemisse testatur Eusebius. Et ut sexcenta omittam, damnô suô hoc didicit Lucullus, quem primò actum in furorem amatorio toxico, mox etiam interemptum Plutarchus prodidit. Ex quibus sufficientissimè liquet, tametsi atrocissima hæc scelera nec Omnipotentis offensam, nec juris Pontificii, aut Cæsarei pœnas secum traherent gravissimas; attamen ingenuum animum, vel umbram illorum debere perhorrescere. Sit enim, quod effectus obtentus per illa non careat omni jucunditatis & gaudii gradu; erit tamen amor veneficiô nefando extortus amarissimus, turbidissimus, & non secus quam pisces medicamento capti, insipidus evadet. Tandem non minùs oblectamenta hæc magica effectum suum obtinent in odij colubris procreandis, quàm in amoris fædi inflammandis tœdis. Superi boni! sæpiùs nimiùm contingit, ut personæ conjunctissimæ nulla præeunte injuria, odiis inter sese

fla-

flagrent acerbissimis. Obruit frequens hæc infelicitas præsertim conjuges recens sociatos, quando conjugii potentes patiuntur emulos; adeò ut in uno, & altero loco vix audeat quisquam clara luce matrimonii celebrare solennia, ne quis pessimus conjugatorum votis iludat. Ac ne naturalis aliqua offensionis & discordiæ causa occurrere fingatur; plerumque evenit, ut cùm longè absunt, se invicem diligant, & conjunctione frui exoptent ardentissimè: cùm autem ejus facultas per præsentiam suppetit, eam quàm impensissimè exhorrent.

§. III.

Promovent easdem etiam dœmones.

AFfinitatem cum prolibus suis, scilicet Philtris, proximam habent dœmones, qui corporis humoribus implexi plures in humanis membris excitant fluctus, plerumque decumanis sæviores. Non est ipsis necesse aliunde fucata emendicare subsidia ad hominem pervertendum; sufficit, Euros, notósque passionum immittere, ut tristesequatur naufragium. Hoc autem ipsis perfacilè accidit ex duplici capite, tum exteriores sensus, præcipue visum, qui rex sensuum appellatur à Philone, circumveniendo; tum interiorem aciem imaginationis excæcando. Et primò quidem de externis sensibus, quibus utuntur, tanquam emissariis, qui in veterum monumentis legerit, dœmonem sub forma leonis apparuisse Sanctis Anachoretis, & erectis pedibus prioribus ungues utrinque illorum malis inflixisse, ut sic à longiori orationis prorogatione deterreret; qui audierit eundem sub specie draconis circumfusum, torrentes flammarum integros evomuisse, ut sic contemplationis dulcedinem exsiccaret; qui hæc, inquam, & similia audiêrit, non dubitabit, mediantibus sensibus atras passionum nubes conglomerari posse. At quomodo hoc obtinebunt? aio, vel permutatione in ipsoobjecto facta, adhibita celerrima ejus agitatione; vel occultatione, prout contigit Iphigeniæ dœmonum interventu subtractæ, & cervâ in ejus locum reposita; aut mutatione facta ex parte medii, quæ secluso quovis alio intelligentiæ artificio nobis plerumque est causa hallucinationis, ut fit, quando subitò convivæ trunci, aut asininis apparent auribus; vel denique per variationem aliquam potentiæ, sive illa contingat per localem partium mutationem, ita ut organum compingatur, sive alicujus humoris, sive obstructis spirituum animalium meatibus. Humor enim

sangu-

ſanguineus, vel luteus oculis affuſus eô modô cauſa eſt, ut omnia ſimiliter colorata videantur, ſicut per vitra rubra omnia purpurea, & ictericis omnia flava apparent. Et hæc quidem de oculo, verô corporis noſtri ſole.

In auditu non excedit facultatem malæ intelligentiæ, vel ſuavi voce blandiri, vel horriſonâ deterrere; quia varietas, quæ inter has voces cernitur, non niſi ex certa aëris fractione proficiſcitur. Quæ aëris diſſectio non eſt illorum potentiæ deneganda: poterunt igitur mugire ut boves, balare ut oves, pippire ut gallinæ, barrire ut elephantes, gingire ut anſeres, ac demùm loqui ut homines. Et hæc quidem non ſolùm poterunt efficere hujusmodi animalium paſſivè tantùm ſe habentium organa movendo, & ad effingendam vocem eis connaturalem adigendo, ſed valebunt etiam vocem unius efformare per organa alterius. Dubitare de hoc nos non ſinit ſerpens, qui cum Eva in paradiſo adeò infelicia miſcuit colloquia; non ſinit aſina Baalam; quæ propter diffluentem, in tanta rictûs latepatentia, aërem, emiſſum priusquàm aptè refringatur, inepta valdè eſt ad voces humanas ritè effingendas. Addi poſſunt alia, utpote, quod per idolorum imagines, ſtatuas, arbores, & aquas, ſæpenumerò dæmones locutos fuiſſe ſciamus, niſi circa odoratum pauca quædam occurrerent.

De hoc conſtat ex noſtro Philoſopho lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. 5. odores propter inditam à calore levitatem ad altiora cerebri penetralia aſcendere, ut illud ſalubrius habeat. Cùm igitur aliunde ſciamus, ſolum hominem inter reliqua animalia ob cerebrum proportionaliter ampliſſimum & humidiſſimum ſiccioribus odoribus affici; quis prohibebit dæmonibus, quin talibus allatis ingentem delectationis ſenſum in homine commoveant? ſic contingere res poterit ſagis, quando in fætidiſſimo loco, tanquam in fragrantiſſimo horto per integram noctem verſari videntur. Quamquam ſæpiſſimè per vehementem in interno ſenſu odoris perceptionem iis imponatur, qui ſe illius ſuavitate perfrui arbitrantur. Neque crediderim odores illos recens productos applicatione novi alicujus activi ad paſſivum, quam una cum reali ſubſtantia, in qua præexſtiterunt, aliunde apportata transfuſos fuiſſe. Simili prorſus impoſturâ deludi poſſe guſtum, probant convivia, quæ Numma ementiebatur. Hæc ciborum genera, ſive ſolida fuerint ſubſtantiæ, ſive inanitate plena; certò ſalivam, & cum hac corporis attemperationem animare poterunt ad partum variorum affectuum.

Venio nunc ad ea, quæ maligni iſti Spiritus in ſedem internam animi poſſunt. Et poſſe ſanè non pauca interventu commotionis, &

G ſpi-

ſpirituum, pluſquam dolendum eſt. Hinc enim illud effatum Caldaicum, quod proditur ex penu Zoroaſtri emanâſſe: *Tuum vas feræ terreſtres habitabunt* &c. quod ſacri interpretes explicant de dæmone, varios in corpore humano motus ciente. Vas volunt eſſe compoſitam naturæ humanæ conſtitutionem; feras terreſtres malignos ſpiritus in orbe circumvagantes: adeò ut cor noſtrum malis ſcatens affectibus, quaſi inhabitetur ab hiſce beſtiis commoventibus ſanguinem, calorem, ac ſpiritus. Cor humanum à dæmone ſic percitum elegantiſſimè depingitur ab Iſaia cap. 13. qui non aliud adumbravit, quàm pectus humanum variorum affectuum feris dilaceratum, ubi præſagit: *Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi ululæ in ædibus eis & ſirenes in delubris voluptatis.* ubi per piloſos ſeptuaginta interpretum verſio aliud non intelligit, quàm dæmones audaciâ ſuâ quaſi hirſutos. Et verô ſi non tranſcendit efficacitatem dæmonum, ventorum vim imprimere, aut cohibere; tempeſtatum, & maris inundationem immittere, vel firmare, quod eorum operâ Empedoclem feciſſe, conſtat ex propriis verſibus:

Indefeſſorum ventorum flamina tolles,
Qui ſpirando hominum perdentes arva fatigent.

& rurſus,

Cúmque voles eadem tu rurſus flamina pones.
Induces media de tempeſtate ſerenum.
Induces media pluvias æſtate ſalubres &c.

Si item facilè nobis perſuadetur, poſſe ab intelligentiis malis induci ſanitatem, aut morbum, ita ut tempore ſomni in quorundam hominum membris ſe ſe inſinuent, ibique gloriam ſuam fabricentur; in publico verò omnium conſpectu ab ægris avolent, & morbum ipſorum dolô productum oblitterantes, homines iterum priſtinæ reſtituant valetudini: ſi, inquam, hæc de tempeſtatibus inductis, de morbis etiam peſtiferis excitatis, nobis facilè perſuadentur; non eſt ambigendum, eoſdem non minorem phreneſin in ſenſibus internis accerſere poſſe.

Modus autem, quo hoc obtineant, à Gabriel. in 2. D. Q. 2. art, 3. deſcriptus, neſcio, an ritè rem exponat. Exiſtimat ille ſpecies interni ſenſus ab intelligentiis iſtis transponi, ac moveri, quod non poteſt convenienter dici. Vel enim hæc phantaſmata inſident ipſi cerebro? at cùm hoc vivat, & cum partibus fixis, & ſtabilibus continuetur, non poterit, vivo animali, ſubire eam transpoſitionem. Vel ſpecies

cies aliquæ sensus interni inhærent spirituum humoribus? at, ut hoc negetur, me movet primò, quòd spiritus isti per transpirationem continuam intra breve spatium avolent; species verò multis annis persistant fixæ. Item hac transspiratione admissa videtur impossibile explicatu: cur dæmon non posset spiritus phantasmate fætos ex uno capite in aliud transportare; atque adeò obtinere, ut cæcus à nativitate, verè, & legitimè sibi imaginaretur colores, surdus sonos, & sic de aliis, quæ meritò à S. Thoma Quæst. 16. de malo art. 11. ad 9. refelluntur. Malim ego dicere: res, ad quas dœmonum industriâ cogitandas mens instigatur, priùs fuisse sensu perceptas, ut patere videtur ex eo, quòd nunquam adducant cæcos à nativitate, ut sibi colorum varietatem imaginentur, neque surdos, ut sonos percipiant; sed quæcunque exhibere procurant, fuerunt antè percepta, & eorum species in phantasiæ cellulis asservantur. Cùm autem hæ humorum nimio plerúmque affluxu sopiantur, alitérve impediantur, facilè erit malignis spiritibus, vel absterfione humoris, vel alterius corporei impedimenti ab actione, aut certè novi humoris ad hoc, velut illud cogitandum opportunioris affusione species quasi à somno excitare. Hoc autem ut obtineatur, non opus est, machinas, nescio quas confingere. Sola potentia locomotiva dœmonum sufficiet ad humores variè permiscendos, vel ad cessandum ab ea agitatione. Ubi verò phantasia semel facem appetitui sensitivo prætulerit, hic statim tanquam potentia necessaria totas ei manus dabit, & in amplam voraginem putridarum nequitiarum pertrahetur.

§. IV.

Procedunt etiam ex aëris qualitate.

SEquitur qualitas aëris, quam quis assiduè haurit; inde enim certam proclivitatem ad pathemata oriri, immutatô per aërem corpus subeuntem, aut corpori appositum, temperamentô, adeò commune est Auctoribus, ut ingens nominum syllabus totam impleret paginam. Approbat hoc meus Antesignanus, Aristoteles. 7. Polit. cap. item 7. & sect. 17. problem. tradit hoc latissimè Hippocrates lib. de aëre, locis, & aquis. Vidit hoc Rex Cyrus, qui volentibus Persis aërem persicum ob regionis incommoda commutare amœniore, negavit transmigrationis facultatem, dicens, & plantarum, & hominum mores, pro regionum varietate effici varios. Dividamus, si placet totum terraqueum globum in sua cli-

mata, & zonas; & primò quidem septentrionales, atque australes, seu populos duobus polis viciniores exploremus. Approbabimus statim Senecæ effatum lib. 2. de ira cap. 16. in frigora, Septendrionémque vergentibus immansueta ingenia sunt, & ut ait Poëta, suóque simillima cœlo. Assentiemur versibus Lucani, lib. 8.

Omnis in arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.

Zonæ torridæ subjectos, seu proximiores æquatori, si lustrabimus, deprehendemus, regiones has procreare homines moribus temperatioribus, crudeles nihilominus, timidos, & astutos, ut iterum ex Lucano loco cit. audio:

Quidquid ad Eoos tractus, mundíque teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

At unde timoris effectus in Meridionalibus, & audaciæ augmentum Borealibus, & Australibus? ex hoc capite. Timor oritur ex frigiditatis complexione, ideóque cum timore percellimur, frigus sentimus; audacia verò ex calore provenit; unde qui suis viribus magnâ audaciâ confidunt, calorem experiuntur. Cùm autem naturæ providentia dederit corporibus naturalem complexionem locis contrariam ita, ut, qui incolunt loca frigida, abundent temperamento calido ad resistendum frigori, & ij, qui habitant in calidis gaudeant complexione frigida, ne calore interno ab externo æstu aucto animal succumbat; ideò captu difficile non erit, cur uni ad timoris, alii ad audaciæ passiones sint proniores. Si hoc non arridet dicere poteris, diminutionem caloris in hominibus minùs dissitis à linea æquinoctiali oriri ex nimia ejusdem evaporatione per poros ab intensioribus solis radiis apertos: econtra majorem illius copiam faciliùs contineri ab intensiore frigore poros septendrionalium constipante, & ignes innatos ad centrum propellente. Si ulterius in eodem clymate reflectamus iter ad regiones maritimas experiemur illas, quantumvis aliàs calidas, viciniâ pelagi moderata temperie clementiores evadere ob continuum ventorum motum. Ubi deinde ad montosas plagas nos contulerimus, ut plurimùm obviabunt nobis incolæ, uti masculo robore, & torosis lacertis prædìti, ita audaciâ magis insignes. Nanciscuntur nempe sicciorem, & validiorem indolem, vel quia illos aër, à vaporibus ex uligine corporum progenitis purgatior, continuò afflat; vel quia vehementiores flatus montosis incolis valdè familiares plurimùm conducunt ad ferociores animi impetus, ut montium asperitatem hominum ingenium referat. Singulorum locorum constitutiones non vacat expendere, quamvis non deessent multa ad disserendum de eorum inæqualitate; sed res est invidiæ nimis exposita.

§. V.

§. V.

Advocantur passiones per syderum influxus.

INferioris cœli virtutibus adjungendi sunt syderum, & cœlorum influxus, quibus aliquid esse juris ad has proclivitates inducendas aliqui tam clarum volunt, quàm manifestum est, solem, & hoc absente, reliquum astrorum chorum lucere. Nec sphæræ cœlestes tantummodo eum in finem circumvolvuntur, suásque periodos absolvunt, ut stellas velut nobilissimas gemmas annulis infixas diversis ostendant regionibus, suíque aspectu homines, ore erecto cœlum spectare jussos, in adorationem sui conditoris trahant. Notum est illud Philosophi asserentis, hominem & solem generare hominem. Notum est principes nostrorum corporum partes alias aliter affici pro diversa cœli constitutione. Adverte vel superficiali cura, & deprehendes certissimè, nos modò languere, modò rectiùs, commodiúsque habere; lætamur modò, paulò post in tristitiam labimur. Non hîc propugno causam sectæ astrologicæ, quæ de incertis belli eventibus, de morte Magnatum & Principum, de prospero, vel infelici eventu matrimonij futura, & non futura vanis, & mendacibus conjecturis effutire præsumit, quibus curiosæ aliquæ animæ adeò firmiter adhærent, ac si ex antris Apollinis vatidico provenissent mugitu. Hoc solùm pronuncio, astrorum indolem, virtutum, conjunctionem, & oppositionem in tenella, cærea & cujusvis impressionis capacia infantis membra potissimam vim exercere posse. Videmus ab astris cieri ventorum turbines, progigni morbos lethales, procreari nonnunquam pestes: crinitæ, vel barbatæ cometarum faces plerumque variorum effectuum prodromi censentur juxta illud Claudiani 1. de raptu Proserpinæ:

Non illum navita tutò
Non impunè vident populi.

Cur igitur cœlestes isti influxus non poterunt in homine aliquos humores augere, minuere, & deprimere alios? cur non istos permiscere, illos stabili syntaxi connectere, & coaptare? an fortè nimia distantia tollit necessariam applicationem ad effectum requisitum producendum? at verò poterunt sydera primò in substantiam æthercam inducere magnam aliquam novitatem; hæc deinde in aëris regionibus eò usque propagari, donec in humores hominis præparatos incidens, eosdem refringat, ac castiget ea varietate, quæ ipsis concursibus syderum est indicta. Hoc

ipsum autem intelligitur nomine temperamenti, nomine primæ radicis propensionum, & morum animi, ac consequenter magna ex parte hominum actiones ab influxu dependent, si quidem magna hominum pars inclinationum placitis obsecundat. Si quis igitur esset, cui stellarum, planetarúmque genius penitissimè esset perspectus, qui illorum proprietates in intimis visceribus sensu aliquo perscrutatus fuisset; præterea, si cui esset certum, syderum virtutem ab aliorum planetarum, stellarum, aliarúmque causarum concursu, non hebetari, non impediri, non refringi, ita, ut miscella quædam ex diversis variarum causarum qualitatibus oriretur; cui, inquam, hæc omnia nota essent, is citra temeritatis notam, & satis probabiliter de futuris passionibus aliquid prædicere posset. Sed quis est ille Oedipus, qui vastissimorum illorum corporum naturam inspexit? quis in intimis visceribus reconditas qualitates ad trutinam revocavit? item quis certò cognoscit astrorum virtutem non fuisse immutatam aliorum syderum aspectu, nunc uno planeta viciniùs ad solem v. g. accedente, nunc aliquantum recedente? igitur quia influxus isti possunt retundi, ac enervari combinatione aliarum naturalium causarum, non secus, ac major propinquitas solis respectu nostri poli est quidem opportuna ad æstum inducendum; & tamen flante Aquilone sentire possumus frigus etiam in media æstate; & quoniam opporteret notam habere totam causarum naturalium peristasim, quæ tunc concurrunt, ut tutò dicere possemus, multæ sunt, aliquæ sunt, nulla econtra est causa naturalis, quæ mitiget, quæ castiget, quæ promoveat, quæ coërceat influxum hujus planetæ v. g. tristis, timidi, suspicacis, & pertinacis Saturni; læti, & liberalis Jovis dominantis; audacis, & crudelis Martis &c. ideo terricolis non est concessum, absolutas, & firmas prædictiones ex constellatione de pueri temperamento, & naturali propensione ad amorem, vel odium, ad iram, vel mansuetudinem conjectari.

§. VI.

Inferunt affectus exempla aliorum.

SUpersunt adhuc duæ propensionum ad passiones causæ, quæ prorsus sunt extrinsecæ, & non nisi moraliter ad eorum genesim concurrere possunt. Et prior quidem influit per adhortationem, aut exemplum, quod quàm est frequentissimum, tam est potentissimum ad virus passionum inserendum. Quidam apud Marsilium ficinum lib. 3. de triplic. vi-

ta

ta cap. 23. retulerunt eam in album causarum Physicarum, eo ex capite, quòd opinarentur, ab hominibus malis, qui impuris dæmonibus obsidentur, exhalari pestilentes vapores, & emitti radios subjectorum, ex quibus prodeunt, malignitate fœtos: hos porro non solùm contactu, sed etiam solo contuitu quasi quadam præstigiarum dulcedine inebriare, & ad exitium trahere. Id autem vel maximè verum esse defendebant, si talis transpiratio contingeret mense Jovis, hoc est, secundo post infusam vitam vegetalem, aut mense Martis tertio, quo anima sensitiva perturbationibus mancipata advehitur. Sed hæc erroribus adeo crassis scatent, ut vel lusci eos deprehendant, dæmonum videlicet inhabitantium, emissionis radiorum maleficorum multiplicium, in eodem nomine advenientium successio &c. Itaque fixum esto, hanc causam tantùm esse moralem, & extrinsecam. Quanta verò vi pollere debeat, ex eo licet colligere, quòd Stoici à Galeno rejecti hanc unicam esse causam propensionum ad affectus censuerint. Quod tametsi à veritate multùm recedat, cum in nobis ipsis igniculos, & semina irritationum circumferamus; demonstrat tamen, supra modum prodesse ad incendium suscitandum aliorum exemplum. Scilicet quamvis mortalibus nihil magis innatum, quàm ad libertatis auram suspirare; nihilominus in amoribus est illis servitus; non utimur judicii bilance ad ponderandam rei bonitatem; sed populi numeramus voces, & aliorum exemplis trahimur, ut affectum, quem alioqui indecorum, aut minùs statui nostro convenientem rati sumus, minùs tetrum ducamus, eóque irretiti minùs abhorreamus. Amplius aliquid audi: non tantùm sequimur antecessores, & cœcô modô illorum placita amplectimur, sed studemus insuper luem aliis affricare; cum quilibet socios rebellionis aggregare desideret juxta Senecæ sententiam lib. de vita beata cap. 1. *Nemo sibi tantùm errat, sed aliis erroris causa, & auctor est.* Et ut ligâto quoque veterum stylo id meliùs imprimas, latinus Satyricus. Satyr. 2. hoc malum sic insectatur.

Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci;
Uváque conspecta livorem ducit ab uva.

Et edic sodes, si phantasia repleta est millenis vulgi erroribus, quid aliud in interiore hominis parte sequi potest, quàm ingens passionum strages? cæcus est appetitus sensitivus; non discernit inter bonum verum & apparens, & cùm facultatem imaginativam omni veneretur submissione; ideo aut fugit objectum propositum, aut illud prosequitur. Cœcitate sua posset fortè se excusare, & tot crassorum errorum

rum arguendus solùm erit tam malignus Magister usus, ac pessima axiomata, & discursus.

§. VII.

Parturiuntur denique à musica.

DEnique ad hoc caput revocatur efficacia conventûs musici in passionibus exstimulandis, & fortè non inani, & putida notatione corda à cordibus movendis est dicta. Vim illius magnificè extollit Cassiodorus lib. 2. epist. 40. Tristitiam, ait, noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantémque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum &c. hunc cuneum adhibuerunt vitæ perdendæ deprecatores, cùm modulos precibus miscuerunt, neque surdis cecinerunt. Ita Theophilum è vinculis liberum dimisit Ludovicus Pius, ubi ab eo plena voce cantari audivit hymnum in carcere recens compositum: *Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe Redemptor.* Huic fulcro innixus publicè perorabat Tiberius Grachus, qui nunquam ad populum dicturus prodibat, nisi ponè haberet citharœdũ, cujus varia modulatione, prout res ferebat, concitarentur ejus affectus. Hac machina Timotheus tibicen Alexandrum Magnum ita commovit, ut jam ad arma exiliret, jam immutato sono quietum convivijs, ac mensæ restitueret. Hac denique animorum domina, & moderatrice Flavianus, Antiochenus antistes, Theodosium Imperatorem in Antiochenos ob dejectam Imperatricis statuam exacerbatum, ita inflexit, ut emollitus ipsum quoque poculum inter bibendum fusis respergeret lachrimis. Sed quid singularibus immoror, qui scientificis scribo? melodia homini in doloribus est lenimento, tristibus solatio, merentibus gaudio, in laboribus, in itineribus levamini. Hinc ubique gentium opifices in officinis, remiges in navibus, oratores in agris, operarij ferè omnes in ferendis, trahendísque oneribus vocis modulamine student laborem minuere, mœrorem propellere, animúmque exhilarare. Fare, quid fortiùs ad excitandum amorem, quàm vocis cantus melita lyræ dulcedine temperatus? hac certè arte utuntur amasij ad alienum sibi amorem conciliandum, qui non nunquam delicatô calamô ita argutè fides molliter resonantes verberant, & voces ad musices leges demulcent, ut non amorem

rem

rem tantùm sibi concilient, verùm ipsum etiam animum videantur corporibus eripere. Nemo igitur miretur, antiquas Poëtarum fabulas concentui dulcisono tantam attribuisse virtutem, ut cantaverint, ab Orpheo musicæ artis peritiâ instructissimo feras è nemorum opacatis secessibus extractas, arbores ad saltum excitatas, amnium cursus inhibitos, & ipsam Euridicem lectissimam conjugem ex ipsis infernalium specuum penetralibus ad superos reductam fuisse.

Verùm quàm notus est effectus harmonicæ melodiæ in acuendis animi stimulis tam profundè videtur latere illius causa. Confugiunt multi ad nescio quam sympathiam inter hominis temperamentum, & organum corporeum. Sed fortè his mysterijs non satisfacient neotericorum gustui. Philosophi illi, qui sonum aliud non esse clamant, quàm meras aëris tremuli vibrationes (à quibus planè non est recedendum) affectuum proritationem à concentu effici propterea docent, quòd intima cochleæ membrana in nervum acusticum expansa subsultantem recipiat aërem cum affini tremore. Sequitur motus reliquorum nervulorum in totius corporis partibus, moventúrque musculi, prout vel Dorius, Phrygius, Æolius, Jastius, & Lydius inter se pugnant; vel (ut alijs verbis idem significem) prout numerorum lex vel crebrescit incitationibus, vel tenore composito quiescit, aut lentitudine quietem imitatur. Vociferaberis, insulsitates istas sapere atomistam orbe jam pridem proscribendum; sed parciùs mi bone! citharâ furorem priùs tibi mitigabo, ut quondam David sacrorum Canticorum Poëta ab insania Regem Saulem liberavit. Suspendo in uno pariete, & altero remotiore fides æquè tensas, eásque calamo percutio, quamvis in arte musica prorsus non versatus; & ecce unâ chordâ tactu concitatâ, statim alterius citharæ chorda contremiscit. Cur ergo nervi per totum corpus chordarum instar extensi ad exterioris soni commotionem non æquè facilè irritari possint? an fortè tanta diversitas inter substantiam nervorum & chordarum? at cùm eam anatome planè non ostendat, idcircò facta extimi aëris subeuntis accessione marcidus, & depressus animus attolletur; elatus verò mutata modulorum ratione cohibebitur, aut etiam de suggestu detrahetur. Sic oculis quasi subjicio, cur plerique aliud agentes canentibus, & ipsi occinere soleant; sic explano: cur si quis submississimè loquatur, & nos simili tonô respondeamus: econtra si exoritur clamórque virum, clangórque tubarum, etiam clamandi libido incessat majorem hominum partem, quàm vel pudore, vel rationis imperio cohibere oportebit. Et hæc de concentûs musici efficacia, qui solo auditu

fine manibus captivos abducit animos , in fidibus fine ore loquitur, & per fermè infenfibilia in fenfuum potentias dominatum exercet.

Ne autem, quæ hactenus circa inclinationis caufas attulimus, in deteriorem partem detorqueantur, reftat, ut præmoneamus aliud effe homines propendere ad certas affectiones, & ex natura fua ad certos paffionum impetus proclives effe: & aliud, eundem his fuis affectibus obfequi, aut iftas ab anima nolente confenfum poffe extorquere. Quamvis enim cuilibet obtigerit mifcella aliqua ex diverfis caufis ad paffiones inclinantibus, non fecùs, quàm ex variis corporibus, herbis, lapillis, gemmis &c. inter fe permixtis variarum virtutum nafcuntur, & confurgunt medicinæ; ita ut unam dofim fubminiftraverint parentes, & temperamentum, aliquot femiffes mifcuerint alimenta, aliquot fcrupulos affuetudo, & hæc omnia à fiderum influxu, aliisque principiis fuerint variè excocta: nihilominus præter ifta attributa eft cuilibet noftrûm nobiliffima animæ portio, quæ rationis lumine exorbitantes paffionum conatus, velut alter Pædagogus reprimat. Caufæ hucusque allatæ fuadere, & blanda, ac congrua objecti propofitione pellicere folent, & poffunt; de reliquo tenent cum fumma reverentia viam, quam Deus fectari folet; nempe voluntatem, ut fe dedat, cogere, aut omnino impedire nequaquam poffunt, ne feratur in partem, quæ arridet. Nec ipfi quidem dœmones, quibus tamen maxima vis ineft, extorquere animi confenfum, & libertatem exfcindere poffunt. Hinc tam fæpè in concionibus facris illud D. Auguftini de dœmone ferm. 197. de tempore nobis inculcatur: *Alligatus eft tanquam canis innexus catenis, & neminem poteft mordere, nifi eum, qui fe illi mortifera fecuritate conjunxerit.* Et paulò infra: *latrare poteft, folicitare poteft, mordere omninò non poteft, nifi volentem. Non enim cogendo, fed fuadendo nocet, nec extorquet à nobis confenfum, fed petit.* Igitur poteftas diaboli, non in temeritate illius, atque jactantia, fed in hominum pofita eft voluntate: ex antris fuis infernalibus, in quæ ictu fuo repercuffus cecidit, ad fauces fuas folicitationum carminibus folùm trahit infelices illos, quos fibi affenfum facilè præftituros prævidet, & inermis voluntariam prædam exfpectat. Quòd fi quandoque legamus fatanam cogere nolentes, urgere invitos ad id, quod ipfe vult, habere vim ad imperandum &c. hæc tantùm intelligenda funt hoc fenfu, quod nollent, nifi ita arctè premerentur, & ad agendum, quafi fcuticâ urgerentur.

DIS-

DISSERTATIO VI.

Expenditur passionum causa finalis.

§. I.

Finis physicus pasionum.

DUplicem ego finem promptis & celeribus animi volatibus (hoc enim nomen passiones à Zenone hæredidârunt) duplicem, inquam, finem assigno: unum, qui ex scientia physica, alium, qui ex morali desumitur. Ex fine physico, affirmo, concitationes eò tendere, ut animatum corpus perfectè habeat: scilicet ut servetur intacta omnium organorum fibula, ac perfectè functiones suas animal exerceat, quod est veluti centrum, ubi viventia ultimatò conquiescunt. Explicatiùs finem affectuum percipe. Primò proposita est appetitui operatio facilis, & ex toto congruens, atque respondens suæ virtuti, & endelechiæ; quia in Philosophorum Synagoga nihil frequentiùs auditur, hoc axiomate: esse est propter operari. Igitur quia animal est principium sentiendi eò spectabit, ut perfectam eliciat sensationem. Quid autem supponit perfectè sentire nisi gratam affectionem ab eo objecto impressam, quod bonum sensibile vocant? & quid est ipsum bonum sensibile, nisi affectio ipsa, & impressio inducta, & excitata in vivo corpore, & ab objecto externo determinata? igitur objectum erit tantùm mediatus & ultimus, non verò proximus, & immediatus appetitûs sensitivi finis. Ad perfruendum autem hoc bono, próque illo obtinendo animal adhibet varios motus, usum scilicet appetitûs: igitur passionum appetitivarum finis erit consummatè, ac jucundè operari, removendo scilicet ea, quæ huic perfectæ operationi sunt contraria, & ea procurando, quæ eidem probè conveniunt. Quia verò animal totum quoddam est diversis instructum facultatibus, hoc est, multiplici sensuum genere; ac cùm unus sensus non semper alteri subserviat, & subinde uni arrideat, quod alteri maximè nocet; ideò ut toti benè consultum sit, communis cujusdam conspirationis vinculo, seu fœdere, omnes potentiæ obstringi debuerunt ad communem organorum, & partium ipsius viventis conservationem, horrétque natura animalis solutionem hujusmodi nexûs horrore quôdam veluti publico, non secùs, ac peripatheticè dicitur naturam universam horrere vacuum horrore distributo per singulas universi ipsius partes.

Et ecce! alterum, quod passiones sibi pro scopo eligunt; adeóque adæquatus finis illarum spectat ad perfectionem animantis, quæ in jucunda operatione, & omnium organorum consensu consistit. Fatendum quidem citra passionum adminiculum hominibus à natura esse inditam inclinationem ad prosequenda, quæ conducunt ad sui conservationem tum secundùm individuum, tum secundùm speciem, tum secundùm societatem: sapientissimè nihilominus affectuum quoque efficaciora auxilia naturæ providentia adjunxit. Pone enim appetitionum stimulos deesse; pone iisdem naturalem inclinationem non intensiùs urgeri: nec homines, nec bruta ferrentur, quantùm, & quomodo oportet in eas actiones, & objecta, quæ fini proposito idonea habentur. Vereor, ne longè plures modò ex difficultate, modò ex nauseante fastidio ab iis abstinerent, ad quos tamen necessitas urgeret. Saltem non ita alacriter, non ita ferventer, aut animalia agerent, aut necessaria appeterent; sed omnia moroso languore & tepiditate perficerentur.

Non me fallit, excessum, & exsuperantiam, ad quam perducunt passiones, potiùs obesse, quàm prodesse conservationi animalis: verùm Divina Sapientia non utitur methodo œconomiæ humanæ, & procuratoria sorditie, omnia parcissimè subministrando, sed liberalissima & expeditissima administratione rebus à se conditis prospicere solet. Videmus in aliis, quod non definitè ad bilancem singulis duntaxat illud præparet, præstétque, quod præcisè satis est, vel quod summa necessitas exigit ad fines præscriptos; sed ex abundanti, & copiosissimè media suppeditat; etiamsi plura ex iis otiosa sint futura, & quandóque ex accidentario hominis abusu damnum non leve sint allatura. Confessionem hujus extorquent alimenta viventium, quæ Deus locupletissimè suppeditavit, etsi magna ex parte nutritioni non famulentur, sed excernantur. Fateri hoc nos cogit ipsa liberè operandi facultas, quam immortale Numen hominibus indidit, quamvis prævideret, plerósque eâ vitiosè usuros. Quid ergò novum, quòd non dissimilem conditionem passiones sint sortitæ, ut videlicet præter naturalem, simplicémque modum ad necessaria conferretur etiam abundantia, qua quandoque possent exorbitare? Præsertim cum natura quoque præstiterit homini, unde ab excessu cohibere posset nimium æstum, scilicet liberum voluntatis arbitrium.

§. II.

§. II.

Finis moralis pasionum.

ALter passionum finis est moralis, ut scilicet nobis ad vitam ex virtutis regula instituendam conducant, inserendo nobis Divinorum desiderium, & subministrando vires, quibus labores, pro iis suscipiendos toleremus. Non enim Deus titillatorios sensus homini insevit, ut noxam & probrum ei concilient; sed eos ad salutem animæ attexuit, atque conjunxit, voluítque nos morem sapientum Medicorum imitari. Volentes ipsi depellere præsentem, aut immanentem gibborem, utuntur venenoso viperæ corpore. Sic adhibendum affectionum hujusmodi virus, vel ad expellendum præsentem, vel ad impendentem vitiorum morbum, vel ad comparandam, aut conservandam virtutis integritatem. Neque indecorum sibi sapientiæ studiosi ducunt, carnis affectus à rebus corporeis avocare, & ad cœlestium adeptionem convertere; veluti quando ex cupiditatis affectu efficiunt motum animi Divina expetentis: ex voluptate lætitiam incolumem, gaudiúmque virescens ob Divina charismata: ex metu solicitudinem procul observantem supplicia ob scelus infligenda, atque è tristitia præsentis mali corrigentem pœnitentiam.

Quod universim de impressionibus corporeis hucusque dictum, nempè datas easdem esse homini Omnipotentis concessione ad munera exsequenda, v. g. cupiditas, ut Dei præceptis pareamus, ira autem, ut sceleribus resistamus, confirmemúsque virtutem, hoc jam in specie expendamus de ira, quam rationis satellitium pulcherrimè Nemesius insignivit. Quod ergò irascibilem vehementiam attinet: Si miles quidam loricatus, armata manu, diu noctúque paratus adstat ad nutum sui Ducis auxilium laturus; erit iracundia rationis adjutrix, erit animæ nervus, ad ingruentia per insidias crimina repellenda. Præbebit indignatio fortitudinem, constantiam, robúrque ad res optimo ordine gerendas. Hæc animam fortè repentina voluptate delinitam ac lascivientem veluti durissimo ferro cohibebit, austeriorem, fortiorémque ex molli, ac remissa reddet. Huic equo jugali insidens, ubi eum rationis frœno, ne modum excedat anima cohibuerit, facilè viam ingrediens, mentis rectô consiliô iniquitatem longè fugabit, quam sine hoc, quo decet modô non fuisset persecuta. Si existimas æquale circa diligendam virtutis heroinam studium esse adhibendum, ac ad odium retinendum adversùs

fucatam vitiorum meretricem, quid magis utile erit, quàm indignatio? æmulatur nimirùm illa canum paſtoralium indolem. Canes iſti ad vocem peregrinam ad conſpectum alienum, torvos, agreſtes implacabiles ſeſe exhibent: licèt eos palpatu leniſſimo demulcere ſtudeas, fuſtrabuntur omnem induſtriam: notorum verò ac domeſticorum blanda alloquia minarum inſtar timere, & revereri videntur. Sic iracundia rationi obediens mitem, manſuetam, opitulatricem, & ad nutum animæ prudentis revocabilem ſe præbebit; econtra inſidioſis proritationibus nullum benevolentiæ ſignum oſtendet, nunquam piratis conciliabitur, nunquam cum eorum principe familiarem contrahet conſuetudinem; ſed adversùs inſidiantes voluptatum feras, vel contra venientem lupum continuô latratu invigilabit, ſæviétque.

Ne hæc ſpecioſiùs, quàm veriùs dicta exiſtimes ipſas conſule ſacras paginas, quæ illis Regii Pſaltis verbis: *Iraſcimini, & nolite peccare*, iræ uſum nobis non ſolùm concedit; ſed tanquam inſtrumentum ad multas utilitates opportunum diſertè præcipit. Quid judicas, an fortè nobis imperatur, ut indignationis effervescentia ſupra debitam menſuram peccemus? abſit! hæc enim eſſet utilis inſtrumenti temeraria perverſio. Hoc jubet Scriptura, ut alios peccantes inhibeamus: non ut fiat animi ægritudo, ſed ut ſit ægritudinum remedium, & aliorum vulnerum emplaſtrum. Sed quis omnia iræ commoda enumerare ſufficiet? ſomnolentem pigritiam incendit, languentem animum corroborat, virésque addit, acriores nos efficit, ut indignemur pro his, quos injuria affectos videmus, ut moveamur ad pœnas de inſidiatoribus ſumendas, & denique ſceleſtas, improbáſque cogitationes abſumat, dœmonémque undique pellat. Manet ergo iram inſtitutam eſſe, ut magnum ex virtutibus emolumentum capiatur. Et quis ſibi perſuadere poſſet ipſas paſſiones fædarum cupiditatum, quæ ex carnis uligine innato ſubvehuntur æſtu, quæque maximè inimicæ, & noxiæ reputantur, mirum animæ commodum afferre, ejúſque utilitati deſervire, niſi hoc evidenti argumento comprobaretur? perpende eos, qui corpore ſpadones ſunt, & deprehendes, quàm evirata hæc conſtitutio eos in appetendis virtutibus deſides reddat, ac tepidos. Nimirum quia corrumpendæ integritatis nullum ſe credunt periculum habere, veluti ab omni neceſſitate ſoluti, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione ſe æſtimant indigere. Hac ſecuritate reſoluti nunquam perfectam vitiorum purgationem, vel in virtute progreſſum quærere, vel poſſidere feſtinant; qui ſtatus eò eſt deterior, quò magis à frigido ad deteſtabilem accedit tepiditatem. Illi verò, qui ſtimulis corpori inſidentibus perpetuò urgentur, eos reputant

putant pro negligentiæ suæ judicibus, frugalitatis tenentur districtione, & ubi eos semel ardor, ac desiderium accenderit propositam victoriæ palmam prætendendi, famem, sitim, vigilias, nuditatem, cunctósque labores corporis non solùm patienter, verùm etiam libenter sustinere compelluntur. Igitur absque ira, absque concupiscentia vera mentis vivacitas subsistere non poterit, quamvis eam in bonam partem immutare sit necesse. De reliquis passionibus, qui aliud sibi judicium formant, creatoris scopum ignorant, & bonorum datorem malorum auctorem faciunt.

DISSERTATIO VII.

De Bonitate, & malitia, præcipua passionum proprietate.

§. I.

An pasiones sint peccata?

AD hanc quæstionem aditus nobis est faciendus vocabulorum istorum motus *primò primi*, & *secundò primi* ambiguitatem tollendo. Paucis te expedio; motus illi, qui omninò sunt indeliberati, dicuntur primò primi: qui verò semi-deliberati, appellantur secundò primi. Porrò deliberatio involvit judicium mentis præcedens electionem, ídque tale, ut secum afferat cognitiones oppositas ignorantiæ, quæ tollit voluntarium, & quoniam plures hujusmodi eliciuntur cognitiones de objectis, hinc consequitur, ut prout plura, aut pauciora de objecto prædicata, vel adjuncta cognoscuntur, deliberatio quoque porrigatur ad plura, vel pauciora adjuncta, quæ de objecto cognoscuntur. In re præsenti ad actum deliberatum absolutè, & sine voculis arctantibus significationem, revocatur ille, cùm deliberatio tam amplè patet, ut si objectum ex sui natura censeatur graviter peccaminosum, admittatur grave delictum ab eo, qui illud deliberatè agere non veretur. Hujusmodi porrò deliberatio secum affert attentam ad summum bonum animadversionem, & ad jacturam integram illius conjunctam cum tali operatione, de qua edenda, vel elicienda anima consultat; quamvis opus non sit, ut ad hoc advertatur explicitè, & sine omnibus

pror-

prorsus involucris. Adverte jam, ubi nunc plenam allatorum vocabulorum notitiam produco. Si animus nullo prorsus pacto attendat ad summi boni jacturam, prout dormientibus accidit, motus editus sortietur denominationem primò primi, & indeliberati, modò ex prava consuetudine, vel causa præmissa non dimanet. Si contingat, ut animus consideret duntaxat partialem jacturam illius boni, cujus nobis ideam exhibet ægrotus vehementer sitiens, cui aridis labris haurienti aquam, ex perturbatione animi, occurrere non potest, vehementis sitis potum esse lethalem, sed tantùm valetudini quadantenus noxium; in hoc casu motus eliciti jam extenduntur ad secundò primos, ad semi-deliberatos, nec ab omni culpa immunes. Non admittetur tamen in his circumstantiis grave delictum ob non præeuntem plenam attentionem. Hæc de vocabulorum, quæ hunc locum attinent, discussione.

Nunc primò quædam veriùs portenta, quàm dogmata superiori ætate ad sacram doctrinam inficiendam excogitata in transitu, velut muscæ quædam infestæ, sunt abigendæ. Hujusmodi impudentiæ plena monstra sunt partus Calvini lib. 2. instit. cap. 1. & lib. 4. cap. 15. Cyclopis Augustanæ Confessionis Philippi Melanchtonis art. 2. Martini Kemnitii in examine sess. 5. Conc. Trid., qui cum omnibus Asseclis statuunt spurciloquis labris non modò passiones, quamvis indeliberatas, esse peccata; sed eò insaniæ progressi sunt, ut ipsam quoque concupiscentiam in actu primo, seu defectum subjectionis perfectæ appetitûs ipsius sensitivi ad rationem, cum peccato originali unum, & idem esse sibilaverint. Quòdsi eos impugnare volueris cum Conc. Trid. Patribus Sess. 5. dicendo: in renatis per sacri fontis aquas ablui maculam peccati primitivi, & tamen in restitutis dono justitiæ adhuc residere propensionem ad scelera, juxta Apostolum ad Rom. 8. *Nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo JEsu.* Si objeceris, nos per baptisma commori penitus peccato, sicuti Salvator mortuus fuit, & sepultus, proponendo alium Doctoris Gentium locum ad Rom. 6. *Quicunque baptizati sumus, in Christo JEsu baptizati sumus, consepulti enim sumus cum ipso in mortem &c.* Si in testimonium allegaveris verba Isaiæ 1. *Peccata vestra ut coccinum, velut nix dealbabuntur, si fuerint quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Si conjunxeris Regium Psalmistæ versiculum: *Asperges me hysopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.* psal. 50. si inter innumeras alias sacrarum paginarum sententias etiam miscueris illam Michææ 7. *Deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris.* Si hæc omnia, inquam, contra corruptam fermento doctrinam attuleris, collegerisque, deleta licèt originali

ginali macula, nihilominus remanere passionum fontem: ergo hæc unum & idem esse non posse: non sibi deesse verba credent, quibus hæc & similia diluant. Fingunt sensum tantum esse, in renatis passiones ad æternum barathri supplicium non imputari; gratiæ stolâ fæditatem illarum tantùm obtegi; scabiem tantùm extrinsecam radi: reipsa autem concupiscentia, si ipsis fidem habemus, numeranda est inter peccata omnium maxima, quòd tanquam malum immedicabile nunquam tollatur, nunquam eradicetur; sed ita inficiat hominem, ut, quidquid ab eo procedit, peccati pestem contrahat.

Verùm notent sibi abortivi, & fædissimi isti errones, Apostolum asseruisse, *nihil damnationis esse*, ac proinde ne manere quidem ipsam iniquitatem, qua homo dignus reddatur æternorum tormentorum; præsertim cùm in eadem epistola damnationis nomine ipsum etiam peccatum, quo quis pænarum reus fit, comprehendatur, illîs verbîs: *Sicut enim unius delicto in omnes homines in condemnationem, ita unius justitia &c.* advertant, quòd si culpa originalis per sanguinem pretiosissimum Christi non ablueretur, infringi, quæ eodem loco efferuntur, scilicet, ubi *abundavit delictum*, superabundavit gratia; constat enim delictum illud delevisse omnem prorsus justitiæ lineam: igitur nisi justitiæ dotes postea similiter eluant omnem delicti squalorem, dicendum esset, potiùs scelus superabundavisse. Maximè autem illos confundit, quòd ad Titum 2. scribitur: *Qui dedit semetipsum retemptionem pro omnibus, ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum &c.* Hic enim maximè apparet, meritorum Christi inexhaustô thesaurô non solùm ab inferis nos exemptos, sed etiam effectos acceptabiles esse, & dignos, qui à suprema Majestate diligamur. Non me fallit, qua arte laqueum hunc declinare laborent. Aiunt enim justitiam Christo insitam, eique propriam esse id, per quod nos simus Deo cohæreditarii filii. At verò unum scire aveo, quare non etiam Christus factus sit nobis sapientia, ut eâdem sapientiâ, qua ipse, & nos saperemus; cùm tamen in eodem contextu dicatur: Salvatorem nobis factum esse justitiam, sicut factus est nobis sapientia? sed, ohe jam satis est blasphemiarum, atque impietatum! præstat filum hîc abrumpere, & reliquam ex perversa segete messem errorum abominabilium missam facere.

§. II.

An cadant in virum Sapientem?

STatuendum ulteriùs tanquam indubitatum, nec tantùm cum peripato, ſed etiam cum orthodoxæ fidei placitis magìs cohærens, poſſe virum ſapientem, ſinè eminentiſſima virtute excultum, absque criminis labe paſſione aliqua ſubitanea præoccupari. Veritas hujus aſſerti per hoc extorquetur, quòd videretur aliàs Deus univerſi auctor culpæ inſimulandus, ſi nobis naturam indidiſſet adeò vitioſam, ut affectus naturaliter ex ea exſurgentes ante liberæ facultatis edictum, non poſſent in hominem virtute ornatum cadere, quin eum turpi labe oblinirent. Diſtinguendum igitur eſt inter animi pathemata, quibus voluntas favet, & quæ amplectitur; & inter ea, quæ tenuis umbræ modô mentem humanam ſolent prætervolare, ſéque vel tantummodo monſtrare tranſeundo; vel certè repugnanti, ac invito animo ſuggeruntur, quibus mens cum horrore quodam reſiſtit, ac renititur; quibus ut contriſtatur admiſſis, ita lætatur expulſis. In illis quidem, quæ ſe menti leviter oſtendunt, & quaſi fugiendo demonſtrant, non ſolùm nulla peccati labes eſt; ſed ne quidem pugna intercedit: in his autem, cum quibus anima aliquamdiu luctatur, æquale certamen committitur. Subinde voluntas conſentit, & vincitur: ſubinde eadem reſpuit delectationes, vincit, acquirítque de pugna victoriam. Illi ergò tantùm titillatorij ſenſus criminis rei ſunt arguendi, quando impreſſionibus mentis conſenſus accedit, quando malum blandè fovetur, quæ in factum geſtiunt erumpere; imò nequidem omnis hujusmodi proritatio, licèt eam voluntas libera impleat, actione criminis eſt condemnanda, ut paulò ifra demonſtrabitur. Neque in hoc acquieſco, quòd negem humanam naturam eſſe agrum, nil niſi urticas ſponte proferentem; ſed inſuper defendo, impoſſibilem eſſe apathiam, ſeu indolentiam, à Stoicis ad virtutem requiſitam, ita ut omnis paſſionis exortus impediatur.

Stoam ipſam ingredior, & primipilos eorum ſic compello: oſtendite mihi, ò impatibiles homines, & Dijs, ſi tamen Superis placet, æquales, oſtendite mihi aliquem, qui dogmata, quibus cathedræ veſtræ perſonant, ſimulacrô vitæ ſuæ exprimat. Oſtendite nodoſis podagræ, vel chiragræ doloribus laborantem, qui nihilominus beatè vivat: morientem, & felicem; periclitantem, & tamen non miſerum; exulantem, & tamen bonis omnibus abundantem; contemptum, & ignominiâ notatum,

tum, & tamen hilari vultu incedentem. Ostendite, per Deum, desidero talem Stoicum videre; cupio videre immobilem talem statuam etiam motuum involuntariorum expertem, eámque supra Phidiæ artificium extollam. Nimirum non habetis talem effigiem jam expressam; adhuc artifices in opus incumbunt, ut eam exsculpant. Vereor, ne unquam hominem omnibus affectibus liberum, vereor, ne unquam spectaculum tam jucundum orbi exhibeatis, eúmque verbo tenus invehere laboretis. Imò multùm esse judico, si assensum liberum semper passionibus negaveritis; si semper rationis auctoritate increpueritis latratus inquietos; si insanientem bestiam catenîs ferreîs in intimis animæ recessibus ita alligaveritis, ut nunquam foras prodeat, sed intus fractîs dentibûs se ipsam masticet captiva concupiscentia, & corrodat. Cessent igitur Stoici, multa nobis de plena passionum compressione imponere: cessent sibi titulos arrogare, qui ad ipsos non pertinent, scilicet Dei, non tantùm similitudinem sibi cum Lucifero arrogando, sed etiam æqualitatem asserendo omni perturbatione exclusa; cessent invectivis orationibus appetitiones sensitivas incessere.

Aio insuper passiones ultrò quoque advocatas, concitata ad eas per liberam voluntatem naturâ, vel ex quo sponte exsurrexerint, liberè retentas subinde omni noxæ labe carere, nec per eas incontaminatum virtutis decorem gradu suo excedere, si recto mentis consilio dirigantur. Quis moderatum pudorem crimen dicat? quis culpæ insimulabit hominem, cui viscera commoventur visâ alterius miseriâ, quíque inde vehementer inclinatur ad inveniendum remedium? non nisi aliquis ex omni malorum fæce coagulatus bonum esse negabit justè, & sanctè ob summi Nominis gloriam in vindictam criminum assurgere. Approbant certè omnes nobilissimum Mattathiæ Machabæorum parentis factum, qui cùm vidisset unum ex gente sua idolis sacrificantem: *doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus &c.* nullum audivi, qui teneritudinem Josephi Proregis Ægypti vituperio & asperis tractaret, qua fratrem suum Beniaminum est prosecutus. Non possunt quidem omnes affectus deliberatè suscipi, prout hoc expressit Philosophus lib. 2. Ethic. cap. 6. in malevolentia, impudentia, invidentia, & aliis nequitiis; ista enim nulla mediocritate condiri possunt à dirigente ratione, sempérque inhonestatem olent: at verò ex se passiones omnes cum vitiorum turpitudine confundi non debent; & si quandoque peccati nomine à christianis Doctoribus maculantur, id non fit, nisi metonymicè, quatenus eorum licentia ex peccato oritur, & ad peccatum inclinat, prout ipse appetitus sensitivus affectuum fons

non rarò per tropologicam dictionem peccatum appellatur. De reliquo injuriam facit, qui iram moderatam, bellicæ virtutis cotem, damnat immanitatis, & perniciosæ crudelitatis: ab orbe est extrudendus, qui amicos redamare prohibebit, non aliam mercedem lucrabitur, nisi immanitatis in animo, & stuporis in corpore, qui vult me non dolere, non sentire debere, quando ex putridis membris quid resecatur à vivo, aut avellitur.

Passiones igitur ex natura sua nec laude, nec vituperatione nos dignos efficiunt; quia eatenus sunt expertes libertatis, quæ est aliquod necessarium constitutivum moralis bonitatis, aut malitiæ: si verò rationis imperiô regantur, laudem merentur; si modum excesserint, in vitiis sunt numerandæ. Si equus, quo naturâ suâ ferocior est, ac vehementior, eò præstantior haberi solet: cùm tamen ipse rationis sit expers, sessore perito, moderatoréque egeat, ubi hic in equum ascenderit, conabitur quidem ille uti geniô suô: at si rector insidens naturales jumenti assultus gubernet, præterquam, quod illo utiliter usus ad propositum finem perveniat, etiam se incolumem servabit, & pullum ad usum sibi opportunum esse intelliget. Contra verò si equum, qui in frænando præest, vitiosè instituerit, & pullus sæpenumerò à recta aberrabit via, & per confragosa ruens se, & sessorem ipsum in eandem ruinam pertrahet, & utriusque casus non alteri, quàm rectoris ignaviæ adscribetur. Non alia ratione attributa est corpori potentia appetitiva, quàm ut ad illius commoda, & utilitates subserviat. Tolle omnem voluptatem, aut dolorem nulli erunt ejus, quod bonum est, aut malum, caracteres ab Auctore naturæ impressi, quibus utilia à noxiis separemus: spe omni sublatâ, quid jucundi restat in vita? si misericordiam fugabis, immanitatem adduces; si metum eliminaveris, temeritas pullulabit; si hunc sustuleris, omnem vitæ prudentiam simul auferes. Imò aliud munus virtus non habet, quam in id incumbere, ut carnis suggestiones, rationis regulis subdantur, ne extra naturæ fines excurrant. Si non haberet virtus, quæ vinceret, vel regeret in passionibus, omnino otiosa marcesceret. Occupatur fortitudo in supprimendo timore, cessarétque hæc ardua virtus à generosis suis ausis, si homo timere cessaret. Modestia normam, & mensuram præscribit spei, ac desideriis; non nitebit nisi inter competitores ambitiosos. Temperans continentia frænum inijcit voluptati, & ad nihil opus foret hac virtute, nisi guttatim nobis instillâsset natura delectationem ad opera quotidiana. Clementia temperat iram Principum, qui nisi subinde incitarentur ad vindictam, non tanti in ipsis fieret animus moderatus. Tantùm igitur abest, ut passiones vitiis sint

accer-

accensendæ, ut potiùs isti vilissimi motus animalis à prudentiæ legibus nobilitentur. Moderare audaciam, & fortitudo evadet: da modum cupiditati, & temperantiæ vestimentis incedet: vepres inculti in rosas convertentur, sempérque subsistet illud Theagis: virtus ex affectibus nascitur, & nata cum ipsis constat.

§. III.

Quid censendum de bonitate physica passionum?

QUod si verò sermo sit non de bonitate, aut malitia mores hominum concernente, sed de physica vel utilitate, aut nocumento, quod afferunt constitutioni naturali corporis animati, rursus tenendum est, æstus istos simpliciter bonos, & utiles esse. Omnes quidem commotiones appetitûs sensitivi quodamodo disconveniunt animali, & sic lata aliqua significatione noxam contrahunt. Dictum enim est statim ad initium, omnia pathemata facultatis sensitivæ hoc habere commune, ut deijciant aliquatenus animal à statu, & dispositione sibi convenienti, quod sine aliquo detrimento accidere non potest. Nihilominus, sicut medicinarum pocula, ciborum, & potûs subsidia, aliáque extrinseca simpliciter merentur bona dici. Agentia, quorum applicatione utiliter uniuscujusque defectibus, quos pati contingit, subvenitur: sic idem de passionum symptomatis verificatur. Sunt namque naturæ plerorumque hominum, ex tali elementorum mixtura compactæ, ut in se includant excessum, vel defectum, quoad aliquas illorum virtutes; & vix ullum est invenire (si tamen tam rara avis omnino sub cœlo degat) qui non cogatur pati in suo corpore aliquam exsuperantiam caloris vel frigoris, melancholiæ, aut flavæ bilis. Pone igitur limosa, & superflua sanguinis fæce abundantem melancholicum; pone cruda, insipida, & nondum excocta pituita oppletum phlegmaticum; pone istos deliniri; demulcerique patheticis halitibus, cum sanguinis fervore, aut ejusdem hilari diffusione conjunctis: sauciabit quidem levi vulnere talis motus peculiarem, & innatam hujus subjecti inclinationem & exigentiam; naturæ tamen hujus hominis velut propitium affulgebit sidus, utpote emendans defectum tali inhærentem subjecto.

Cessent igitur jurati passionum hostes, nos naturalibus hisce ad virtutem, ad opera magna instrumentis exarmare: cessent in nobis destruere velle omnes appetitiones, nósque Diis aut Angelis similes efficere.

Malè nimiùm actum nobiscum vellent, qui omnium sensibilium affectuum resectione nos quodamodo truncare cogitarent. Qui ne minima quidem agitatione hominem perturbari volunt, hominem ex homine tollunt, in corpore constitutos volunt esse sine corpore, saxum, aut Deum nos fingunt. Ultra verum hæc dici ne autuma: pauca verba ex Stoica superbia percipe; sic aupud Senecam epist. 73. loquuntur: plura Jupiter habet, quæ præstet hominibus, sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior: non magis inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui majus speciosiúsque navigium est. Jupiter quo antecedit virum bonum? diutiùs bonus est. Sapiens nihilo se minoris æstimat, quòd virtutes ejus spatio breviori clauduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus, qui senior decessit non est beatior eô, cujus intra pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate, etsi vincit ætate, non est virtus major, quæ longior &c. En quanta insania! non, non est ita; modestior est virtus, quàm ut laudes sibi non debitas adeò cupidè prensare audeat; quàm ut extollere se præsumat ad thronum Divinitatis, quem potiùs adorandum esse cognoscit. Quamdiu nobilissima anima coacta fuerit exercere functiones ipsis brutis ratione carentibus communes, tamdiu passionibus erit subjecta; quamdiu in operando à sensuum organis dependebit, intuebitur spem timore permixtam, non minùs ipsam dedecet malignæ fortunæ casum horrere, quàm magnæ felicitatis auram spe suspirare: non minùs dedecet malis irasci, quàm oculos ad videndum, aures ad audiendum adhibere; imò minùs difficile est gubernare passiones, quàm sensus; faciliùs cicurari possunt audacia, amor, odium &c. adhibitô rationis fræno, quàm fames, sitis, somnus, aliáque pro sustinenda animalis vita necessaria. Quòd si etiam fieri posset, ut homo enervatis animi passionibus ad immobilem mentis stuporem perduceretur (quod tamen ante separationem animæ à corpore est impossibile) hoc tamen nequidem expediret; non enim quia durum aliquid, ideò rectum, aut quia stupidum, ideò sanum, an non aqua semper jacens, & quieta, est insalubris, & magis turbida? cur ergo animum à nobis exigunt immotum, ac torpentem? an non æquè homo sine passionum agitatione erit inutilis, & nequidem ipsam vitam tuebitur? an non per hanc immobilitatem animum vitâ privarent?

Opponunt temerarii isti hæreticorum Patriarchæ (quandoquidem Pelagii, cæterorúmque ementitæ virtutis auctorum errores ex his fontibus hausti dicuntur) multâ speciosissima argumenta, vel potiùs scommata, quibus passiones impetunt. Dicunt primò, quòd quidquid agitur,

tur, ex instigatione passionis, fiat ex amore proprio. Per quem creatura seipsam constituit tanquam centrum ac finem ultimum: hoc autem quis neget esse turpe, & inhonestum? addunt secundò carnis affectus esse perturbationes, esse animi morbos, ex quibus consequitur, eundem aptum non fore ad fungendum munere suo, seu ad utendum benè ratione. Quemadmodum enim oculus non probè affectus deest officio suo, manus intumescens agilitatem deperdit, totúmque corpus cùm commotum fuerit, ad officium obeundum ineptum redditur; sic animus ira turgescens, vel audaciâ inflatus, aut dolore oppressus sanitate carebit; & sicut eos sanam mentem habere dicimus, qui nullo improbo perturbantur motu, ita ad insanos erunt relegandi, qui contra sunt affecti. Securius igitur erit perturbationes, cum quibus vera quies consistere nequit, omnino ad nihilum redigere, quàm prudentiâ regere: non prosunt milites suo Duci, qui illius imperium non audiunt, qui magìs propendent ad bellum cum ratione gerendum, quàm ut illius auctoritatem propugnent. Quam diu morbidæ istæ febres, etsi levi tantùm paroxysmo animum exacerbabunt, tamdiu integra sanitate frui non licebit. Tertiò denique totos se consumunt, ut nobis ostendant celeres istos animæ volatus ex peccato natos esse, & ad peccata, & terrena deprimere; quod vel maximè se evincere contendunt illo Apostoli: *Cùm essemus in corpore passiones peccatorum &c.*

Sed amabo! temperemus paulisper æstum, & mente composita libremus singula: primò igitur dico, si omnis amor concupiscentiæ esset ad vitia deturbandus, tunc temperantia & fortitudo quoque ad malam hanc societatem pertineret; illæ enim virtutes directè referuntur ad ipsius fortis & temperantis conservationem, atque adeò ex fine proximo, & amore conservationis ab utroque exercentur. Distingues ergo inter finem ultimum & centrum ipsius appetitûs sensitivi ex una parte, & inter centrum, & finem ultimum totius hominis secundùm omnes potentias, non est inhonestum, quòd facultas sensitiva per actus suos sistatur in bono sensibili tanquam in suo fine, citra cujus limites se se extendere non valet. Criminosè autem agit homo, si bona sensibilia per voluntatem complectatur tanquam ultimum finem creaturæ rationalis adæquatè sumptæ. Ad alterum consentientem me habes, passiones esse morbos & perturbationes, cum rationis limites prætergrediuntur, vel quando iisdem malè utimur. Et de his sapientissimè pronuntiavit Cæsar apud Salustium de bello Catil: *omnes homines, qui de rebus dubijs consultant, ab odio, ira, & inimicitia, atque misericordia vacuos esse decet.* At nobis sermo est de pathematis moderatis,

&

& rationis dicto audientibus, quæ tam utiliter possunt adhiberi, quàm cibus & potus, tanquam instrumenta ad sublimissimas virtutec assumuntur. Si appetitiones temperantur, & quamvis judicium rationis præveniant, accidere potest, ut nulla ex parte obfuscetur ejus claritas. Quòd si etiam aliquô modô concitatiores nisus leviter alterent convenientem cordi dispositionem, id naturam humanam dedecere non est credendum. Quemadmodum enim moderatus calor, cibi sumptio, & digestio perturbat, nec parùm infuscat vim intelligendi, & somnus prorsus tollit ejus usum, nec tamen hæc censentur animali afferre nocumentum: sic quoque moderatæ commotiones & si paulò intensiores non adversantur naturæ, quam exinde vegetiorem, & expeditiorem reddunt ad opus jam deliberatum explendum, & ita malum bono per passionem illatum compensatur. Ad tertium denique non sunt confundendi actus partis inferioris cum motibus partis superioris. Inclinationes corporeæ in tota latitudine acceptæ nec sunt causa, nec effectus, aut pœna peccati. Non sunt causa scelerum, quæ sæpè prosequuntur objecta, vel ex se indifferentia, vel positivè rationi conformia, & quæ sæpè juvant ad opera honesta meliùs perficienda. Multò minùs convenit inclinationibus istis, ut numerentur inter pœnas peccati à protoplastis nostris commissi; non enim persuadebis mihi, caruisse hominem in statu puræ naturæ (si ita loqui licet) sensuum irritationibus, tum prævenientibus judicium rationis, tum subsequentibus. Non persuadebis, Adamum, & Evam sine genesi alterationum vixisse, prout tamen absurdissimum est dicere, in illis posita fuisse insecta, quæ ex carnibus aliorum hominum pullulant. Hoc igitur firmissimè tene, nocere solùm excessum, qui vel non tollitur, aut non compensatur: Stoicos verò omnes nobis affectus amputantes, & nos spoliantes alacri vigore luxuriantis animi evertere nostri sensus optimam partem, & hominem ipsum de homine insanâ tollere jactantiâ.

§. IV.

Conciliantur Stoicorum dicta.

SEd quid ego multùm tanta verborum, & rationum profusione Stoicorum sectam oppugno, cùm tamen ipsi è suo sapiente passiones non excluserint; sed eas admiserint, modò moderationem interventu virtutis susciperent. Nimirum nomine tenus ab ipsis dissidemus, & ipsi Stoi-

Stoici affectum usurpant, non prout communi vocis rigore accipitur pro motu animæ non superante mediocritatem, sed pro motu fines mediocritatis prætergresso, quem rectè docent exscindi, ac tolli oportere, nec esse temperandum; cùm eo ipso, quòd excedere supponatur, non suscipiat moderationem, nec sit futurus, qualis revera est, si adhibita temperetur castigatione. Hoc ut evincam testes duos locupletissimos, & Stoicorum principes profero. Primus sit Seneca, qui etsi oppositum sensisse videatur, multis tamen locis luculenter defendit, eos motus in sapientem cadere posse, qui nullo mentem errore subvertunt. Lege per otium lib. 2. de ira cap. 2. & invenies, quòd nulla ratio persuadeat, quò minùs fiat horror frigidâ aspersis, ad quosdam tactus asperatio; quò minùs ad peiores nuntios subrigantur capilli, prærupta cernentes sequatur vertigo, & rubor ad improba verba suffundatur. Lectionem non interrumpe, & ita scriptam invenies: ira præceptis fugatur: est enim voluntarium animi vitium, non ex his, quæ conditione quadam humanæ sortis eveniunt, ideoque etiam sapientibus accidunt. Inter quæ & primus ille ictus animi ponendus est, qui nos post opinionem injuriæ movet. Hic subit etiam inter ludicra scenæ spectacula, & lectiones rerum vetustarum. Sæpe Clodio Ciceronem expellenti, & Antonio occidenti videmur irasci. Et ne judices, Senecam in sapiente tantùm admittere motus primos naturaliter exsurgentes, hósque solùm eundem non eliminare; expresse te urget epist. 71. ex qua hæc verba transfero: non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente submoveo. Memini ex duabus partibus illum esse compositum. Altera est irrationalis: hæc mordetur, uritur, dolet. Altera rationalis: hæc inconcussas opiniones habet, intrepida est, & indomita. Sic etiam lib. 1. de ira dicit: illa utendum est, non ut duce, sed ut milite.

Alterum, quem in testem produco est Epictetus, qui apud Arianum lib. 2. cap. 20. hæc nobis reliquit: enimverò quî potest olea non moveri, prout fert natura ipsius; aut vitis quodnam aliud est opus, quàm quale ei natura definivit? neque enim vel olea vitis, vel vitis oleæ potest opus præstare: tantùm enim abest, ut id fieri possit, ut ne conjecturâ quidem aliqua fingere istud liceat. Quocirca nec homo omnino affectionum humanarum expers esse poterit. Palmaris est alius locus, qui ostendit id, quod quæritur, ubi sic: visa terrifica animus sapientis non approbat, sed abjicit, respuitque: igitur hoc est inter sapientem, & insipientem discrimen, quòd insipiens, qualia sibi ipse primò animi sui

pulſu viſa ſunt, ſæva, & aſpera, talia eſſe putet, & eadem incepta, quæ quaſi jure metuenda ſint, ſua quoque offenſione approbat. Sapiens autem, cùm breviter, & ſtrictim colore, atque vultu motus eſt, ſtatum, vigorémque ſententiæ ſuæ retinet, quam de hujusmodi viſis ſemper habuit. Ut ergo diſſertationem concludamus, officium rationis erit præſtare, ut in paſſionibus abſcindatur id, quod in latiſſimos palmites exundat; nam ut nullam omnino patiatur, nec ulli ſperandum, nec ulli exoptandum. Hunc modum obſervet, qui nec impietatem in corpus imitetur, nec inſaniam mentis prodat. Fluant lachrymæ, ſed eædem exſiccentur: trahantur ex imo pectore gemitus, ſed iidem & finiantur; talem te approba, qualem Virgilius Æneam deſcribit:

Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.

DISSERTATIO VIII.

Quanta ſit paſſionum vehementia, & quænam omnium maximè violenta?

§. I.

Paſſionum ferocitas.

SIcut Ter Maximus Deus ſingulariter ſuam oſtendit omnipotentiam in ſtupenda hominis fabrica, in qua partes adeò inter ſe diverſas, Terreſtrem unam, cœleſtem alteram, animam ſcilicet, & corpus conjunxit; ſic illius infinita ſapientia reſplenduit in mirabiliſſima temperie, qua mutuam inter eas amicitiam conſtituit. Quamvis enim anima, & corpus contrariis ferrentur inclinationibus, corpus nimirum in terram, è qua fuerat formatum, anima verò in cœlum, unde ſuam traxerat originem, ſcivit tamen intelligentia ſuprema tam dexterè amborum deſideria refrigerare, & juſtitiæ originalis vinculo tam arctè oppoſitos inter ſe appetitus conſtringere, ut anima particeps fieret omnium corporis commodorum, quin ab eo ullâ injuriâ afficeretur; & viciſſim corpus ſpiritui famularetur, quin tamen ab eo ullam pateretur violentiam. In feliciſſimo iſto ſtatu imperabat anima cum magna dulcedine, & corpus ſummo cum guſtu obediebat; quæcunque objecta ipſis proponebantur, utraque pars ſine diſcordia in unum conſpiraverat. Ve-

rùm

rùm non adeò longo tempore fortunatissima ista conditio perduravit; tamdiu solùm eâ gavisæ sunt, quamdiu protoparens noster divinis jussis obedivit. Quamprimùm serpentis promissis allectus, partes dœmonis secutus fuit; statim condignam retulit peccati pœnam, & ex illius exemplo, quo Deo rebellavit, etiam reliqua quamvis subdita, animalia occasionem sumpserunt, contra hominem movendi seditionem, & tanquam hostes capitales insurgendi. Neque hic finita est omnis immutatio; sed ad interiora progressa, in ipso corpore principiorum divisio facta, & corpus ipsum animæ bellum indixit, bellum tantò crudelius, quantò tranquillitas prior non oriebatur tanquam effectus ex natura, sed erat merum gratiæ donum. Inimicitia succedens priori tranquillitati eò adhuc nocentior evasit, quòd ex crimine genesim suam duxerit. Hoc enim sicut in se ex inordinata componitur confusione, ita ubique discordiam proseminat, non solùm ad exsequendam sententiam Divinæ Justitiæ, sed etiam ut eodem tempore proprio obsecundet genio. Ex hoc fonte consurgunt omnes nostrarum passionum turbines, qui licèt æqualiter filii sint corporis & animæ, ac inter utramque partem mediatores esse deberent; crudeliter tamen oppositionem utriusque partis adaugent, ita ut nec minimum quidem actum obedientiæ exercere velint sine crimine. Appetitus, qui concupiscentiæ nomine auditur, plerumque corporis partes protegere conatur; econtra, qui irascibilis nomen implet, plerumque animæ operationibus favet. Primus nos immergit infami otio, & voluptatibus: secundus nos obarmat contra dolorem, calcárque addit ad actiones generosas incipiendas; ita ut homo vix possit cognoscere, quid sit vera tranquillitas, sed cogatur perpetuò in se immanes nutrire viperas, quibus miserè dilaceratur.

Ut verò manifestiùs pateat, quanta sit vis affectuum, si modum excedant, nonnihil dicendum, quot, & quantos ipsi corpori ægritudines hi animi morbi inferant. Vix non audeo asserere, æquè tot strangulari desperatione, quàm anginæ constrictione periclitantur; tot ab ira in furorem agi, quot redundante bile, & felle corroduntur; tot desideriorum submergi poculis, quot hydropisi turgescunt; tot amoris ignibus exuri, quot febrili exæstuant ardore; tot à mœrore exedi medullas, quot vetita absumit gangræna carnes; tot intestinis odiis exanimari, quot lenta phtisi devorantur. Non vacat per pathemata fusiùs vagari ad ostendendum, quas in corpore infirmitates omnes undecim procreare possint: iræ, & mœroris animi potissimùm inspiciamus tristissima ulcera. De ira quidem, quamvìs ea fortè extremam cladem animali non inferat, constat nihilominus, quantum damnum proficiscatur hac furente Megæra.

gæra. Quis lictor latera ſic confringere poterit, quæ verruca ignita ſic explorat corpus; quæ inſania ſic ſtupida reddit naturalia præcordia, ut ira, & furor? Febres exſuſcitat acutiſſimas; ob nativi caloris efferveſcentiam circa præcordia vitioſi humores in peregrinos tubulos præcipitantur ſummo cum impetu; ex quo tumultu motus quidam quaſi convulſivi neceſſariò emergent. Si in exteriores corporis partes tot, ac tantæ proſiliunt alterationes, quos Poëta deſcripſit hoc diſticho:

Ora tument irâ, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæviùs angue micant.

ſi tantas, inquam, alterationes in exteriora membra deſpumat, quas idearum confuſiones, quæ deliria hæc inſaniæ ſoror in mente pariet? poterit quidem interdum frigidioribus quibuſdam corporibus ira foras prodiens non levem afferre utilitatem, quando calorem debiliorem magis accendit, ac craſſiores humores diſſipando confertim exhalat: ordinariè tamen iracundia tam foras proſiliens, quàm intùs compreſſa ſpiritus ſanguineos exaſperabit, æſtuoſiſſima acredine humidum innatum carpet, depaſcetur, atque inæqualibus motuum concuſſionibus, præſertim in bilioſis, melancholicis, & ſenectâ gravatis, plurimorum morborum noſocomium eriget. Maximè autem ſanitatis perniciem ſecum trahet, ubi refectionis tempore ebullire incipiet; tunc enim non ſolùm diſſipatis ac venenatis ſpiritibus concoctio vitiabitur, ſed effuſa bile ſuccus chyloſus fædè inquinatus aut cachexiam inducet, aut diarrheæ intempeſtivas dejectiones provocabit.

Magis adhuc valetudinem evertit, corpúſque peſſimè afficit doloris, & mæſtitiæ introrſum concluſio. Nihil dico de phraſiologia, quibus languorem animi aliqui depingunt, dum eum cordis tineam, amarum cibum,aut balneum diaboli vocitant: id certum, magna ſanguinis, & ſpirituum contractione avocari neceſſarium calorem à ſenſuum inſtrumentis, aliiſque facultatibus vitalibus. Hinc macies, & oſſium exſiccatio, tarditas, & moleſtia operandi, injecto membris torpore quodam, & veluti ſtupore ob ſpirituum attractionem. Cor verò malè torquetur per triſtitiam, eò quòd natura confeſtim benignum ſpirituum nectar per corpus diffuſum ad centrum revocet, & copioſa nimietate aggravet. Iſtud verò, tanquam fornax, neceſſariò ſcatens plurimîs fuliginibûs cum non ſufficiat ob maximam conſtrictionem ad eaſdem depellendas, ideò ejus puritati, & ſerenitati, bonóque ſtatui plurimùm officitur. Hinc iſtis lento tenore diaphragma deprimitur, crebra ſuſpiria & gemitus prorumpunt: aliis appetentia ciborum labefactatur nullis Luculli, aut Apicii coquis reſtauranda; alimentorum

in

in ventriculo concoctio deſtruitur, quæ omnia obſtructionibus, cardialogiæ, melancholiæ, cancræſis tumoribus, aliiſque innumeris morbis fores pandunt, tandémque vivacior ſanguis in vappam ſtagnantem reſolvitur, ut meritò de anxietate & ſollicitudine illud Ovidii proferatur:

Si quid & in nobis, vivi fuit antè vigoris,
Extinctum longis excidit omne malis.

§. II.

Subinde paſiones mortem accelerant.

VErùm inter leviores clades numerandi ſunt tabifici morbi? quibus triſtitia moleſtiam creat; tanta interdum eſt per mærorem cordis exſiccatio, ut poſtquam cuncta, quæ invenit, conſumpſerit, plurimi paralyſi, & apoplexiâ multi in mortem ſint prolapſi, ac ſi debili fulcimento niterentur, ſubrutis eorum viribus immodico triſtitiæ pondere. Sic luctu, animíque tædio obiîſſe maximum Philoſophorum Principem, tradit Juſtinus Martyr in ſua paræneſi, & Gregorius Nazianzènus oratione prima contra Julianum. Sed quid mirum ſi tam atro hoſte incumbente animal ſuffocetur, & vita ipſi eripiatur, ſi ex mera lætitia, quæ utique eſt blandíſſima & floridiſſima titillatio; æquè triſtes effectus germinant? non ſolùm ob immoderatum gaudium lipothimia, & animi defectio conſequitur, ſed plena animalis extinctio non raró accéleratur. Sic fidem non ſuperat, quod notavit Livius lib. 2. Decade 3. nuntiata clade, quæ ad lacum Thraſimenum acciderat Romanis, altera mater ſoſpiti filio ad ipſam urbis portam obvia facta, nimiô gaudiô repentè exſpiravit: altera cum falsô mortis filii nuntiô mæſta domi reſideret, ad primum redeuntis conſpectum exanimis concidit, nec par eſſe potuit gaudio, quæ ſuperfuerat orbitati, & dolori. Sic facilè mihi perſuadet Valerianus maximus, quod ſcribit lib. 9. cap. 12: nempe Philippidem, comædiarum ſcriptorem non ignobilem, cùm in Poëtarum certamine præter ſpem æmulos viciſſet, effuséque gauderet, præ lætitiæ magnitudine ſubitanea morte corruiſſe, & flebilem ſpectatoribus tragædiam exhibuiſſe. Sic negare non auſim teſtimonium Gelii noct. Attic. lib. 3. cap. 15. ex quo accepi, Diagoram Rhodium, cùm tres filios adoleſcentes, unum pugilem, alterum pancratiaſtem, tertium luctatorem eodem olympiæ die ſimul coronatos videret, & eum tres nati amplexi, coronis ſuis patris capiti impoſitis oſcularentur, ſimúlque gratulabundus

dus populus flores undique in eum jaceret, ſpectante toto foro animam efflâſſe. Affectus nimirum iſte maximè cor dilatat, & exinanit juxta illud: *Tunc videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Ex quo fit, ut vitalis, & inſitus calor foras ad rem lætabilem immodicè diſpellatur, & animoſo occurſu feſtinet, ſensímque per ſudorem, ruborem, & ſanguinis diffuſionem intereat, & evaneſcat. Poteſt inſuper ad hæc incommoda præter neceſſariam ſpirituum eruptionem plurimum conferre cohibita inſpiratio, ſoláve, ore ſemper patulo manente, continua exſpiratio; ſic enim cor reſpiratione opportuna deſtitutum calore opprimetur, animúsque deficiet. Videtur res eô modô habere, ſicut cum iis, qui diu in tenebris verſati, ſi repentè maximo ſplendori occurant, ſubitò excæcantur. Sapientum enim conſenſu natura ſubitas mutationes non tolerat. Sic etiam illis, qui famem longo tempore perpeſſi ſunt, evenit; quippe in cibum magna involant aviditate, plúsque alimenti aſſumunt, quàm eorum virtus poſſit digerere, quo fit, ut abundantiâ non reſtaurentur, ſed potiùs pereant.

Denique validus, & intempeſtivus riſus, quamvis progenies ſit ipſius gaudii, tam magnum eſt malum, ut non minùs pluribus interitum adduxerit lachrymis dignum. Ita Zeuxis pictorum Alpha, cùm anum à ſe admodum ridiculè depictam fuiſſet contuitus, adeò vehementem ſuſtulit cachinum, ut animam in faciem edentulæ vetulæ exhalaverit. Chryſippi immoderatus riſus paſſim legitur; cùm enim puerum tardiùs accurrentem ad abigendum aſellum, ficus devorantem adhortatus fuiſſet, ut quando cibum aſello dediſſet, propinaret & potum; inter hæc dicendum adeò vehemens eum riſus aggreſſus eſt, ut poſt hunc labia nunquam ampliùs commoverit. Scilicet in his, & ſimilibus eventibus ob diaphragmatis dilatationem per conſenſum nimis quoque muſculi thoracis dilatantur; unde præter diffuſionem nimiam, & diſſipationem ſpirituum, latera quoque & dorſum, & univerſum corpus nimia ſuccuſſione, & agitatione malè afficitur. Hoc tamen eſt obſervatum ab eruditis, difficiliùs vitam eripi per inordinatum gaudium, quàm per triſtitiæ oppreſſionem. Confirmant item plurimi variis hypocratis, & Galeni teſtimoniis, neminem per iram mortem obiîſſe, quorum auctoritas non levi ratione fulcitur. Nempe cor per iracundiam non prorſus evacuatur, ut in affectu gaudii contingere ſolet; neque ſuffocatur nimio ſanguinis & ſpirituum appulſu, quot inſolitæ triſtitiæ conſectarium eſſe dicitur. Quando igitur apud aliquos legitur, Lucium Syllam, Nervam, & Valentinianum Imperatores, ac Wenceslaum Bohemorum Regem nimio furore excandeſcentes interiîſſe, id vel caſui extra naturæ

leges

leges communes adscribendum, vel non tam in affectum iræ referri oporteret, quàm in morbum ex ira conceptum; si autem mors repentina ingruerit, eadem attribuenda est causæ alicui alteri præsentaneæ necis, quæ connisu vehementissimo, & contentione extraordinaria loco, & sede movetur. Sic Valentinianæ mortis originem reddit S. Hieronymus erumpentem nimium sanguinem, eò quòd Imperator adversùs Quados, & Sarmatas propter Illiriei depopulationem minitans, & fremens exarsisset. Ordinariè tamen iracundia non infert necem; retractis enim ad cor sanguineis spiritibus arx vitæ firmatur: neque tamen omninò opprimitur, eò quòd retractatio cum moderamine contingat.

Vidisti ex parte aliqua quantorum malorum mater sit inordinatus passionum fremitus, ubi anima instar naucleri, vel Principis in Imperio eas non moderatur, ac regit. Hoc tantùm addo, affectus sensitivos, nisi superioris facultatis mandato intra legitimos contineantur fines, longè fortiores esse, quàm sint ipsi affectus voluntatis circa objecta spiritualia. Confessionem hujus asserti sic extorqueri posse judico. Cognitiones, quæ circa bona intelligibilia solùm versantur, tametsi interdum non relinquant dubium de veritate; nihilominus sunt obscurissimæ circa rerum proprietates, nec aliæ, quàm quales solet formare de luce, & coloribus cœcus à nativitate: vel quas formaret de pratis, montibus, montibus, floribus, de insulis, stellis, urbibus, musica &c. ille, qui natus, & educatus esset in obscurissima specu subterrenea, audirétque Philosophos de his multa hinc inde disputantes. Ita quamvis animæ nostræ vi polleant intellectivâ; quia tamen à primo suæ creationis instanti fuerunt inclusæ intra specum terream hujus corporis, ad quam per nullum sensum illabitur ullum æternum, ullum infinitum, ulla substantia, aut ens spirituale: & ex altera parte, quia harum rerum species infusas à Deo non habent: ac demum qui suâ perspicaciâ non adæquant Angelicam, quæ sensibus corporeis carens ad intelligendum illis non indiget, eò quòd sit substantia completa spiritualis: hac de causa obscurissimum formant conceptum de amabilitate horum objectorum; cùm tamen clarissima fruantur cognitione earum rerum, quas aliquo sensu prendunt. Jam verò ex obscuritate harum cognitionum naturaliter nascitur, quòd prosecutiones, aut fugæ appetitûs in res vel nullo modo, vel non nisi tepidissimè ferantur. Accedit, quòd plerique hæreant in purissima superficie, nec ulteriùs applicent intellectum, ut attenta meditatione ac consideratione denudent bona intelligibilia, eáque perfectè apparere faciant, juxta illud Jeremiæ 12. *Nullus est, qui recogitet corde:* atque illud alterum: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena in-*

inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sap. 9. econtra ex perspicacitate cognitionum circa alias res, quas sensu aliquo possidemus, naturaliter procedit, quod prosecutiones, aut fugæ sint vehementissimæ, & nisi Deus, & ratio opituletur, etiam violentæ. Denique affectus appetitûs sensitivi connexi sunt cum transmutatione corporali, ratione cujus clariùs innotescunt, magisque percipiuntur, & eô ipso sæpiùs quæruntur tanquam remedia, & medicinæ adversùs alios affectus, & dispositiones molestas, &, si ita loqui fas est, quasi febriles; ideò avidiùs appetitus eosdem indagat, eísque intensiùs, majoríque cum impetu incumbit. Hæc autem iterum non ita se habent in affectibus facultatis rationalis: igitur etiam ex hoc capite patheticæ appetitiones sua virtute superant affectus potentiæ rationalis.

§. III.

Quid de hoc senserint Antiqui?

ATrocitas hæc passionum non latuit antiquos Philosophos; sed in hoc errârunt, quòd illius fontem assererent solam voluntatem, & radicem illarum opposita intrinseca principia, animam scilicet & corpus, non agnoscerent. Judicabant ex mala consuetudine, vel ex falsis opinionibus omnem provenire tumultum; ideóque sicut morbos, contrariis expellere medicamentis nitimur; ita sibi persuadebant, optimis præceptis, & bona educatione, eundem esse tollendum. Ideo erexerunt publica lycæa ad disputandum de summo bono: composuerunt panegyricas orationes ad extollendum virtutis pretium: declamârunt contra patheticos motus maledictis invectivis ad eosdem eliminandos. At ubi se ipsos debiles nimiùm deprehenderunt, & omnem laborem adhibitum recidere incassum, tunc temerariè ausi sunt supremam Dei Sapientiam accusare, quæ hominem fabricâsset ex duabus partibus, quas impossibile foret, amicâ inter se concordiâ gaudere. Si uno, vel altero passu longiùs progressi fuissent, semitam invenissent, quæ ad veritatis cognitionem certò adducit. Si enim nobiscum fatentur Deum adeò justum esse, ut nihil possit à nobis exigere, quod vires nostras superat; facilè indè inferre potuissent, tantam fragilitatem ex delicto aliquo perpetrato tanquam pœnam, & jugum, sub quo gemimus, non imponi nobis à natura; sed descendere à justa Dei vindicta. Facillimum erat hoc consequens eruere: agnosco propriam virium debilitatem; igitur ad sum-

ſummam bonitatem pro impetrandis auxiliis eſt recurrendum. Sed excæcavit illos propria ſuperbia, maluerúntque accuſare Altiſſimi providentiam, quàm propriam confiteri infirmitatem. Utinam non in hoc idem ſæpè veræ fidei cultores delinquerent, & potiùs ſcelera ſua agnoſcerent cauſam eſſe tantæ tyrannidis, quàm ut Deum nimii rigoris inſimularent. Non ex ſola originaria culpa proſiliunt viperæ virulentæ affectuum; ſed ex propriis ſceleribus plurimùm ſoboleſcunt. Permittit Deus inimicos ſuos ſub inſanientium paſſionum beſtiis vexari; ille furiis iſtis infernalibus imperat, ut ſui loco vindictam exerceant, ille convertit hominum peccata in illorum ſupplicia, ut quotidiano diſcamus uſu, quàm verè Auguſtinus ſcripſerit: *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Non opus eſt, ut Deus ex abyſſo dæmones evocet; non ut barathri fauces adaperiat: ſceleratus ſui ipſius carnifex tot in ſe experitur tormentorum genera, quot enutrit paſſionum monſtra. Tot flagella, quæ nos exterrent ſuo ſtrepitu, non ſunt omnium duriſſima: peſtes, quibus integræ regiones exhauriuntur; bella, quæ provincias devaſtant; fulmina, quæ capitibus noſtris imminent; voragines, quæ terræ motibus recluduntur, leviora tantùm ſunt iræ divinæ verbera: utitur ſæpè iſtis, tanquam miſericordiæ ſuæ inſtrumentis ad corrigendos filios chariſſimos. At ubi ſtatuit multarum culparum reos punire, & ad plenè ſatisfaciendum juſtiſſimæ ſuæ indignationi proponit eos derelinquere in luto ſuarum immunditiarum; tunc imperat paſſionibus ſæviſſimam exercere carnificinam; permittit, ut inclinationes iſtæ in peccata convertantur, & ut in erroribus ſuis majorem ſaporem guſtantes non ampliùs cogitent de ſeditione mitiganda, aut vitâ ad meliorem ſtatum convertendâ.

Hoc ſolùm habet aliquid commodi in paſſionibus, quòd longo tempore non ſubſiſtant, tum propter fluxum, & refluxum continuum ſenſibilium objectorum, tum propter agnatam illis transmutationem corporalem, cujus diuturna, & uniformis permanentia valdè nocet, nec à natura toleratur. Sicut enim beneficiô Divinæ providentiæ contingit, ut ſcorpionum unus alteri inſidietur, eúmque perimat, ne fæcundiſſima peſtiferorum animalium propagatione humanum genus attenuetur; ita reſpectu horum colubrorum, qui fæcunditate ſua virtutes multùm ſuperant, bonum eſt, ut unus ab altero interimatur, ſéque illi carnificem præbeat. Videlicet quælibet affectio diutiùs attentè, & uniformiter continuata cor vexare, & naturalem ejus diſpoſitionem plurimùm immutare ſolet. Quare eodem modo, quo, neceſſe eſt variare agentium externorum incurſus, ut immutatis eorum influxibus incolumitati

corporis confulatur; quod fieri vix poterit absque calidorum, & frigidorum, humidorum, & ficcorum viciffitudine; ita oportet quoque variare fenfibiles motus, ne organa earum operationum nimiùm depraventur, in eámque incidant corruptionem, cujus deinde emendatio, & reditus, in ftatum naturalem reddatur impoffibilis. Exercebunt igitur paffiones perpetua inter fe certamina; odium extinguet amoris flammam; pavidus timor perimet temeritatem; fpes cum defperatione pugnabit; nihil magis hilarem delectationis vultum contriftabit, quàm mæftus doloris afpectus. Imitabuntur Cadmæos fratres, qui fimul ex draconum dentibus nati, & educati, mutuò in fe ipfos irruerunt, féque invicem confecerunt folis fuperftitibus feptem, ex quibus Thebanus populus traxit originem. Hoc igitur perpetuum, & ferum paffionum bellum iniquam illarum intenfionem aliqua ratione diminuet, temperabítque.

§. IV.

Quænam ex omnibus paſsionibus ferociſsima?

SIcut autem opus eft optimè perfpectos habere morbos, ut proportionata remedia poffint adhiberi: ita non minùs juftum eft in indolem corruptorum iftorum halituum indagare, & quærere, quinam omnium fortiori affultu hominem aggrediatur, ut pariter fapienti, & fufficienti gubernentur regulâ. Circa hanc materiam philofophi adeò difcordant, ut eorum litigia ad hanc usque diem nondum fuerint compofita. Divinus Plato dubiam quæftionem non refolvens, folùm docuit quatuor effe pathemata, quæ aliis viderentur potiora. Horum voluptatem ftatuebat primum, quæ licèt exteriori facie nihil, nifi dulcedinem fpiraret, pertinaciori tamen impetu bellum rationi movet, quàm dolor. Secundum dicebat iram, quæ, cùm aliud non fit, quàm fanguinis fervor circa cor, neceffariò in igne, & fervore confiftit, & nifi benignior natura curâffet, ut in ortu primo ftatim fuffocaretur, monftrum ferocius non facilè reperiretur. Hæc bellua, licèt fit valdè indomita, non tamen adeò longè diftat à ratione, quàm voluptas; quia ficut faciliùs cicurari poffunt leones Africani, quàm pifces, ita minori labore fedatur homo irâ accenfus, quàm voluptatibus immerfus ex illis extrahatur. Tertium eft defiderium honoris, quæ reliquas omnes appetitiones multùm fuperat: hæc enim auget animum militum ducibus ad expuguanda urbium munimenta; hæc eloquentes reddit oratorum linguas, & hæc fapientes facit phi-

philoſophos ; quamvis enim omnes iſti diverſas ingrediantur vias, ad eundem tamen tendunt terminum. Quartum eſt timor mortis, qui armis ſuis tam inſolitos excitat turbines, ut eos quidem patiamur, non tamen ſufficienter cognoſcamus. Illa hominem omni umbra mali exterret, & tamen ipſi audaciam inſpirat : auget vires jam proſtratis, & adjuvante deſperatione recuperat victorias jam deperditas. Sed veniam nobis dabit nobiliſſimus Philoſophus, ſi illius rationes non approbaverimus. Voluptas enim potiùs origo eſt omnium paſſionum magis placitarum, nec adeò ferocit, ut non facilè pacificetur, ubi dolor ipſi opponitur. Vires has ſuas omnes deperdit ad inimici adventum, nec homines facilè corrumpit, niſi ubi nulla ipſi contrarietate reſiſtitur. Quàm primùm occurrit, qui voluptati bellum movet, cedit illa, fugítque, atteſtante experientia, quòd leviſſimum vulnus inflictum obliterare ſoleat delectationem etiam intenſiſſimam. In ira fervet revera ardor ; ſed modicè durat, & niſi migret in odium, ſubitanea magis erit, quàm violenta, nec malignos adeò producet fructus, aut perverſa excogitabit conſilia. Gloriæ deſiderium æternitatem quidem fert, & juxta Tacitum omnium noviſſimè exuitur, malóque huic non niſi morte adveniente medeberis : attamen multiplicata hinc inde infortunia illud diminuunt, & duo, aut tria certamina infeliciter inita, in melancholicam illud convertunt triſtitiam. Contentus vixiſſet Alexander devictâ Græciâ, ſi Perſia habuiſſet, quem ipſi opponeret, & ſiniſter aliquis prælii ſucceſſus reſtringere potuiſſet, frænaréque indomita deſideria : magnanimum illíus pectus, cui anguſta minùs erant totius mundi confinia, ſatiatum fuiſſet ſolo Patris ſui Philippi regno, ſi tot, tam felices, & temerariam etiam ſpem excedentes victoriæ ambitionem non inflâſſent, totiúsque orbis dominium promiſiſſent. Timor mortis eſt paſſio, quæ plebeios tantùm animos occupare ſolet ; generoſi eandem ſpernunt ; infirmi ab ea ſeſe defendunt ſpe omnium miſerorum individua ſocia : hæc ubi defecerit, ſuccedit deſperatio, ferax arduorum, & omnem philoſophorum conſtantiam ſuperantium actuum.

Ariſtoteles in uno, vel altero loco ſuſtinet odium eſſe eam paſſionem, quæ ultra debitum ordinem hominem maximè excedere compellit. Quando enim ira, aliàs de ſe ſatis formidabilis, multis ſuſpicionibus nutrita, maledictis exaſperata, & in ſinu, tanquam fornace, longo tempore excocta, mutatur in odium, tunc ſecum trahet cumulum omnis perfidiæ, præcipitabítque in omnia ſcelera. Tunc enim in cordis throno reſidens (quod aliàs amori pro ſede deputatur) omnes alias paſſiones ſuo furori cogit famulari. Ira ipſi providet de armorum gene-

re; audacia pro ipſa confligit, ſpes fauſtum promittit exitum, deſperatio ad victoriam obtinendam adjuvat, & quod adhuc magis obſtupeſcendum eſt, ex ipſo amore, quamvis hoſte ſuo vires colligit. Utitur enim illius axiomatibus ad oppoſitos prorſus fines ſequitur illius veſtigia, & placitum adeò affectum adigit eſſe miniſtrum tam deteſtabilium intentionum, ut pulchrè annotavit Seneca in Medæa.

Si quæris odio miſera, quem ſtatuas modum,
Imitare amorem.

Nihilominus ſicut Protothypus nunquam aſſequitur Ectypon, ſic odium quàm pertinax denique illud ſit, cum amore tamen nunquam erit comparandum, ſempérque infra illius gradum ſubſiſtet. Ideò aliqui etiam ſtagiritæ opinionem deſerentes judicârunt, Zelotypiam violentiâ de omnibus paſſionibus triumphare; & verò, ſi hæc ſententia veritatem non attingit, certè fundamenta ſatis firma obtinet. Cùm enim Zelotypia componatur ex amore, & odio, contrarii adeò hoſpites in officio contineri non poterunt, quin ſæpè bellum oriatur, & quin ſubjecta pathemata arripiant arma ad tuenda utriusque commoda; hinc Zelotypus nunquam carebit timore, audaciâ, gaudiô, triſtitiâ: & deſperatione: quamvis autem zelus mixtum aliquod ſit ex amore, & odio, non tamen ſequitur eſſe maximè impetuoſam ex omnibus corporis impreſſionibus; ingredientia quippe hujus miſcellæ nunquam quieta ſimul permanebunt, niſi in certo gradu attemperentur; & ſicut elementa non uniuntur in eodem corpore, ſi illorum virtutes non refringantur; ita ex ambabus paſſionibus nunquam conſurget Zelotypia; ſi utriusque vires debita ratione non inhibeantur. Opportet neceſſariò, ut amor imminuat odium, ut delectatio debilitet dolorem, & ſpes mitiget deſperationis exceſſum. Non deſunt ſimilitudines ad rem declarandam. Sic enim inventa ſunt venena, quæ ſimul permixta, antidotum efficiunt mortifera ſua vi deperditâ, & necis loco vitam afferunt. Ita in Zelotypia ab amore extinguetur rabies odii, nec tam acutis ſtimulis cruciabitnr Zelotypus, cùm iſti elidantur in oppoſitarum paſſionum pugna. Igitur cogimur tandem dicere, amorem eſſe, qui reliquos omnes affectus ferocitate ſuperat, utpote qui juxta ſuperiùs dicta omnium aliarum cordis agitationum principium, & cauſa fuit oſtenſa. Reliquæ cunctæ fateri debebunt, omnem ſe accipere ſuam virtutem ab eo, à quo tanquam ſcaturigine proveniunt; & per hunc in ipſas influere omnem efferatum impetum. Amor eſt quaſi princeps, qui inclinationibus reliquis tanquam ſubditis imperat, ille eſt quaſi primum mobile, quod reliquas ſphæras ſecum proprio motu trahit; ita ut incumbendum ſolùm ſit ad

debi-

debitam amoris moderationem. Si enim hic ritè dirigatur, omnes aliæ exemplum imitabuntur, & homo qui moderatè ſcit amare, facilè poterit violenta frænare deſideria, aut vanas ſopire ſpes.

DISSERTATIO IX.

An paſſionum atrocitas tollat libertatem.

§. I.

Nulla eſt timenda libertati violentia à paſsionibus.

OB ſummam hanc affectuum efficaciam ad pertrahendam in facinoris conſortium voluntatem, de qua unusquisque poteſt ſibimetipſi ferre teſtimonium locupletiſſimum, aliqui longiùs ſunt progreſſi, quàm par erat; & quærentes excuſationem ſuis delictis, ſtatuerunt, liberam facultatem ab his tortoribus juratô odiô in eam tendentibus abripi, & vinciri. Hoc Ethnicos voluiſſe ex eorum doctrina non obſcurè liquet. Sic enim diſcurrebant: facilius eſt excludere pernicioſiſſima, quàm regere; & non admittere, quàm admiſſa moderari: cùm ſemel in poſſeſſione poſita ſunt, ſuum ſuperant rectorem, nec ſe recidi, minuíve patiuntur. Deinde ratio ipſa, cui fræna traduntur, tamdiu potens eſt, quàmdiu affectus eam non impugnat: ſi ſemel ſe illi commiſcuerint, & inquinaverint, quos priùs ratio facilè ſubmovere potuiſſet, continere ampliùs non poterit; ut enim in præceps datis corporibus nullum ſui arbitrium ſupereſt, nec reſiſtere, moraríve dejecta poſſunt, ſed omne conſilium, & pœnitentiam abſcindit irrevocabilis præcipitatio, debéntque neceſſariò eo pervenire, quo priùs non ire licuiſſet: ita animus, ſi in iram, amorem aliósque ſe projecit affectus, non permittitur reprimere impetum, rapietur vi illorum oportet, ſuo pondere ad imum agetur, nec adregrediendum ampliùs locus relinquetur. In primis finibus hoſtis eſt arcendus; ubi namque ſemel intravit, portísque ſe intulit, modum agendi à captivis non recipiet. Ubi mens irritamenta affectuum in ſe ipſa patitur, jam ultrà, quàm oportet, proceſſerunt: facient de cætero quantùm volent, non quantùm ratio permiſerit, júsque omne in voluntatem ſibi arrogabunt. Ex his, ſimilibúsque veterum lamentis de vi paſſionum in raptanda voluntate ſpurciſſimus Calvinus lib. 2. in-

instit. cap. 3. intulit, relinqui tantum voluntati, ut ſpontaneè, & non coactè, non tamen cum poteſtate frænandi operationem eliciat.

Nihilominus nullam libertati à paſſionibus, quamvis multùm ferocientibus timendam eſſe violentiam, eſt manifeſta fidei veritas. Proſtat námque peremptorium ſummi principis, ac naturæ auctoris edictum ad hominem, in quo, non minùs appetitus viguit: *Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Arieti huic potentiſſimo addamus ad urgendum philoſophorum auctoritatem. Adeat hæreſiarcha horum principem, & lib. 3. ethicor. cap. 1. videbit, contrarium dicere eſſe ridiculum, eſſe excuſationem, quæ jure obtendi non poſſit ſceleri ex cupiditate admiſſo. Legat Platonem, & inveniet, nihil eſſe frequentiùs illi, quàm loqui de aurigatione animæ, ad hoc, ut præmium pænámque conſequatur. Stoicos ipſos, quos tamen pro ſe allegat, idem ſenſiſſe teſtatiſſimum eſt ex eo, quod docuerint, appetitum à facultate libera eò usque domari poſſe, ut ne mutire quidem contrà audeat. Sed quid importunè ſuffragia philoſophorum coacervamus, quos omnes idem ſenſiſſe, atque idcirco impegiſſe, ultrò concedit libertatis juratus oſor Calvinus? igitur ad rationis tela deſcendendum eſt, quæ tamen ipſa Ariſtotelis pharetra ſuggerit, ſic igitur contendo. Appetitus cum ſuis functionibus habet ſe ad partem rationalem tanquam ſubditus ad principem, non quidem principatu deſpotico, qui eſt domini ad ſervum, ubi præcluditur facultas rationes, & ſua proponendi jura; ſed principatu politico, aut regali, qui relinquit ſubditis liberam quoad plura electionem, ac diſpoſitionem: imò quoad plura ſubeſt rationis imperio, quàm ulla potentia materialis. Sib facultates animæ vegetantis per ſe, ac directè liberæ voluntati non ſubſunt, ſed prorſus ad ejus mandata ſe ſurdas exhibent. Sanè demiſſo in ventriculum cibo, liberum homini ultra non eſt, ut materia illa dentibus ſubacta, & commolita, poſtmodum interventu caloris, tritura, maceratione, fermentóque liquorum excoquatur in chylum, ac per venas lacteas, tanquam elices, ac tubos ad ductum, quem thoracicum Recentiores Anatomici appellant, deferatur: non eſt ampliùs liberum, ut materia hæc ad varias corporis partes derivata præmiſſo multiplici apparatu diſpoſitionum, viventis formam inducat, illúdque alat, & ſuæ quantitatis acceſſione, amplius faciat. In hæc quippe omnia, ſemel ingeſtô cibô, nullum ultra jus eſt voluntati. Judicium idem eſt de externis ſenſibus; nam ſi objectum adſit, & potentiam immiſſa ſpecie, objecti ſemine, perfundat, non erit in poteſtate voluntatis ſtatuere, an actus diſpoſitioni illi conſentaneus exſurgere debeat, an non: etſi ſenſationem externam impedire volueris, ſenſorium obſtruere cogeris.

Fun-

Fundatur hæc necessitas in fine proximo harum potentiarum materialium, quæ est conservatio proprii individui, aut speciei ; unde quoad operationes immediatè necessarias ad utrumque istum finem non possunt impediri directè per imperium rationis, sed tantùm indirectè, subtrahendo nimirum pabulum, vel intensè speculando, ut spiritus, & vires animæ exsugantur, ut iis accidit, qui libris impallescunt. At verò longè aliter se res habet in appetitu sensitivo, nulla enim operatio hujus facultatis, rationi magìs propinqua, ita est necessaria ad fines assignatos conservationis individui, & speciei, sicut ad eosdem requiruntur necessariò actus aliarum virium & partium corporis, maximè verò cordis, & quæ ideò omnium minimè subduntur voluntatis imperio. Relicta igitur erit voluntati libertas indifferentiæ supra hanc virtutem sensitivam, & illius operationes, utpote, quæ non sunt determinatæ ad prædictos ipsarum fines immediatos: ipsa autem voluntas captiva, & renitens à subdito suo abripi, eique subiacere non poterit; sed ad summum per sympathiam harum duarum facultatum in eadem anima radicatarum contingere poterit, ut appetitu in aliquod objectum inflammato vicinus voluntati paries ardeat, & flammam de incenso fomite adjuncto concipiat.

Hinc insignem injuriam in Magistratus,& legislatores, ac quotquot alios faciunt, qui ut appetitui obsistamus pro potestate, & à passionibus nos avocare satagunt, inficiatione libertatis quinti, ac sexti Evangelii buccinatores nuperi Calvinus, Lutherus, & mali hujus corvi malum ovum Melancthon. Quid enim proderunt tot Senecæ, & Epicteti, aliorúmque admonitiones, si tetra hæc, & in legum eversionem conficta de hunanæ libertatis inanitate opinatio solidò nitatur fundamento ? verùm ut hæc omnia adhuc magìs perspectiora fiant, fásque sit unicuique insignem totius honestatis eversionem ex teterrimo hoc dogmate consecuturam, quasi manibus palpare; statuamus hominem de Calvini caula hac persuasione institutum, mala, quæ admittit, necessitate admitti, ereptâ sibi ad bonum facultate à sæviente passionum tyrannide, quarum impetum effugere, aut cassum reddere non valeat. Hunc igitur Calvini propositionem sic persuasum, & obfirmatissimè perversæ opinioni affixum statuamus inter virtutes, & passiones medium, hinc trahente ad carnis affectus concupiscentia ; inde invitante ad bonum naturaliter insito rationis lumine, piis monitis, Deo ipso per scripturas, ac præsertim per internum magisterium in cordis scholâ, eò nutantem animum impellente. Interim via ad bonum aspera, salebrosa, prærupta, & sentibus obsita proponitur : econtra delapsus in bonum sensible lenis, mollis, rosas inter, ac violas, nullius laboris, nullius difficultatis amaritudine perlitus

litus obversatur animo. Occurret insuper menti motus appetentis facultatis eâ efficaciâ adigere, & pellicere, ut obsistere tantis viribus humanam excedat potestatem; viam ad bonum esse occlusam, ac imperviam, quidquid tandem conetur homo. Eccui dubium incidet, quamnam in partem his propositis misera voluntas se summo impetu sit præcipitatura? quid enim segetem sibi mæroris, ac tristitiæ comparet per stultum laborem illud exsequendi, quod præstare nulla poterit ratione, sublatâ ad id facultate? quorsum inane ineat consilium vitandi illud, quod, ut homo maximè velit, passio, cui resisti non potest, ab invito extorquebit? hortamenta, aut leges propones? causabitur inanes esse voces. Sibi enim per passionis assultum adacto ad eam partem, quam amplectitur, fas non esse ad aliam verti. Intentabis supplicia, præsertim æterna in passionem consentientibus divinitus infligenda? ne ille sublatô cachinnô fatua hæc terriculamenta explodet. Quòd lumen naturæ clarissimè ostendat, ab infinita bonitate alienum esse, ut quæ per nos fieri injecta necessitate voluit, tantarum immanitate pænarum plectere statuat, cùm vel apud barbaras gentes eorum, quæ invitus quis admisit, supplicium nemo sustineat. Itaque facessere sine dubio jubebit importunum hortatorem, & auribus ad quævis monita occlusis, præceps ruet in ea bona, quæ sensum in præsentia feriunt, iis flocci factis, quæ plena fellis, ac amaritudinis, insensibili aliqua, & procul posita, imò verò assecutu impossibili bonitate prædita ostentantur. Unde monitorum, inspirationum, ac legum, divinæ, ac humanæ operæ fructus omnes everti nemo non videt.

Quæ autem hucusque in medium protulimus de facultate appetente, non sunt vel ad irascibilem, vel ad concupiscibilem tantùm arctanda. Reperies quidem apud Stagiritam 7. Ethic. cap. 6., iram quodamodo sequi rationem, cupiditatem non item, & ideò cupiditatem esse ira turpiorem. Per hoc tamen non intendit tueri, appetitum concupiscibilem extorquere à ratione omnem actionem. Sed tantùm affirmat, concupiscentiam includere plus turpitudinis, eò quòd semper exorbitet à via, quam recta ratio indigitat; ira autem plerùmque consurgat, ex edicto rationis, & in illud, quod faciendum est effervescat, quamvis cum admixta aliqua perturbatione. Et hunc germanum esse sensum verborum manifestè deprehendes, si modò lectionem non interruperis, sed ab iis, quæ separatim dicuntur de concupiscentia perrexeris ad ea, quæ de ira scribuntur. Ita enim juxta Mauri clarissimi interpretis versionem sequitur: jam verò minùs turpem esse incontinentiam iræ, quàm cupiditatem, consideremus. Ira enim audire quidem rationem videtur, sed tamen

non

non rectè percipere, quemadmodum festini ministri faciunt, qui priusquam omnia, quæ dicuntur, audiverint, excurrunt, deinde ab actione aberrant, & canes quoque, antequam inspexerint, an amicus sit quispiam, si strepitum tantummodò fecerit, latrant. Ita ira ob fervorem, celeritatémque naturæ audiens quidem, sed non quid præcipiatur, attendens, ad vindictam incitatur. Nam statim, ubi ratio, vel imaginatio contumeliam, aut contemptum esse ostenderit, ipsa quasi ratiocinando collegerit, bellum ei esse inferendum, indignatur. At cupiditas, si tantùm ratio, aut sensus, suave esse aliquid, dixerit, ad fruitionem ejus incitatur. Quare ira rationem quodamodo sequitur, cupiditas non sequitur. Turpior igitur cupiditas est, ex quibus patet, Philosophi mentem non esse, quòd ira rationem sequatur, eíque politicè obediat, non item concupiscentia: sed contendit, quòd ira sæpè in idemmet opus cum recta ratione conspiret, non item concupiscentia. Verum est, quòd ira excitetur per rationem, non item cupiditas, quæ in nobis ab ipsa infantia inolevit; nihilominus accepit animus potestatem frænandi stimulos corporis, & quasi legitimus ac perfectus auriga ultra concessas metas extollentes se carnis impetus cœlestium præceptorum habenis reflectit, ne ultra terminos suos currus corporis raptus in periculum suum secum rapiat, & ipsum aurigam.

§. II.

Non tamen omnes affectus subsunt imperio voluntatis.

CÆterùm non omnes universaliter actus appetitûs sensitivi obediunt imperio rationis, & de lege naturali fieri non potest, ut omnes ita subsint, sed solùm per extraordinariam Dei providentiam. Quòd enim homini (verbis utor S. Thomæ quæst. 25. de veritate. art. 7.) in primô statu collatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret, & anima corpus, non fuit ex virtute principiorum naturalium, sed ex virtute originalis justitiæ, ex Divina liberalitate superadditæ. Quâ quidem justitiâ per peccatum sublatâ homo rediît ad statum convenientem sibi per principia sua naturalia: & ad quod affirmandum S. Doctorem impellere potuit sequens ratio: nihil ad arcanum tribunal intellectûs pervenit, quod per alicujus sensûs conclave non transiît; priusquam igitur supremus judex deliberet, de agendis, & appetendis circa sensibilia, sensus ea-

dem exhibent virtuti appetitivæ, quæ tanquam potentia necessaria, non poterit suspendere, aut differre suum actum ad intellectûs deliberationem, & subsequentem voluntatis electionem, sed protinus juxta objecti conditionem prosiliet in operationem. Analogiam præbent sensus externi, in quibus necessario sensatio, cùm primum objectum convenienter applicatur vel per se, vel per speciem sui operatio sequitur. Sic etiam in sensu interno, ubi imaginatio prima apprehenderit conditionem objecti, fieri non potest, ut prosecutio, aut fuga illius suspendatur, exspectétque rationis beneplacitum. Quòd si autem hi omnis tranquillæ vitæ inimici ita indomiti fuerint, ut rationis judicium opprimant, tollántque habilitatem proximam ad illa opportunè consideranda, quæ ad rem vel maximè spectant, supremæ potestati liber usus eripietur. At, quæres, quî poterit corporis motus judicium rationis opprimere? aio hoc modo. Dependet habilitas mentis ex usu quarundam potentiarum sensitivarum, & certa earum dispositione. Hæc cùm ob vehementem corporis immutationem, semper cum ferocitate passionis conjunctam, perturbetur plurimùm; hinc malum propagabitur in supremam dominam, ligabitúrque habilitas intellectûs ad ritè excutienda, quæ ad rem summè pertinerent.

Non solùm autem affectus, qui voluntatis electionem præveniunt, non possunt ab ejus imperio subigi; sed etiam, qui directionem rationis exaudiunt, non statim ad primum instans obedientiam & conformitatem mandatis reginæ exhibent. Politicè, ut dixi, subdi postulant, ita ut nec omnino imperium detractare queant, nec omninò cogantur jussa ita exsequi, ut motiva in oppositum occurrentia proponere non liceat. Similitudinem hujus rei cedrô dignam exhibet Philosophus 1. Ethic. cap. ult. in hæc verba: *quemadmodum resoluta corporis membra, si ad dexteram movere volueris, è contrario in sinistrum deferuntur; sic quoque in anima contingit, in contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur.* Sensus est, quemadmodum cùm per morbum, v. g. paralysin, aut per ebrietatem contingit dissolvi membra corporis, virtus corporis rectrix non potest plerumque membra torquere, in quam vellet, partem; sed cùm directio inflecteret ea in partem sinistram, ipsa contrariô impetu in dextram feruntur: ita appetitûs functiones non ita subjacent animæ edicto, ut sine murmuratione illius jussa capessant; sed sæpiùs in contrarium obnituntur, cùm ratio aliquid dictat. Nimirum irritationes patheticæ suspendi, aut variari aliter vix possunt, quàm suspensa aut variata imaginatione, à qua appetitiva facultas immediatè & universaliter dependet quoad omnem operationem, ejúsque omissionem.

nem. Unde ſicut fieri non poteſt, ut feratur in incognitum, ita repugnat, ut non tendat in cognitum ea ratione, ſub qua ipſi propoſitum fuerit. ſuſpenſio autem, & variatio phantaſiæ non contingit in inſtanti, ſine interpoſita temporis mora, quâ opus eſt, ut ſpiritus ad ſedem ſensûs interni vel avocentur, vel revocentur. Et hæc eſt cauſa, ob quam aliqui tantam experiantur difficultatem ; & ingemiſcant in reijcienda aliqua imaginatione, & in adducenda aliqua alia, quam efficaciſſimè deſiderant rejectam, & adductam.

§. III.

Satisfit rationibus hæreticorum.

QUia tamen damnatam ſuam doctrinam adverſarii Apoſtolo, aliiſque gravioribus viris attribuunt, ideò ne ſimplices circumveniantur, paucis redarguenda ſunt, quæ ad errorem defendendum allegantur. Inprimis igitur aiunt Sanctum Paulum ad Rom. 7. ſub tam duris paſſionum catenis gementem non erubuiſſe profiteri, ſentire ſe legem in membris ſuis, à qua captivaretur in lege peccati, & mox addidiſſe : *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, illud facio.* Quid iſtis clarius poſſet in medium afferri, quàm quòd actiones quæcunque potentiæ iraſcibilis, & concupiſcibilis, non fiant liberè, ſed appetitu quodam præcipiti, ac impetu cæco ? igitur voluntas ingenuitate ſua, ac libertate ab affectibus ſenſibilibus exuetur ; & in turpiſſimam mancipabitur ſervitutem. Quando ergò veniet amor in cor hominis, tunc ſtatim voluntati dicet : ſubditus meus es, in illius pulchritudinis amore te mihi vendidiſti;in illo meretricio concubitu pretium pro te numeravi. Quando veniet deſiderium, ita increpabit : aurum,argentum, reliqua omnia bona, quæ habes, ſervitutis tuæ pretium ſunt ; poſſeſſio, quam tenes, juris tui emptio, venditio tuæ libertatis eſt : igitur placitis meis obſequere. Veniet delectatio, & dicet: planè meus es ſervus. Ille epularum ſumptus, tui capitis licitatio, tui eſt ſumma contractus. Inter calices te redemi, inter epulas acquiſivi, nunc vilior es ipſo cibo tuo. Veniunt aliæ, & aliæ paſſiones, & dicunt voluntati, neſcis, quòd audaciam tibi contulerim, ut meæ ſervires poteſtati ? neſcis, quòd fugam tibi imperaverim,ut ad me properares ? Et voluntas, quàm tot exigunt perturbationes, non ſit vile mancipium ? manet igitur, quòd cupiditates homini dominium in ſe ipſum eripiant, per quod ipſa libertas conſtituitur.

Verùm iſta ad oſtentationem magìs, & imperitorum ſeductionem, quàm ad ſerium erroris fundamentum ab adverſariis proferuntur. Quid in Apoſtoli verbis eſt, quod non omnes omnium temporum Catholici profitentur? quis enim dubitat magnam intervenire difficultatem, & ſubinde etiam temporis moram triumphandis carnalibus iſtis hoſtibus? at verò abſoluta impoſſibilitas, & ſuperioris voluntatis neceſſitas non agnoſcitur. Procul dubio ſubinde æſtus rationis advertentiam præveniunt, conantúrque animam adamantinis vinculis ſtringere. At ubi ratio vigilat, reluctari iis poteſt, eáque tanquam fortiſſimus Samſon inſtar fili diſrumpere, Denique ſolùm deploratur allatis verbis noſtra ſors, qui ſæpè ſymptomatum impoſturis circumvenimur, & propè neſcii, ſimúlque conſcii faſcinamur, & ad malum abducimur, quod evitare oporteret. Fit námque ſæpiſſimè, ut voluntas improvida, & inconſulta appetitum blandientem ultrò, ac lubens ſequatur, non ſecutura impulſum in devia, ſi efficaciter vellet. Verùm enimverò quia, ſi refrænare vellet, experiretur difficultatem non modicam, idcirco pertæſa laboris, ac difficultatis cedit, ac eatenus abripi dicitur, & agere, non, quod vult bonum, ſed quod odit malum. Alterius dicti Apoſtolici fallax expoſitio etiam jam pridem fuit detecta. Non uſurpat gentium Doctor hoc verbum *non volo* in eo ſenſu, ut tollatur liberum arbitrium, & coacta neceſſitas inducatur, ſed quòd rem peractam non laudaret, non approbaret; aliàs dicere non debuiſſet, quod non volo, facio, ſed addere, *quod cogor, & compellor, hoc facio.* Ideo ad diſtinctionem adjunxit, quæ ſequuntur: *Sed quod odi, hoc ago.* Vides ergo voluntatem non corruptam, ſed in ipſa actione propriam ſervare nobilitatem, & etiamſi vitioſa perpetret, attamen ſubinde illa cum adjuncto odio, & averſione perpetrare.

A ratione præſidium ſuis erroribus quærunt hoc inutili labore. Potentia neceſſaria non poteſt impediri, quo minùs poſitis omnibus ad agendum requiſitis erumpat in ſuam operationem, præſertim ſi actio deforis extorquetur; id enim, quod aliunde planè movetur, quo pacto adhuc in noſtra poteſtate erit? atqui appetitus eſt potentia neceſſaria, & objectum, quod illi eſt extrinſecum, non ſubjacet imperio voluntatis, nec ab illa dependet, quòd occurrant talia, vel talia ſenſibilia bona: igitur infallibili neceſſitate ſequetur æſtimatio interior, nec ferreum cupiditatis jugum voluntaria mentis inclinatione poterit excuti. Aliàs pueri, bruta, & furioſi libertate gaudebunt. Et quis rationis compos, & arithmetica diſciplina, vel ſuperficialiter tinctus extorqueri à ſe hoc judicium ſinat, *bis duo, non ſunt quatuor?* nimirum ſicut evidentia

rei

rei voluntatem præveniens legibus arbitrii non obsecundat: ita objectum appetitibile tantam habet vim movendi, ut plumbeum pondus cervicibus ingerat, nulla ratione deponendum. Appellant in hoc ad rationem à posteriori, scilicet ex frequenti innumerabilium experimento, qui quantumcunque renitantur, eò quòd clarè ipsis constet, quàm dedeceat naturam rationalem; quàm noceat ipsis aliter agere: servitutem tamen suam, & vincula, quibus impediuntur, deplorant miserabiliter juxta illud:

Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi.

Vel aliud:

Aufferor, ut rapidâ concita pupis aquâ.

Si Ethnicorum fabulas explodimus, divo Augustino credamus, qui non alieno ferro, sed sua ferrea voluntate vetere, & carnali contra spiritum pugnante ligatum se esse suspirat lib. 8. confess. cap. 5. velle meum, inquit, tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus. Valedixit igitur charæ libertati primus parens, quando filiorum non solicitus fatali appetitum pomo exsatiavit, nobísque nunc deplorandum in corpore, quod corrumpitur, & aggravat animam, necessitatem reliquit.

Ut hæc, quæ adeo prolixè sunt allata, dissolvantur, fatemur, non esse semper in potestate nostra, ut fruantur sensus externi quibuscunque indiscriminatim sensibilibus. Cæterùm quæ successivè, & seorsim sensibus externis exhibentur, manent conjunctim in phantasiæ cellulis: igitur sub dominio voluntatis erit, ut cuilibet eorum adhæreat vis æstimativa, útque ex eisdem faciat varias mixtiones, quæ sensûs externi vires excedunt. Quis præterea inficiabitur in nostro arbitrio esse, ut sensus isti externi applicentur, cuilibet ex objectis simultaneè existentibus in debita distantia, vel ut non applicentur? quis negabit posse me per motum localem acquirere vel evitare eandem distantiam, vel indistantiam? ecce igitur jam duos aditus, quibus potentia superior dirigere, vel arctare poterit facultatem appetentem; determinando nimirum, ut libet, vim apprehensivam ad hæc potiùs objecta, quàm ad alia. Quòd si aliquando præter, aut etiam contra rationis imperium ob repentinam objecti impressionem, aut mentis oscitantiam ad aliqua objecta excurrat, & magno pondere voluntati incumbat, tunc inescandi & blandiendi vim habebit: causare tamen ipsam voluntatis operationem nullatenus

poterit. Edic enim, quare rebus appetendis propofitis ifte eas appetit, alter refpuit? fi enim rei appetendæ hæc natura foret, ut appetentem cogeret, & motus ab ea neceffariò proliceretur, opporteret eam appeti ab omnibus, quæ appetendi vi effent prædita. Imò ne appetitionis titulô quidem infignienda effet illa actio, fed inter violentos impulfus, inter obftinatas actiones comprehendi deberet. Cùm igitur pellectio fit tantùm motio, five tractio metaphorica, cui liberum arbitrium renuntiare poteft (fi fimplicem boni fuaviationem, ad primam objecti propofitionem neceffariò excitatam excipias) immeritò ab Ethnicis affertur exemplum neceffitationis, quam intellectus patitur, cùm objectum fub aliqua evidentia clarefcit; v. g. quòd bis duo fint quatuor. Negatur enim par ratio inter voluntatem, quæ in actus fuos dominium obtinet, & intellectum, quem potentiam neceffariam Philofophi nuncupant. Denique, quod ultimo loco de experientia afferebatur, potiùs condemnat, quàm ut abfolvat eos, qui voluntatem in æquilibrio pofitam fœdè exarmant, & vinculis induunt. Nemo enim eft, qui fi velit appetitum fuum fubigere non poffit, quod omnes comprobant, qui laborem, & renifum in ea lucta devorandum non faftidiunt.

DISSERTATIO X.

An paffiones faltem minuant libertatem?

§. I.

Paffiones aliquatenus imminuunt liberum?

CОntroverfia non eft de paffionum commotionibus liberum arbitrium confequentibus, feu talibus, qui ab homine in fe ipfo deliberatè excitentur, de his enim manifeftum eft, quòd indicent potiùs libertatis augmentum, quàm ejus imminutionem. Nam vel fubfequitur fenfibilis agitatio ex quadam redundantia voluntatis, quatenus hæc intenfa fecum rapit appetitum inferiorem? & tunc non auget quidem libertatem, fed tamen plenitudinem voluntatis clarè oftendit. Vel nofcitur dulcedo ex electione voluntatis, quatenus hæc opus non frigidè, fed ardenter, ac vivaciter peragere intendit, & ideò paffiones velut igniculos quofdam attentionem, vehementiam, ardorem, vigorémque operi infpirantes eligit, juxta illud Homeri:

Virtuti immitte furorem.

Prout judex ad malos deterrendos iram excitat, & miles adversùs hostem animum irritat, & acuit: & in hoc casu potiùs augebitur dominium liberæ potestatis, quia non solùm se ipsam, sed etiam subjectas sibi potentias, earúmque effectus exhibebit tanquam arma justitiæ. Quæstionis ergo cardo circa hoc vertitur, an passiones antecedentes, & voluntatis exercitium prævenientes libertati aliquam remoram injiciant. Quamvis enim superiori dissertatione declaratum sit per hujusmodi cupiditates non tolli usum supremæ dominæ, cùm nihilominus prodeant à principio intrinseco, & res tantùm ita se habeat, ut necessitas qualiscunque, cùm voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem, nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem: attamen saltem videtur minui per eam indifferentia ad utrumque, cùm & notitia æstu appetitionum obnubiletur, & actus sic elicitus abreptio potiùs sit voluntatis in objectum, quàm inclinatio, & prolapsio nativo arbitrii pondere & nutu facta. Abstrahendo à passione, quæ metûs nomine donatur, breviter sic sentio.

Imprimis quomodocunque tandem regnet affectus sensibilis, ex quo aliquid gestum est, actus simpliciter, & absolutè liberi nomen sibi vendicabit. Innititur assertio disertè doctrinæ Philosophi 3. Ethic. cap. 1. ubi sic habet: *Si quispiam & jucunda, & molesta esse violenta idcircò dixerit, quòd extrinsecùs sint, & nos cogant; is efficiet, ut ea ratione omnia sibi esse violenta unusquisque putet; quippe cùm horum causâ omnia omnes agant: alii violenter, & inviti ob molestum: alij jucundum cum voluptate. Sed ridiculum sanè est, in externa potiùs causam referre, quàm in se ipsum, quòd hujuscemodi rebus facilè capiatur, & honesta sibi, turpia jucundis scribere.* Addo passionum interventu causari voluntarium acutiùs quoad intensionem actûs. Augetur enim acriter operatio physica ab intrinseco procedens per motum facultatis appetentis, & voluntas suo nutu in objectum præcipitata ab ardore concupiscentiæ vehementiùs accensa propellitur; unde intensionis plures gradus consurgere oportet. Insuper efficiunt, ut ametur objectum cum minori repugnantiæ molestia: quin potiùs tristitiam, si quæ esset ingerenda, per media, quæ usurpantur, absumit, profusione suavitatis in bono concupito repertæ. Hanc autem prærogativam non habet amor rei ex metu, qui ideò non reddit medium, quod ex eo eligitur sapidum, cùm non tollat renisum voluntatis in objectum simpliciter consideratum. Hinc longè probabilior est illorum doctrina, quæ fert publicarum libidinum victimas non obligari ad restituendum, quod à procis,

excæ-

excæcata blanditiis eorum mente extorſerunt: hinc verior illorum ſententia, qui ſtatuunt, non vitiari teſtamentum, quòd maritus blanditiis uxoris ductus, in favorem illius confecit.

Nihilominus cùm proritationes ſenſibiles, ob amicam vim, quam voluntati ex ſe fragili, & infirmæ inferunt, aliqua ratione voluntarium imminuunt; efficiúntque, ut actio minùs ſit in poteſtate ſita ob ægritudinem virium voluntatis, quæ ſemota exacerbatione hujus ſibi adjuncti ardoris, fortiùs reſiſteret illicitis. Tranſeat, quòd hujusmodi paſſionis impulſus ſit homini intrinſecus; inclinatio tamen hujusmodi non eſt adæquatè intrinſeca voluntati; ideò licèt violentus iſte motus non ſit minùs ſpontaneus, ſi ſermo ſit de homine ùt involvente partem ſenſitivam, reſpectu tamen voluntatis ambigi nequit, illum eſſe minùs voluntarium, quia paſſio voluntati eſt extrinſeca. At, inquies, iſta concitatio immanet ipſi voluntati, appetitus enim, & anima ex parte principii ſunt idem: quomodo ergò movebitur voluntas ab extrinſeco? quomodo ſic minuetur voluntarietas? an non potiùs illa magis augebitur, prout augetur per acquiſitum conſuetudinis habitum? dicam, ſi accommodaveris intentionem, & ſubtilitatem tuam. Materiales operationes reſpectu rationalium dicuntur extrinſecæ, quatenus ſe habent quaſi diſparatè in ordine ad animam, & ſunt inter ſe quodammodo ex conceptu ſuo independentes; unde quando anima determinatur à ſenſibilibus ad ſpirituales actus, dicitur ab extrinſeco determinari, non ab intrinſeco. Declarare tibi rem poteris ampliùs in potentia viſiva, & auditiva, quæ licèt idem ſint ex parte animæ, tamen ad audiendum per accidens ſe habet poſſe videre, & econtra. Si hæc non ſatisfaciant, certè per obtenebrationem, quam paſſiones inferunt, intentum conſequar. Oculô enim mentis per concupiſcentiam hebetatô, & ex parte obductô, tollitur notitiæ claritas; hac abſente ipſam quoque voluntarii perfectionem imminui oportet. Ita enim ego mecum hactenus diſcurrebam: omnium voce ex hoc capite per paſſionem retunditur acumen libertatis: igitur eodem jure torpebit etiam voluntarium; nam quidquid libero officit, obſcurando cognitionem, officit quoque voluntario, ad quod rerum repreſentatio requiritur.

Atque hinc expreſſit Ariſtoteles 7. ethic. cap. 4. peccatum eò minus fore, ac levius, quô vehementior fuerit cupiditas, quæ ad illud propulit, & dimidiatum videtur facinus, cui non acceſſit diuturnior deliberatio. Aliter ſi tibi viſum fuerit, perge, per me licet, & Auguſtinum corrige, qui lib. 14. de civit. cap. 12. inde exaggerat peccatum primorum parentum, *quia nondum*, ùt inquit, *voluntati cupiditas reſiſtebat*.

Quaſi

Quasi diceret, peccatum illud futurum fuisse minùs grave, si ex antecedente inordinata cupiditate appetitûs fuisset perpetratum. Veterum monumenta evolve, & deprehendes, ea, quæ ex doloris, vel iræ impetu admittuntur, mitiùs plecti, ac sæpè etiam inulta abire, miserante judice conditionem animi vel justo dolore, vel ira afflicti. Sic M. Pompelius prætor neque damnare, neque absolvere voluit mulierem, quæ matrem fuste percusserat, dolore necatorum filiorum, quos avia filiæ infensa peremerat. Hoc ipsum agnovit Tiberius eô judiciô, quo damnavit Mundum equestris militiæ ductorem, cùm Paulinam, quam deperibat, in Isidis templo constuprâsset, corruptîs pecuniarum vi sacerdotibus. Namque ipsum Mundum, quod amoris æstrô absorptus scelus perpetrâsset, exiliô tantùm mulctavit: sacerdotes autem in crucem egit, templum diruit, Deæ simulacrum in profluentem projici imperavit, non exigua imminuti per concupiscentiam voluntarii significatione. Ipse Deus Deuteronomii cap. 19. minorem pænam ejus, qui per animi impotentiam ex mæstitia haustam deliquerat, ratam habuit, ut adeò mirum non sit, si leges civiles, v. g. lex *aut facta §. causa. ff. de pænis*, aliæque permultæ suffragentur. Igitur quando passiones suavitatem objecti importunè exhibent, & acriter ingerunt, ex altera verò parte turpitudinem occultant, actus subsequens simpliciter erit liber, & quadantenus involuntarius, quatenus ad eum voluntarietatis gradum non ascendit, quem, si abesset vehemens abstractio, & per pathemata illectio, fuisset consecutus.

§. II.

Quid sentiendum de metu?

QUia verò metum superiùs excepimus, nunc, quid de eo sentiendum sit, est enodandum. Adverto, metum posse subinde nos impellere ad admittenda objecta alioquin nobis ingrata; prout metus mortis pertrahit ad projiciendas in mare merces, quæ abjectio valde durè suscipitur ab homine, qui thesauris istis cor suum affixit. Posse item adigere ad objectum, in quo alioquin magna percipitur voluptas, vel saltem nulla sentitur difficultas, ubi si quis mortem comminaretur alteri, nisi comederet cibum alioquin illius sapori valde arridentem. Hoc discrimine posito sic statuo: quando metus instigat ad actionem secundi ordinis, tunc non minuit voluntarium, sed potiùs illud auget, eò quòd ad-

dat novum pondus boni attrahentis. Sic qui ex se propendebat ad haustum ob aridam sitim vel delectationem, si strictô gladiô ad hauriendum poculum cogatur, talis timor non reddit ipsi haustum ulla ratione violentum. Si verò objectum, ad quod metus inducit, alioquin tale sit, ut ab ea voluntas abhorreat, tunc admitto, à metu vitiari puritatem voluntarii. Hanc duntaxat, & non aliam necessitatem in tyranni precibus admixtam agnosco, ob metum nempe instantis damni, ni voluntati petentis protinus satisfiat. Eleganter Ausonius expressit potissimum hoc imperandi genus esse, cùm rogat, qui jubere potest, quando à Theodosio ad edenda sua carmina rogatus, ita est præfatus.

Scribere me jubet Augustus, mea carmina poscit,
Panè rogans, blando vis latet imperio.

quod idem alius non inscitè sic expressit:

Nonne rogare ducum species violenta jubendi?
Et quasi nudato supplicat ense potens.

Inest igitur vis quædam, atque necessitas in eo, quòd per eas preces efficitur metu imminentis mali, si, qui rogatur, ad eas obsurdescat: ac proinde, quod ex metu fit, non vacat involuntario, sed est mixtura quædam ex volitione, & nolitione. Nolitio enim mali, quod metuimus, est planè voluntaria: volitio autem medii ad malum illud declinandum usurpandi involuntaria est; quatenus voluntas, quæ metu ingruente illud vult adhibere, detrectaret fortè id facere, si metus abesset. Indicium hujus mixturæ patet iterum in mercatore, qui tempestate, & metu interitûs pressus, merces in mare projicit ad navem exonerandam, ut ea ratione vitæ, ac saluti consulatur. Actio projectionis spectata in se impedit inclinationem voluntatis, & idcirco ingenerat molestiam, nec absque dolore exercetur. Aliud indicium hujus miscellæ desumi potest ex eo, quòd plerumque leges, alioquin justæ, metu incumbente non obligent cum tanto rigore; cur enim legislator prudens noluit subditum adstringere ad legum observationem, quando gravis metus damni non facilè aliàs declinandi interponitur? certè alia hujus rei ratio dari non potest, quàm quòd jus ipsius arbitrii aliqua ratione lædatur.

Ut tamen actio metu extorta meritò censeatur minùs expeditum reddidisse voluntarium, oportet eam nasci ex metu gravi, nec sufficeret qualiscunque animi ægritudo. Ita restrinxit assertionem philosophus noster 2. ad Eundem. cap. 9. ubi dixit: *Non si quis, ut contactum vitaret, occidisset alterum, vi se id, coactúmque fecisse dicat: majus enim, acerbiúsque malum oportet non facienti propositum sit.* Non tamen malum metui illi objectum debet esse gravius malo, quod incur-

incurreretur, si homo metu succumbat, seséque dedat; id enim necessarium non est ad consternationem, siquidem malum negandi fidem, in quod martyr incidet, si ob horrenda tormenta à fide resiliat, longè graviùs est quibusvîs tormentîs: & nihilominus ipsa tormenta censentur malum sufficiens ad urgendum metum inductivum voluntarii. At quodnam malum censendum erit grave ad hoc, ut quis meritò percellatur metu? quodnam erit minutum, & indignum nomine mali? sic habe. Comparationem istam mali, quod timetur, attendendam esse penes mala, quæ passim evenientia hominis non meticulosi animam confundere sunt apta, & idonea ad eum de proposito dimovendum. Sin minùs juxta leges rationis, considerata mali acerbitate, & hominis conditione, quæ non nisi magno nisu assurgere potest ad subeundum atrox illud malum potiùs, quàm ut à proposito scopo deflectat. Qui enim mali impendentis metu, quod cum hujusmodi malis, quæ passim gravia habentur, expugnatur ad aliquam actionem, quam alioquin non fecisset, non potest censeri leviter attractus, & meritò judicatur cum displicentia egisse.

Quamvis autem gravitas mali metum istum excutientis pensanda maximè sit ex natura rei potius, quàm ex conditione personæ timentis; tamen etiam hæc non est dimittenda in tali æstimatione. Aliud enim dicent esse opportunum ad percellendam mulierem, vel puerum, quod circa virum militiæ assuetum pro nihilo judicaretur. Hinc passim metus, de quo hactenus, vocatur *metus cadens in virum constantem*, vel *metus justus*. Ut habet Ulpianus, Labeo, Celsus partim *ff. de eo quod metus causa.* partim *ff. de regulis juris.* eô quòd scilicet sit gravis mali, ac prudenter susceptus. Et hoc vocant metum cadere in constantem virum. Non enim metum cadere in aliquem est quodamodo eum digitô tangere; sic enim metus levis diceretur cadere in constantem virum, quod esset ridiculum: igitur metum cadere in constantem virum, est hominem ita metu moveri, ut, tametsi aliàs fortitudine pectus obarmatum gerat, nihilominus concutiatur, & de proposito dimoveri possit.

Animadvertendum etiam, nunquam esse necessarium, ut simul cum actione ex metu nata reperiatur hæc volitio conditionata: *Non facerem hoc, nisi me metus impelleret.* Nam metui quis satisfacit ex integro eam operationem amplectendo, quæ hîc & nunc requiritur ad vitandum malum, etiamsi eam conditionatam voluntatem non habeat. Quod enim actio aliquam difficultatem includat; ut est projectio mercium, similésque naturæ contrariæ, ad summum ostendit, posse voluntatem hunc modum tendendi habere: *Non facerem, si aliter possem:*

quòd verò debeat neceſſariò hoc dicere, nullâ viâ demonſtratur. Imò oppoſitum manifeſtè conſtat in eo, qui cum ſumma arduitate ſuggeſtionem peccandi ſuperat, ne in barathrum detrudatur; cui ea ſuggeſtio eſt ſecundùm quid involuntaria, & tamen nullatenus poteſt in hunc actum prorumpere: *Succumberem tentationi, ſi æternum ſupplicium non timerem;* talis enim actu committeret ſcelus, & tentationis non evaderet victor, ſed illi fœdè ſuccumberet.

Nihilominus quando à metu, tanquam Tyranno coacti, opus aliquod ſuſcipimus, aut admittimus, libertas adhuc poteſtatem ſuam retinet. Sic etiamſi mihi ſuccenſi Phalaridis tauri, aliæque mortes proponantur, niſi genibus flexis, idolis ligneis thus immolavero, adhuc in mea electione poſitum eſt, in faciem Neroni dicere; non immolabo, ſed potiùs ſupplicia præeligo. Igitur ſi poplites curvavero mortis metu, liberè conſentio. Nempe fieri non poteſt, ut quidquam collato deteriori cùm optabili amplectamur, niſi aſſenſus conſultò imperet, ut unum alteri mali metu præponatur. Neque tantùm intendo actum ex metu profectum eſſe voluntarium, ſed aio, quamvis voluntarium, & involuntarium commiſceantur in hujus modi operatione, prædominari tamen voluntarium, & robuſtam nolitionem ac repudiationem prævalere languidæ, & inefficaci volitioni ad bonitatem, malitiâ, ſeu difficultate dilutæ.

§. III.

In metu voluntarium prædominatur involuntario.

VOluntarii in hujuſmodi actibus præponderantis indicium evidens ſuppetit, quòd metus non eluat maculam actionis ex ſe turpis, & vetitæ. Quamvis enim metus interdum legum aliquarum obligatione exſolvat; tamen alii ſunt, qui etſi metu interpoſito efficiantur, nihilominus inquinantur, eò quòd lex non obſtante tali ægrimonia vigeat, & perſtet integrum malitiæ fundamentum. Hujuſmodi námque actibus fruſtra obtenditur metus, cùm præſtet graviſſima quæque incommoda ſubire, quàm ſcelus admittere, quæ omnia juriſconſulti fuſiùs ruminant. Ratio à priori deſumitur ex Angelico, quòd nempe unum quodque principaliùs denominetur ab eo, quod ei competit: & non niſi ſecundùm quid ex eo, quod competeret illi, ſi aliqua conditio poneretur, quæ nunc non ponitur. Illud enim reipſa, & actu ineſt rei; alterum autem

non

non nisi in apprehensione nostra: actus autem ex metu hebescens, est re ipsa, & de facto voluntarius: non autem involuntarius nisi sub conditione; nempe quia si secluderetur status præsens, & removerentur hæ singulæ circumstantiæ, homo hujusmodi medium non eligeret, doléatque se eo in statu esse, quo satiùs ducere debet hoc medium eligere, quàm alteri malo subjacere: igitur homo in hujusmodi eventu censendus est potiùs voluntariè operari, quamvis in ejus actionem inimica quædam resistentia invehatur. Insinuavit hanc doctrinam non obscurè magnorum moralium Magister lib. 3. ethic. cap. 1. ubi apertè agnoscit, quosdam actus turpes, & minùs decentes hominum statum (non quidem turpitudine peccati) absque culpa, & cum laude exerceri; quamvis aliud quoddam opus v. g. ministerium aliquod, usque eò abjectum sit, & abhorrens à conditione hominis, ut generosus animus cum laude, gravia quæque potiùs sit delecturus, quàm ut ob exiguum peculium se eò usque demittat, & operi addicat. At quibusdam actibus metu ereptis venia potiùs, & commiseratio debetur, quòd considerata humana infirmitate & vegeti mali impendentis acerbitate, ac culpæ tenuitate lapsus veniam mereatur; quamvis gloriam relaturus fuisset, si generosè delegisset malo potiùs, & incommodo, quàm probrosæ subjacere culpæ, & revera malè se gesserit impari conatu pugnando & cedendo. Quis enim non moveatur commiseratione illius, qui stricto ense, nisi jocosum mendacium effutierit, timore exarmatus succumbit; quamvis immortali cum laude necem potiùs oppetere, quàm se levi illo mendacio fœdare debuisset, & ita planè factum oportuisset? verùm mox istis subjungitur ab Ethico, culpæ quædam tam sunt graves, ut qui eas admiserit, nullum possit metum obtendere, vel inde commiserationem exspectare, ut morte potiùs defungi debuisset, quàm tanto crimine se inquinare. Hac ratione mors Eriphilis per Acnæonem filium illata, non caruit gravi scelere ipsius filii, ridiculéque se excusavit præcepto patris, & metu delinquendi in jussa patris Amphiarai, qui ab uxore proditus, proficisci ad bellum coactus fuerat. Tam fœdum enim actum nullius magni boni prætextu in animum admittere oportuisset.

Nec obest hucusque dictis, quòd aliqui contractus injusto gravi metu extorti positivo jure irritentur, alii verò pro arbitrio metum passi facilè rescindantur à judice, quasi supponente, consumptum in eis fuisse voluntarium, ideóque præsumente esse per vim illatam extortos. Revera enim Theologi morales & jurisprudentes rescindentes hoc non supponunt; alioquin si gesta fuissent incusso justè metu, æquè forent irritanda, contrà quàm juribus cautum est. Igitur pro certo statuendum,

pacta illa, & conventa aliunde nulla esse, quàm ex defectu voluntarii & libertatis indifferentiæ. Idcirco igitur vel lex naturalis, vel positiva conventiones, & contractus multos valere noluit, alios verò voluit facilè rescindi, qui metu urgentur, & ex sua natura subsisterent, quia actus per injuriam obtentus non debet ei patrocinari, qui vim intulit: & hoc non parùm conducit, ut obviàm eatur infinitis malis, quibus aditus pararetur, si injuriæ irrogatio utilitate & commoditate faveret irroganti. Quemadmodum igitur venditio nulla est, ob enormem læsionem alterius paciscentis in eodem utique genere bonorum: ita non minùs rescindendæ sunt conventiones in diverso bonorum genere, cùm æquè enormis læsio interveniat, quoties minis, & terroribus obtinentur.

Sæpissimè etiam intervenit defectus pugnans cum ratione actûs, qui exercetur, quamvis consensus simpliciter liber interveniat, & tunc actus seclusa etiam lege humana irritante, nullius est valoris. Ita donatio gravis summæ facta ex metu gravi prædoni, ne loco auri vitam eripiat, suapte natura nihil valet, etiamsi volita sit. De natura enim donationis est, ut fiat ex liberalitate, & plena libertate, cui impedimentum injicit metus mortis à prædone alioquin imminentis. Quamvis idem non contingat in donatione alicui tertio facta, ut me ab invadente prædone suis viribus tueatur; quod enim isti donatur, robur & vim obtinet, etiamsi metu adactus donem. Nimirum præterquam quòd iste præmium ac mercedem operæ suæ præstitæ accipere debeat, metus ibi intercedens, ex quo proximè persolvitur stipendium, non est metus extrinsecè illatus, qui solus patienti est injurius, sed oritur immediatè ab intrinseco, ac homo ipse sibi eum infert; proinde injuriam non patitur, neque leges sufficiens habent fundamentum illum irritandi.

DISSERTATIO XI.

Utrum fuerint passiones in JESU Christo, & quomodo illæ à nostris fuerint diversæ?

§. I.

Passiones habuerunt verè locum in appetitu sensitivo Christi.

MOdicum christianæ religionis lumen illi affulgere deberet, qui ignoraret,

turet, Dei filium voluisse naturam humanam assumere tam infirmam, quàm illa in se est: & exceptô peccatô, ac ignorantiâ, defectibûs cum dignitate suam personam dedecentibûs, in aliis omnibus miseriis, fratribus suis fuisse assimilatum. Indiguit per decursum vitæ alimentis ad eandem conservandam, quiete, ad reficiendas vires, somno ad interpolandum laborem, aliisque remediis, quibus providentia divina nos instruxit contra naturales ægritudines. Expositus fuit injuriis tempestatum, passus est vicissitudines temporum, visus est obriguisse gelu sæviente hyeme, & sudore persusus ardente sirio cane. Elementa, quæ ipsum venerabantur ut Deum, impugnabant ipsum ut hominem: creaturæ ad illius nutum obsecundantes, alio tempore ipsum aggrediebantur, & fluctus, qui eo vigilante stagnabant pacati, eo dormiente in navim magno impetu spumabant. Fames ab ipso in deserto devicta, iterum in civitatibus in illum insurrexit; mors ipsa in persona Lazari oppugnata, & prostrata, ausa est vires colligere, eúmque in Calvariæ monte deprimere. Cùm igitur etiam passiones aliud non sint, quàm morbi ab homine inseparabiles, noluit etiam ab istis esse exemptus. Hinc conjunxit lachrymas suas fletui Magdalenæ; priùs commiseratione particeps factus opprimentium fæminam malorum, quàm omnipotentiâ suâ iisdem mederetur: priusquam patraret prodigium, signa dedit imbecillitatis, & priùs lachrymîs tinxit sepulchrum, ut in cunas converteretur renascentis Lazari. Permisit sæpiùs, ut cor illius occuparetur tristitia, & miraculô stupendô effecit, ut in anima illius simul resideret gaudium & dolor. Denique ut varii eventus occurrebant per vitam 33. annorum, varias concipiebat passiones, amore hominis eò adductus, ut etiam proprias illius infirmitates non respueret, sed easdem amplecteretur. Pereant igitur argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum: habeant eas animi christianorum, nec Stoicorum consentiatur errori, qui profectò sicut vanitatem existimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem, ignorantes sic hominis animum, quemadmodum corporis membrum desperatiùs ægrotare, quando doloris amiserit sensum.

Ut verò ista in particulari pateant, imprimis exploratissimum est, in Christo debere agnosci dolorem ex tot circumsonantibus Scripturæ Textibus. Dolores enim nostros tulit per suos dolores, & hac maximè ratione Patri Divino satisfecit pro nobis, quos perdiderant voluptates illicitæ justis doloribus compensandæ. Rursus ad immensam tristitiam voluntatis, qua perfundebatur ob propè infinitorum mortalium à fine suo aversionem, de inutilitate fusi à se sanguinis, de eluvione denique tot malo-

lorum orbem universum inundante, ad hanc, inquam, tristitiam non poterat non subsequi tristitia in appetitu inferiori, seclusô miraculô, cujus invehendi nullum planè est fundamentum. Solùm illud Lucæ. 22. *Pater, si possibile est &c.* Sufficienter vindicat Christo dolorem, & tristitiam, ita ut nusquam magis pietas ejus sit admiranda. Minus enim contulisset nobis, nisi & nostrum suscepisset affectum. Suscepit Tristitiam nostram, ut suam nobis largiretur lætitiam, & qui pro se nihil habuit, quod doleret, pro nobis doluit, & sequestrata delectatione Divinitatis æternæ, tædiô nostræ infirmitatis est affectus. Fuisse in Christo iram indubitatum est ex cap. 3. S. Marci, ubi legimus, eum circumspexisse adversarios cum ira, & contristatum esse super cæcitate cordis eorum. Timorem locum habuisse demonstrant SS. Evangelistæ Joannes, & Lucas, qui Christum paventem & turbatum sine ambiguitate produnt. Quid enim ista verba: *Pater, si fieri potest, transeat à me Calix iste?* Quid enim ista, nisi in belliduce pusillanimorum trepidationes? ægroti vox est in medico; imò eousque prævaluit, quæ fortis est, ut mors, dilectio, ut tristem Dominum Angelus confortaverit. Nominatim autem concedo etiam in hominum Salvatore eum timorem, qui pudor, sive verecundia appellatur, nec primus sum, qui post Doctorem mellifluum eam pudoris materiam, quam ex corporis nudatione contrahimus, (præsertim si eæ partes pateant, quas natura velatas voluit,) Christo in cruce pendenti non defuisse affirmo.

Quibus autem contrarius error adscribitur de passionibus in Christo eliminandis, non eo, ut æquum est, sensu fuerunt intellecti. Respuit has in Christo S. Hilarius, si ille secundùm deitatem spectetur; admittit tamen in humanitate contra Arrianos, cum quibus confligebat, quique verbum in divina natura doluisse contendebant, eóque omnia sinistrè detorquebant, quæ de Christi doloribus scripturæ produnt. A probro hoc sanctus vir facilè purgatur ab iis, qui ejus scripta evolvunt, ubi commentariis in psal. 53. splendidissimè se ab hac calumnia sic vindicat: passus ergo est Deus, quia se subjecit voluntarius passioni, sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum, quibus dolorem patientibus necesse est eas inferri, virtutes, ipse tamen naturâ suâ non excidit, ut doleret. Ratio autem, qua dolorem à Christo patiente sublatum volunt, pro refutatione aliud non meretur, nisi contemptum: non enim invitus patiebatur, sed volens, ut nostro bono consuleret. Neque tamen non patiebatur, sicut ægrotus sumit amarum pharmacum, ut sanitati restituatur, & tamen ejus amaritie malè afficitur.

Cespi-

Cespitant etiam, qui iram à Christo excludunt, quasi Scriptura tantam in eo mansuetudinem celebraret, ut ne calamum quidem quassatum esset confracturus. Pessimè interpretantur, quasi omnis ira vitio fœdaretur, & si mediocritatis fines non excedat. Intra rationis gyrum contenta modum honesti observans ab Aristotele insignitur, quòd sit *satellitium rationis*, & *cos fortitudinis*: Proinde summopere decuit, in Christo tam arduis laboribus intento, residere affectum ad eos adeò commodum.

Hallucinantur quoque, qui timorem in Christo à synodo damnatum arbitrantur; refellitur ibi Theodorus solùm, quòd Christum purum hominem statueret, censueritque, illum non potuisse timorem aut prævenire, aut frænare, sed in eo fines excessisse, ut explicatissimè videre est ex verbis ipsius S. Synodi. Quærit enim, quomodo timorem in passione susceperit? quid vehementioribus orationibus ad imminentem necessitatem indiguerit, quas cum magna, & clamosa voce, cum plurimis lachrymis Deo referebat; cur ex immensa trepidatione fontes sudoris emiserit sanguinei? quid denique Angeli adventu, & visitatione egebat reficientis in experimento malorum, confortantis ejus alacritatem, urgentis ad patientiam, & tolerantiam ostensione futuri fructûs, & futuræ gloriæ? quid hæc omnia, nisi quòd verum aliquem timorem Christus expertus fuerit? denique, si qui alii tentâsse videntur passiones Salvatori abjudicâsse, ne impegisse eos dicamus, sumendi sunt hoc sensu, quòd pathemata non necessitate aliqua naturali ingruerint, sed ipse eadem cum voluntate libera susceperit, adeóque passio nec non fuerit passio, nec tamen naturam passionis exercuerit. Hoc tunc vel maximè videtur contingere, cùm motus sensibilis patientem velit, nolit, ad dolendum potest compellere; cùm juxta impetum, quo iste superveniens ingravescit, ille vel animo, vel corpore contabescit. Hanc autem vim motus sensibiles in Christo nequaquam adhibuerunt, cùm eorum amaritudo adversùs sanctissimam personam prævalere non potuerit, quia etsi appetitionum stimulatio fuerit gravis, & multiplex inflicta, ille tamen nonnisi quando, quantùm, & quomodo voluit, est afflictus. Unde non usque adeò malè id, quod sensit, dicitur quodammodo non sensisse, & vim pœnæ sævientis, sine sensu pœnali excepisse; qui videtur non sentire pœnam, qui eâ non gravatur, & videtur non gravari, qui voluntatis imperiô gravedinem moderatur.

Maximè verò decuit Christum verè, & non tantùm apparenter, affectûs sensibilis susceptio ad veritatem mysterii incarnati detegendam, & ostendendam convenienter ipsi factam collationem appetitivæ facul-

tatis. Si enim naturam humanam verè integram sortitus est, & non tanquam phantasma nobis illusit, debuit non carere apetitu sensitivo. Sic autem semper judicavi, facultas, quæ non erumpit in actum cæteroquin non dedecentem, otiosa videtur, & frustrà: igitur congruentissimum fuit, ut humanis affectionibus, prout tamen defectibus expertes sunt, locum præberet. Insigne planè hujus rei testimonium præbet Augustinus Lib. 14. de civit. cap. 9. Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum adhibuit passiones, ubi judicavit esse adhibendas: neque enim, in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Aliud fundamentum petitur ex eo, quòd Christus assumptione, ac sanctificatione affectionum, quæ sunt in nobis omnium propè malorum scaturigo, præbuerit se eximium exemplar benè compositorum affectuum, sicque obstruxerit in nobis caput profluvii iniquitatum, nostrósque morbos sanaverit. Confidenter ergo dicendum non exulâsse in ipso tristitiam; non tulisse tantùm stuporem vulnerum, sed etiam dolorem, ut fortitudinis haberet laudem, nósque erudiret, ut, qui in Josepho Ægyptiaco didiceramus carcerem non timere, futuræ mortis tristitiam vincere disceremus in Christo. Sine hæsitatione pronunciandum trepidâsse adveniente hora mortis, ut non modò passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret; & quos vivificabat mors, timor robustos, mœstitia lætos, & tædium alacres redderet, ac desolatio consolatos. Quomodo enim illum imitaremur, nisi ùt hominem sequeremur? multi certè mortuum non crederent, nisi morituri tristitiam comperissent. Accepit ergo ægroti infirmitates, ùt infirmitatibus virtutem perficeret; &, qui hominis carnem propterea mortalem assumpsit, ut mortalibus plenam conferret immortalitatis gratiam. Hominis animam cum infirmitatibus suis sine tamen crimine suscepit, ut nostris animabus impenderet medicinam. *Vulneratus est propter iniquitates nostras*, quod proprium carnis fuit, quando defuncti latus lancea fuit apertum. *Infirmatus est propter scelera nostra*, quod est animæ, cujus pro nobis infirmitates suscepit.

§. II.

Quæ peculiaria fuerint Christo circa passiones.

QUemadmodum autem illi in fide vacillant, qui prætextu quodam venera-

nerationis passiones Christi illusiones , & imposturas dicunt , & reverendô hôc suô obsequiô fundamenta salutis concutiunt : ita ex alia parte cautio adhibenda est , ut relinquatur intacta majestas Redemptoris , & dum idem passionibus subijcitur , adhibenda est cura , ne affectuum nævis subijciatur. Nimia enim esset temeritas , credere velle , passiones in illo non fuisse à nostris sordibus defæcatas , ad quas nos virtutibûs indigemus. Primus nostrarum passionum defectus ex eo adversatur honesto , quòd infeliciter absque satu sobolescant , & rationem liberam præveniant ob pernicem phantasiæ nostræ mobilitatem ; appetitionum autem sensitivarum fames sit quasi rabida , circa escam boni sensibilis inhonesti per imaginationem prælucentem propositi. Tam subitò insurgunt , ut etiam sapientiores nec prævidere , nec impedire possint eorum impetus ; tam delicatè dormitant , ut murmure tenuissimo excitentur ; ita ardenter propendent ad bellum , ut ad primum tympani sonitum arma corripiant , & propriæ telluri talem ruinam inferant , quam non armatus hostis externus. Hæ ergo cupiditates , quæ rationem antevertunt , à Christo penitus sunt amoliendæ. Non assero affectus quoscunque appetitûs sensitivi non potuisse , aut debuisse in Christo naturaliter exsurgere posito objecto sensibili , v. g. dolorem posita objecti disconvenientis immissione ; iste enim ex necessitate exsurgere debuit , nisi ratio præveniens eum intercluderet. Quod igitur Christo singulare tribuo , illud est , pathemata quatenus in nobis moraliter noxia , hoc est , quatenus in quibusdam circumstantiis instigarent ad aliquid ex se inhonestum , si voluntas consentiret ; aut quatenus in nonnullis occasionibus , nisi cohiberentur , segne redderent , ac difficile honesti exercitium ; has passiones non priùs in novissimo nostro Adamo fuisse excitatas , ac in primo , nisi ratio positivè eas permisisset , aut advocâsset : ea verò exortum prohibente , nunquam exsurrexisse , contrà quàm nobis evenit post Adami naufragium. Cùm igitur Christus nobiscum degeret , fuit tunc quidem inter mortuos , sed liber , fuit inter parvulos , sed magnus , inter infirmos , sed validus ; siquidem ipse semetipsum turbavit , ut Joannis 16. dicitur : ipse oblatus est , quia ipse voluit , & omnis ejus ægrimonia de voluntate fuit , non de necessitate. Nec solùm hujusmodi passiones januam animæ sanctissimæ nunquam inopinatè pulsâruut , sed quando etiam jubebantur adesse , id non nisi gravibus de causis contingebat. Homines affectus suos affigunt objectis eorum amore indignis , & sæpissimè ex motivis futibilibus induunt catenas gravissimas. Incauta alterius actione commoventur ad furorem , & sine discrimine majorum , & minorum errorum vindictam spirant , tam ob verbum asperius ,

 quàm

quàm ob homicidium perpetratum. Sic Consul Romanus mancipium brutis devorandum exposuit ob confractum vitrum; sic Princeps iratus inundavit urbem sanguine suorum civium, & ut vindicaret injuriam statuæ vel ære fusæ, vel marmoreæ illatam septem millia hominum vivas Dei imagines ad mortem condemnavit. Dolor pro consolatione sibi sculpsit idola, & cùm filii non possent è mortuis resuscitare parentes defunctos, ob excessum amoris & doloris, post erecta ipsis mausolæa, etiam templa consecrârunt. Denique nulla hominum passio debitam observat mensuram: nostrum odium ferocitate excedit injurias irrogatas, quæ ipsum parturiunt; amor plùs ardet, quàm flamma, à qua accenditur; spes nostræ magis firmæ videntur, cùm tamen debili nitantur fulcro. Aliâ longè ratione regebat filius Dei passiones; ut nempe cum causæ nobilitate æqui ponderaret affectus. Non apparebat in eo indignatio, nisi ob injurias inflictas omnipotenti suo Patri, vel ad puniendam templorum profanationem: amabat personam nullam nisi juxta meritum, & ubi perfectionem suo affectu dignam non invenit, benigno suo intuitu animas amabiles reddidit, effecitque, ut amor esset causa & effectus amoris. Non admisit timorem, nisi ex motivis gravissimis; & quamvis crucis patibulum ad eum incutiendum suffecisset, credo tamen magis animam turbatam nostrorum scelerum, quàm suppliciorum ignominiâ.

Ex quo altera labes passionum nostrarum colligitur, quod nempe in nobis lex membrorum pugnet adversùs spiritum sine ullis indiciis; indéque jugis pugna, & irrequietum bellum exoriatur. Spernunt nostra consilia, sicut non curant nostra imperia; solúmque quiescunt, quando diuturnitate lassantur. Hæc contrarietas procul exulavit in Christo, prout patet ex synodo 5. constantinopolitana, quæ anathema esse jubet defendentem, quòd Redemptor noster desideria carnis, aliásque molestias passus à deterioribus tantùm paulatim recesserit, & sic ex profectu operum melior factus fuerit. Nihil ergo anima sublimitati virtutis habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat oppugnantiam voluntatum. Nullam talem, sive brevem, sive diuturnam moram passionum rationi infestarum, ejúsque pacem labefactantium, aut nos viatores concutientium in Christo fuisse plenissimè versat origenes tract. 35. expendens, cur Evangelista de Redemptore non pronuntiaverit tristatum esse, & tædium concepisse, sed *cæpisse pavere, & tædere.* Ait enim, passionem in ipso factam non esse secundùm similitudinem humanæ naturæ; sed solùm principium tristitiæ, & pavoris. Videns enim instans certamen, quod non erat ei adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs tantos reges terræ assistentes, & principes congregatos in unum

ad-

adversùs se, quantos nunquam; cæpit pavere, vel tristari, nihil ampliùs tristitiæ, vel pavoris patiens, nisi principium tantùm. Hoc autem non contigit ratione alicujus habitûs divinitus per se infusi, sed interventu habituum facilitantium appetitui infusorum per accidens, quibus conferebatur potentiæ appetitivæ facilitas ad sequendum rationis ductum. Maxima verò ex parte hoc contigit per providentiam Dei extrinsecam, & curam Dei specialem; nullus quippe habitus appetitui immissus potest formaliter excludere motus ejus inordinatos; cùm habitus non sint stupefactivi, & inhibitivi operationum, sed earum potiùs profusivi.

§. III.

An stantibus istis Christus potuerit tentari?

Cum istis cohærere non videtur, quomodo Christus potuerit tentationibus impeti: tentatum autem fuisse disertè traditur ab Evangelistis, neque id ejus sanctitatem dedecuit. Prima ratio, cur tentari se permiserit, est, ut hominem, quem gerebat, ad nostræ imitationis temperaret exemplum. Vita enim nostra in hac peregrinatione tentatione carere non potuit, nec coronari quis potest, nisi vicerit, nec vincere, nisi certaverit, nec potest certare, nisi qui inimicum habuerit. Quoniam igitur nobis, qui sumus corpus ejus, voluit præbere exemplum elidendi dæmonem, & ansam dare confidendi, illuc secutura membra, quo ipse præcessit; ideò tentari voluit in eremô. In Christo ergo nos tentabamur, quia ille de nobis sibi habebat carnem, de se sibi salutem: de nobis sibi tentationem, de se nobis victoriam: modò nos non solùm in illo agnosceremus tentatos, sed agnosceremus nos in ipso etiam vincentes. Poterat à se diabolum prohibere; sed si non tentaretur, nobis vincendi magisterium non præbuisset.

Congruum etiam fuit, Christum tentari, ut iisdem lineis, quibus perierat primus Adam, per secundum salus restitueretur. Cùm enim primus Adam adhuc in inviolata Dei imagine perduraret, devolutus est in gastrimargiam, cenodoxiam, & superbiam; gastrimargia enim est, qua interdicti ligni præsumit edulium; cenodoxia est, qua dicitur, *aperientur oculi vestri:* superbia, qua dicitur, *eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.* Hac tripartita tentatione Salvatorem legimus tentatum fuisse: gastrimargiâ, ubi suggeritur: *dic, ut lapides isti panes fiant;*

cenodoxia, ubi de pinna templi admonetur, ut se deorsum mittat, tentandi gratiâ, utrum ab Angelis suscipiatur; superbia, ubi in monte constituto ostenduntur omnia regna terræ, & horum gloria, quæ omnia promittuntur, si cadens adoraverit. Sic igitur iisdem tentationum lineis est appetitus, quibus primus Adam fuit in ruinam pertractus. Porrò quantumvis his tribus tentationibus præcipuè intenderit explorare Divinitatem Christi, de qua ob multa indicia ambigebat; nihilominus intervenit admixtio pellectionis ad peccatum, quod semper in tentationibus quatientibus dæmon sibi pro scopo proponit.

Longè tamen diversa via fuit Christum tentandi, ab ea, quam tentator inire consuevit ad nos corrumpendos. Nam in nobis tentationes cientur, concitatîs diversimodè passionibus à dæmone, abutente complexione nostra corporea, & adhibitîs aliîs artificiîs, quibus scintillas in nobis, imò incendia vel renitentibus excutit, & adurente fumo commaculat. Nec robustis adeò machinis satanæ laborandum est, ut aliquid de sua spurcitia immittat, quæ ex carne putrida per se ipsam cum abominabili nausea ferè perpetuò scaturit. Assiduæ illusiones ubi viderint animam minimè occupatam, & ad sui circumspectionem minùs sollicitam circumvolitant velut fuci in favo apum; continuò importunos edunt bombos, cogúntque nos in his muscarum populis abigendis perpetuò lassari. Hi autem nefarii motus, qui tam audacter nos ad malum prolectant, súntque prolusiones ad peccatum, tametsi secluso consensu innoxiæ, in Christo non prosiliebant sponte sua, nec extrinseco artificio, complexione corporea irritata, aliisve malorum incentivis adhibitis enascebantur: sed tunc tantùm excitabantur, cùm advocabantur, nec erumpebant nisi signô per rationem superiorem dato. Quare propositus modus tentandi in Christo non habuit locum, sed ille tantùm admitti potest, qui peragitur per meram exteriorem suggestionem, & objectorum propositionem realem vel vocalem.

Hanc de externis tantùm suggestionibus, & non per internos motus doctrinam aureis verbîs exponit S. Gregorius, quando tres tentationum modos distinguit; nimirum suggestionem, delectationem, & consensum: refértque nos plerumque in delectationem, aut etiam in consensum labi, quia in carnis peccato propagati in nobis ipsis gerimus, unde certamina toleramus. At verò Deus, qui in utero virginis incarnatus, mundum sine peccato est ingressus, nullum criminum fomitem contraxit. Tentari ergò per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit; atque ideò omnis diabolica tentatio de foris suggerebatur, non intùs nascebatur. Pulchrè vocat tentationem *per de-*

lectationem, qua abstrahimur, & à propria illicimur concupiscentia, agro mortalitatis nostræ has per se ipsum urticas proferente. Tentatio verò per *suggestionem* in nobis plerumque est interna: cùm scilicet satan idoneorum humorum commotione species ad tentandum opportunas priùs quasi sopitas suscitat, & ignem concupiscentiæ antea suppositum doloso cineri vegetat, non absque aliqua prægustatione peccati inde progenita. In Redemptore nostro tentatio per suggestionem fuit merè externa, qualis est in nobis ea, qua per accomodum objectorum sensibilium applicationem proritamur ad malum. Sed in nobis vel invitis excitantur motus aliqui, qui, si prorsus desit assensus, sunt innoxii: si autem rudimentum aliquod duntaxat assensus interveniat, procreatur culpa levis, quo tamen via munitur pleno assensui, ac ruinæ sanctitatis. Sumam huius discursûs sic accipe. Non admittitur in Christo tentatio per consensum, neque tentatio per delectationem intrinseco incentore nata, vel quæ est per internam suggestionem.

§ IV.

Ex qua passione ortus fuerit sudor sanguineus Christi?

SAnguineum sudorem, quo sacratissimum Christi corpus iminente passionis tempore perfusum legimus, verè contigisse credo, & profiteor contra insanientes nonnullos sectarios, qui jure insignis impudentiæ convincuntur, quòd effectum in ipsis sacris paginis proditum, commenti arguere, ipsúmque Evangelium eâ narrationis parte truncare non erubuerint. Ut verò causam stupendi huius effectûs aperiam, suppono, duplici ex ratione sanguinem per poros corporis emitti eô ferè modô, quo naturaliter sudor effunditur. Et primò quidem, sicut sudor aquosus, & simpliciter dictus, vel caloris efficacitate per latentes exprimitur poros, vel absque caloris impetu per virium, & virtutis contentivæ imbecillitatem emittitur, ut contingit in sudoribus, quos syncopticos appellant, alíisque frigidioribus: ita sudor sanguineus ex utraque hac causa emanare potest. Sic scribit Michaël de Palacio in cap. 18. Joann. enar. 3. sub finem, quendam nobilem Pincianum cum capite minuendus esset, sanguine sudâsse. Sic Benefinus de medela occultorum morborum refert, se hominem vidisse, qui ad certa temporum intervalla ex late-

latere sano, & integro sanguinem mittebat, ultrò sistente sanguine, atque adeò porîs naturaliter se laxantibûs ad sanguinis fluxum, & se comprimentibus ad consistentiam, donec scissa vena hepatica salutem attulit. Utrumque hujusmodi sudorem sanguineum tribuit philosophus complexioni vitiatæ. Ita enim habet lib. 3. hist. cap. 19. *Si sanguis immundicè humescit, morbus infestat: sic enim in speciem saniei diluitur, & adeò serescit, ut jam nonnulli sudore cruento exsudârint.* De altero ita loquitur lib. 3. de part. cap. 5. *Nonnullis accidit, ut cruentum quoddam excrementum exsudarent propter vitiatum corporis habitum.*

Sudor tamen iste non in omnibus ex hac causa proficiscitur; ubi enim deficit materia, nec sanguis admodum est aquosus, sed per magnitudinem passionis magis attenuatur, accidere potest, ut sanguis effluat per corpus spongiosum, & rimosum, & omnino ob vehementiam secernatur. Sic deficiente lacte, si nimium per suctionem extrahitur, sanguis elicitur, quia venæ, quæ sunt sanguinis conceptabula, toto corpore sparguntur tanquam tubi ad deducendum benignum humorem, quo universæ partes rigantur. Si ergo interveniente extraordinario æstu calefiat, & rarefiat sanguis, foràs expelletur per cruentum sudorem. Sic scribitur vir ubertate sanguinis, & præfervida temperie præditus, ex modica ad ludum applicatione non semel, sed sæpiùs sudâsse sanguine; licèt ludus vehementem intensionem non exigeret, nec esset periculum magni dispendii ex colludentium victoria. In hanc ultimam causam refero sanguineum Christi sudorem. Neque enim iste oriri potuit ex temperamenti corruptione, vel cutis nimia tenuitate, aut virtutis retentivæ imbecillitate, qui omnes defectus à Christi corpore optimè constituto sunt semovendi: neque nasci potuit ex mera tristitia, quæ potiùs sanguinem ad cor traxisset, quàm foras propulsâsset. Igitur natus est ob extraordinarium æstum, qui sanguinem rarefecit, & ad exteriora membra pepulit, in suo quidem exitu tenuem, paulò post tamen vi externi frigoris iterum condensatum.

Ardor autem ille vehementissimus secutus est in Christo post immanem tristitiam, quæ eum primò adeò gravavit, ut usque ad mortem affectum se mærore fateretur. Ea enim tristitia aliquamdiu conflictata est cum generoso audaciæ motu, insurgentis adversùs imminentia tormenta tristitiam inducentia; qui conflictus agoniæ nomine donatus est à sacro codice, & aliquamdiu à Christo habenas affectibus laxante susceptus est, donec heroico impetu superavit audacia, & erectio mentis. Unde tantus in sanctissimo Christi corpore æstus exstitit, ut sanguis, quem priùs timor ad cor retraxerat, calefactus, & rarefactus ex omnibus

parti-

partibus exsudaverit per venarum rimulas & poros ardore laxatos. Adstipulatur nostræ huic sententiæ philosophus sect. 2. problem. q. 26. ubi quærit, cur in lucta, sive agonia sudent pedes, & partes aliàs admodum frigidæ, & in ægris omnium maximè operimenti egentes. Problema enim hoc more solito per interrogationem sic dissolvit: an quia agonia non est caloris transmutatio (quemadmodum in timore ex supernis ad inferiora; quare etiam timentium ventres solvuntur) sed ejus potiùs augmentum, quemadmodum in ira? igitur ex interna lucta, sicut sudor aqueus, ita etiam diffusio sanguinis exoriri potuit, nec alia illius causa potest excogitari.

DISSERTATIO XII.

An fuerint passiones in statu innocentiæ, vel etiam in statu puræ naturæ, & cujus indolis illæ fuerint?

§. I.

Explicantur diversi status.

PEr statum hîc intelligenda est certa vivendi conditio, in qua homines secundùm ordinem Divinæ providentiæ, aut fuerunt constituti, aut saltem constitui potuerunt. Omisso statu viæ, qui tunc dari dicitur, quando creatura rationalis tendit ad possessionem ultimi finis, seu statum patriæ, qua beati fruuntur in cælo, ad alios intentioni nostræ magis accomodos pergo. Hi autem vulgò nominari solent, primò status puræ naturæ, qui licèt exstiterit nunquam, supponitur tamen esse possibilis, éstque imprimis necessaria illius cognitio ad cæterorum intelligentiam hauriendam. Tum subsequitur status naturæ integræ, ac deinde status justitiæ originalis, ac tandem status naturæ lapsæ, ejúsque postmodum per Christum reparatæ. Status puræ omninò naturæ ille audit, in quo homo quidem instructus fuisset perfectione essentiali, & facultatibus illius naturæ congruentibus, cum adjuncto Dei concursu, & providentiâ circa illum occupatâ; præter hæc tamen dotatus non fuisset donîs aliquibus naturæ de se indebitis, ac proinde ordinaretur non nîsi ad finem naturalem, nec media alia ipsi subministrarentur, quàm opportuna ad beatitudinem naturalem. Statum naturæ integræ implet ille, in

quo ultra omnes facultates naturales, apparet in homine ſpecialis prærogativa, quæ conſiſteret in carentia fomitis, & effrænatæ concupiſcentiæ; ſeu in perfecta ſubjectione appetitûs ſenſitivi ad rationalem, ita ut inferior contra ſuperiorem moveri, aut rationem prævenire non permittatur. Cùm enim ex diſſidio duplicis appetitûs natura humana difficultatem, & repugnantiam ad bene operandum patiatur maximam, ſi pax acceſſerit, & concordia, cenſetur tunc ita perfici, ut rectè, non autem quaſi claudicando in moribus progredi valeat; ac proinde vox illa integritatis viſa eſt idonea ad iſtius perfectionem ſignificandam. Huic proximè accedit ſtatus innocentiæ, & juſtitiæ originalis, qui primis noſtris protoparentibus obtigit, quique præter naturæ integritatem involvit primariò gratiam ſanctificantem, quæ vulgô in ſacris litteris juſtitia appellatur, eò quòd maximè conſtituat hominem rectum in ordine ad Deum. Accomodatur etiam illi nomen juſtitiæ originalis, quia ſanctitatem illam cum aliis donis protoplaſtis acceperunt, ut ad poſteros per originem, id eſt, per generationem naturalem à ſe propagandos transfunderent, niſi transgreſſio præcepti Divini obſtitiſſet. Quod poſtremum quidem contigit, atque ita ſucceſſit ille, qui cum proprietate ſtatus naturæ lapſæ, ſeu per peccatum corruptæ exprimitur, & in quo lapſus Adami non tantùm fuit perſonalis, ſed potiùs capitalis, & totius naturæ humanæ. Quamobrem ipſe cum poſteris orbatus fuit omnibus prærogativis, quæ ſtatum innocentiæ illuſtrabant, ſicque ſublatâ juſtitiâ originali, quatuor hæc vulnera naturæ humanæ per peccatum Adami inflicta fuerunt; primò ignorantia intellectûs; malitia in voluntate; concupiſcentia in appetitu concupiſcibili; & infirmitas in iraſcibili; quibus accedit in corpore mortalitas, & pravi morborum affectus.

Tam longum tempus elapſum eſt, ex quo ornamentis innocentiæ fuimus ſpoliati, ut non niſi obſcura nobis idea de illo remanſerit; & niſi Deus continuò pergeret punire peccatum parentis in filiis, jam una cum memoria excidiſſet omnis ſenſatio noſtrorum vulnerum. Non poſſumus quidem ad vivum deſcribere nec delicias loci, qui Adamo pro aula ſerviebat, nec perfectiones animæ, aut corporis, quibûs in ſtatu juſtitiæ fruebatur; obligamur tamen admittere, locum abundâſſe omnibus, quibus avariſſima deſideria ad ſatietatem adimplerentur, & exulâſſe omne illud, quod quacunque ratione poterat quietem ſuccutere, juxta illud Auguſtini: abſit enim, ut illa beatitudo poſſet, aut in loco illo non habere, quod vellet, aut in ſuo corpore, vel animo ſentire, quod nollet. Paradiſus nec admittebat ardores æſtatis, nec frigora hyemis, ſemper dives fructibus autumni, & plenus deliciis vernantis æſtatis. Non

aderant

aderant tumultus, qui eſſent componendi; non inimici, qui impugnandi; non infortunia, quæ timenda. Omnes creaturæ unanimiter conſpirârunt in ſervitutem hominis, bruta omni ſubmiſſione venerabantur illius authoritatem, ac ſicut ſupra terram nullæ germinabant ſpinæ, ut aliqui indicant, ſed mera ſuccreſcebant gaudia, ita feræ in mediis ſylvis omnem exuerant ferocitatem. Cæli ipſi non poterant demittere, niſi felices influxus, nec ſidera alio, quàm benigno, & faventi nos intuita fuiſſent aſpectu. Conſtitutio humani corporis tam erat excellens, ut ſanitas nunquam alteraretur, &, ſi fortè temporum injuriis ſubjaceret, ſolo eſu fructûs de ligno vitæ novo inſtaurabatur vigore, quo robuſtior reddebatur adverſus quoſcunque inſultus. Erat immortalis non quidem ex ſua natura, ſed per gratiam, cognoſcebàtque homo non poſſe peccatum vitæ inſidiari, niſi ipſe aditum aperiret infeliciſſimo innocentiæ deſtructori. Nec anima debebat invidere hæc bona corpori, cùm etiam ipſa frueretur felicitate non minùs æſtimabili: nempe ſcientiâ rerum naturalium infusâ tantâ, ut occultiſſima quæque cognoſceret. Videres in illa memoriam oblivionis incapacem, voluntatem ad ordinatas ſolùm inclinationes propendentem, affectus omnes ita ritè compoſitos, ut nihil illius quietem poſſet interpellare.

§. II.

Status innocentiæ à paſsionibus non fuit immunis.

NOn credo, me offenſionis anſam præbiturum Theologiæ Magiſtris, ſi aliquid de feliciſſimo hoc ſtatu protulero, quod veritati conſentaneum judico. Ita autem ſentio. In fortunatiſſima illa conditione, quam, neſcio, an dicendi ſimus potiùs perdidiſſe, vel projeciſſe; in illa, inquam, conditione tamen paſſiones non defuerunt. Sicut enim homo defenſus gratia originali immortalitatis robore erat inſtructus, quamvis ex corpore compoſitus mortalitati eſſet expoſitus; ita videtur pari ratione inferendum, paſſionibus fuiſſe obnoxium, eò quòd purus ſpiritus non eſſet, quamvis illæ fuerint pacatiſſimæ, & à rationis norma penitus cicuratæ. Ut vim hujus argumenti meliùs perſpiciamus, ponderemus explicatiùs principium, unde conſequens derivatur, & ſtatim patebit, hominem abjiciendo gratiam potuiſſe morti ſuccumbere, & immortalitatem magis fuiſſe donum à cœlo deſcendens, quàm naturæ proprietatem. Si revera immortalitas hominis ad illius integritatem pertineret, opus non habuiſſet

 buiſſet

buiffet alimentis, & neceffarium non fuiffet privilegium, ut liberaretur à malo, quod non erat pertimefcendum. Igitur cognofcimus, eundem, ficut indiguit cibo ad vitam confervandam, ita eandem perdere potuiffe; & quia vita debilis redintegranda erat auxiliô fructuum miraculô excoctorum, fequitur, eum à morte non fuiffe immunem, & vitam illius æquè indiguiffe remediis obftantibus, ac noftram. Verum eft, hujusmodi remedia fua virtute fuperâffe noftra, & operata fuiffe efficaciâ fingularî, & validiori, ita ut vitæ curfus nunquam tam funefto fine terminatus fuiffet, ac nofter: verum etiam eft, fuiffe eliminatam omnem corporis corruptionem, fed fatendum pariter eft, fi homo talibûs remediîs ufus non fuiffet, à calore naturali abfumendum fuiffe humidum, ut vocant Philofophi, naturale, & fenectus indifpenfabiliter illum ad confinia mortis protrufiffet. Ab hoc, quàm parùm abfit Hipponenfis Antiftes, patet luculenter ex lib. 1. Quæft. vet. & novi teftamenti, ubi fcribit: *Non corpus ejus tale erat, quod diffolvi impoffibile videretur, fed guftus arboris vitæ corruptionem prohibebat. Denique etiam poft peccatum potuit indiffolubilis manere, fi modò permiffum ei effet edere de arbore vitæ.* Si igitur Adamus naturaliter à morte exemptus non fuit ob annexum fibi corpus, etfi morti non fubjacuerit unctus balfamô divinæ gratiæ; dici æquè poterit illum non omnibus paffionibus caruiffe, eo quòd anima corporeô ergaftulô fuerit mancipata.

Solùm igitur ftatuendum, manfuetiores tunc fuiffe paffiones, à juftitia originaria fanatas has ægritudines timuiffe Adamum in ftatu innocentiæ, fed timorem natum non effe fine ratione; fpe in varia abductum fuiffe, fed fpem iftam fundamentô non deftitutam. Credo equidem, non omnes in Adamo paffiones locum inveniffe, eò quòd animam ad quietem ordinatam infeftare non potuerint illi affectus, quorum præcipuum munus eft fana confilia præpedire, aut perniciem advocare; non dico, cor illius fuiffe occupatum triftitiâ, aut defperatione, eò quòd malum ipfi appropinquare non potuerit, & inundatus folùm gaudiis, mærore, folis miferis proprio, caruerit. Interea tamen certò exiftimo, cùm perfpiceret fe fubjectum legibus à fuprema Majeftate fibi impofitis, fubinde fpem ipfi blanditam fuiffe, vel timore abfterritum, aut ab utroque affectu inter repagula debiti officii coërcitum. Ita certè cenfeo, in infeliciffimo illo contractu inter incautam Matrem noftram, & dæmonem inftituto, repertas fuiffe omnes illas paffiones, quæ communiter infurgere folent, ubi de negotiis majoris alicujus momenti confultamus, mihique perfuadeo, promiffa infernalis feductoris arrexiffe illam ad fperandum; minas à Deo intentatas timore illam perculiffe; pulchritudinem pomi

vetiti

vetiti induxisse ad desiderium; & difficillimum erit concipere, tantam voluntatis immutationem sine ulla corporis alteratione, aut immutatione. Atque hoc est fulcrum, cui innititur assertio, hominem in statu innocentiæ passionibus fuisse expositum, quas nos experimur, cùm fuerint ipsi metuenda supplicia, præmiáque respectanda. Sicut usus est sensibûs, tanquam instrumentis corporis sui, ita adhibebat passiones ad animæ suæ functiones. Nec differebant illæ à nostris pathematis ex earum natura, sed solùm magis dociles se exhibebant rationi, & per gratiam originalem earum rabies, & confusio extinguebatur.

§. III.

Quales passiones fuerint in statu puræ naturæ?

COmparando statum hominis post infelicissimum Adæ lapsum cum statu ejusdem in puris naturalibus (si culpam originariam detrahas, hominémque solum quoad intrinseca consideres) non sunt in uno statu aliæ, aut vehementiores passiones, quàm in alio ad bona sensibilia inconcessa, experiretúrque ille eandem in utroque pugnam partis inferioris cum superiore. Videtur hoc sequi ex hac propositione damnata: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis conditio*, quam confixerunt Sanctus Pius Quintus, & Gregorius Decimus tertius. Ex ea enim infero sic: igitur tenenda est ejus contradictoria: integritas primæ conditionis, prout illa abstrahit ab elevatione naturæ humanæ, fuit indebita naturæ humanæ. Sed, amabo! quid est aliud integritas naturæ, prout illa ab elevatione præscindit, quàm plena subjectio partis inferioris ad superiorem? si ergo integritas non fuit debita humanæ naturæ, neque subjectio partis inferioris ad superiorem ei debebatur, & quod ulteriùs concluditur, tales nunc exsurgent ex hoc fonte passiones, quales excitatæ fuissent, si donum illud removens hæc mala nunquam intervenisset. Indicant hoc ipsum non obscurè sacræ litteræ Genes. 3. illis verbis; pulvis es, & in pulverem reverteris. Hujus sententiæ juxta purpuratum Bellarminum sensus est: quamquam mea benignitate te valdè gloriosum effecerim, ita ut nec mors, nec alia tibi mala formidanda essent; tamen ex natura tua mortalis, doloribus, laboribus, passionibúsque subjectus eras; verbo pulvis eras. Et quia donô illô meô superadditô es tuâ culpâ spoliatus, & in statum tuum naturalem ecidisti, in antiquum pulverem tam physicum, quàm moralem, tam

in mortem, quàm in concupiscentiam reverti te sinam. Sic etiam miratur regius Propheta psal. 8. hominem ferè Angelis æquatum, dum inquit: *Quid est homo, quod memor es ejus &c.* quasi dicere vellet, obstupescendum est, hominem ex natura sua corporeum, mortalem, animalium cæterorum affectibus obnoxium, ad eum honorem, & gloriam evectum, ut parùm omninò ab Angelis distaret. Et quid designant honor, & gloria, quibus dona primo homini collata comparantur, nisi aliquid extrinsecum, & superadditum? de veterum, Sanctissimorum Patrum testimoniis si loqui vellem, infinitus essem. Sic enim S. Dionysius Areopagita libro de divinis nominibus cap. 4. parte 4. loquens, *Nec Angelica*, ait, *munera his tributa aliquando permutata, sed integra sunt, penitúsque conspicua.* Ex quo Scholastici Theologi communem illam sententiam acceperunt, naturalia in dæmonibus post delictum commissum mansisse integra. Si autem in Angelis malis naturæ dona intacta fuerunt relicta, quare multùm dubitemus, ut id de homine quoque intelligamus? sic etiam S. Augustinus Lib. 4. in Julianum cap. ult. ait: quid est, gustatô cibô prohibitô nuditas indicata, nisi peccatô nudatum, quod gratia contegebat? *Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratiâ, non habebat in suo corpore, quod puderet, spoliatus gratiâ sensit, quod operire deberet.* Vides hoc loco semper ab Hipponensi innocentiam illam, justitiámque originalem primi hominis, gratiam appellari: vides eam indumento, quod superadditur extrinsecùs humano corpori perpetuò comparari. Vides denique bestialem libidinem terreno, & animali corpori naturaliter convenire, & ideo non ex natura sua, sed ex Dei favore corpus Adami terrenum, & animale in statu innocentiæ caruisse. Accedit S. Ambrosius, qui libro de Elia, & jejunio cap. 4. sic scribit. *Opertus erat Adam virtutum velamine, priusquam prævaricaretur, sed tanquam exutus prævaricatione vidit se esse nudum, quia indumentum, quod habebat, amiserat.* An non iterum vestis appellatio gratuitam innocentiæ stolam indicat?

Addamus hisce argumenta ex ratione petita. Constat, naturale esse corpori animali sensibus, & appetitu prædito inclinari versùs bonum sensibile: naturale esse spiritui rationali concupiscere bonum spirituale, ac rationale: quare si ex corpore animali, & spiritu rationali una natura completur, ingenitum huic composito erit diversas, & inter se pugnantes propensiones elicere. Quod igitur primi parentes nostri ante fatalem pomi esum pugnâ istâ violentiore, & maximè periculosa diversarum appetitionum caruerint, donum erat naturæ vires excedens, & non con-

ditio

ditio naturalis. Secundò, si major daretur passionum rebellio in natura lapsa, quàm in natura pura, tunc hæc provenire debuisset ex morbida aliqua qualitate. At quænam hujus causa idonea assignari potest? certè non alia, nisi peccatum protoparentis. At verò hoc ineptum est ad producendam in nos, derivandámque hujusmodi qualitatem, quia actus manducandi vetitum cibum in ipso protoplaste remansit, & ideo in aliis qualitatem istam morbidam procreare non potest. Rursus an ex peccato primi hominis producta fuisset naturaliter qualitas aliqua in ejus semine, cui vis inesset venenatam illam qualitatem in appetitu, subinde aliam in voluntate posterorum producendi? igitur peccatum in omnibus hominibus eadem vi polleret, & cæteri parentes scelerum suorum fæce pariter posteros inclinarent ex vi generationis naturalis, quod ex innumeris titulis cuilibet displicere debet. An dices, non virtute generationis naturalis, sed ex sola Dei voluntate ægritudinem traduci? at reclamant Scripturæ, quæ concupiscentiæ actus non esse à Deo multis locis testantur. Ita D. Joannes eandem affirmat non esse ex Patre, sed ex mundo. D. Jacobus scribit: neminem à Deo tentari, sed à sua concupiscentia; lex *non concupisces*, sancta, & bona sine dubio promanat à Deo: quomodo igitur lex membrorum, quæ illi repugnat, est à Deo? quomodo, si ipse hos stimulos produxisset, non esset ille causa, & Author peccati?

Neque passiones indomitæ allicere nunc possunt voluntatem intensiore conatu ratione habituum vitiosorum, quibus affecta est in uno homine potiùs, quàm in alio; hæc enim consideratio est extra rhombum præsentis controversiæ, cùm homo lapsus ratione solius peccati originalis non induerit aliquem habitum vitiosum, utpote qui solùm erumpit per plures actus frequentatos. Quin fieri posset, ut homo quispiam genitus in natura pura, postea per pravam consuetudinem sibi adsciisceret intensissimos vitiorum habitus, quibus pathemata æquè redderentur effrænia, ac nunc in homine lapso æqualiter vitioso. Denique tertiò, si vires appetitûs in homine post perpetratum peccatum in se sunt minores, quàm fuissent in natura pura, hoc solùm accidere posset per ablationem alicujus boni intrinseci in ea facultate; vel per introductionem cujuspiam qualitatis nocivæ; vel per imminutionem inclinationis naturalis ad honestum. Qua enim viâ aliâ deterior status exponi potest? At verò nec potuit detrahi anima, nec corpus auferri sine totius hominis destructione. Non secundum; quia qualitatem illam prorsus commentitiam esse nunc primùm ostensum est. Non denique tertium; quia etsi per quodlibet scelus superinducatur aliqua pronitas ad scelus simile

in

in futuro perpetrandum; hæc tamen major inclinatio tantùm oritur ex specie relicta, quæ successivè augmentari potuisset in ipso Adamo, non autem modo in illius posteris. Addo tantùm hoc, quòd si per admissum delictum intrinsecam corruptionem humana natura passa fuisset, tunc janua aperietur asserendo, per plura, & iterata crimina posse ex toto congenitam naturam deperdi. Credo autem, cum Hipponensi lib. de Spiritu cap.28.hominem etiam extremè impium sine aliquibus bonis non inveniri. Credo cum eodem nullius animam adeò esse perversam, in cujus corde Deus non loquatur, quæ locutio interior locum non videtur habere in eo, à quo omnia naturalia intrinseca excluduntur: credo denique in ipsis damnatis remanere, naturalem inclinationem ad virtutem, sine qua in eis remorsus conscientiæ vix salvabitur. Igitur videtur multipliciter manifestum, passiones nunc ex se non parturire peculiarem difficultatem ad peragendum bonum, & malum evitandum, quæ non etiam in statu puræ naturæ emersisset.

§. IV.

Quomodo homo per peccatum fuerit vulneratus in naturalibus?

SEd qua ratione nos in hac sententia exponemus similitudinem illam à D. Luca nobis propositam hominis scilicet descendentis ad Hierusalem, qui in latrones incidens non solùm spoliatus vestibus, sed etiam impositis plagis semivivus fuit relictus? huic enim Patres communiter comparant hominem post Adæ lapsum, volúntque hominem à sede gratiæ dejectum, non modo spoliatum fuisse gratuitis donis, quæ vestium extrinsecarum nomine intelliguntur; sed advertunt etiam, in naturalibus vulneratum fuisse. Nodus iste adeò difficilis non est, ut præeunte Doctore Angelico solvi non possit, qui 1. 2. q. 85. art. 3. in corpore concupiscentiam sanatam esse docet per justitiam originalem, qua justitia post peccatum perpetratum potentiæ naturales fuerunt destitutæ: additúrque: *& ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ.* Quod non ita cum Calvino, Luthero, Jansenio, & horum gregalibus est accipiendum, quasi justitia originalis ideo dicatur naturalis, quod debita fuisset; sed quia fuit sanativa naturæ ad rebellionem propensæ, & quia fuit reductiva naturæ ad ordinatam subjectionem: hincque appellatur naturalis non

enti-

entitativè, & ratione sui, sed terminativè, & relatè ad id, ad quod sanandum erat destinata.

Ut autem hæc clariùs perspiciantur, servit nobis Philosophus, qui dolorem & vulnus inductivum doloris in animalibus ex divisione, aut separatione quadam continui oriri docet. Cùm igitur in homine duæ partes (nimirum anima rationalis, & corpus, ac subinde duplex appetitus, alter rationalis, alter sentiens) in felicissimo illo justitiæ originalis statu essent conjunctæ, & amica unione convenirent in bono agendo, & malo vitando, etiam intra ordinem naturalem; postea verò per amissionem ejus doni supernaturalis fuerint invicem divisæ, quodamodo, & in opposita inclinent suo nisu, jure meritò dicitur homo lapsus non solùm fuisse gratuitis spoliatus, sed etiam vulneratus in naturalibus. Si unio nulla præcessisset inter utramque partem, prout antecessit statum naturæ lapsæ, tam parùm naturalium hominis partium divisio vulnus diceretur, quàm parùm labiorum separatio rationem scissionis habet. Porrò vulnera homini illata per crimen originale quatuor numerari solent; nimirum infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia. Infirmitas in eo sita est, quòd natura humana spoliata donis gratuitis, ac sibi relicta non solùm subjaceat ægritudinibus, & morti corporis, sed neque polleat robusta vi ad bene agendum, careátque in pænam delicti admissi iis auxiliis, quibus aliàs munita piè vixisset. Ignorantia est inscitia veritatum quàm plurium non modò ad theoriam, sed etiam ad morum praxin spectantium; sive defectus considerationis motivorum ad sanctè operandum utilium, qui facit, ut homo tenebroso quodam, & profundo sinu ignorantiæ delitescens, non nisi cum magno labore salutarium meminerit, & perceptorum facilè obliviscatur. Malitia potissimùm habet locum in voluntate, quæ ob perversum amorem à Deo ultimo fine fuit aversa, & inclinata ad bonum commutabile sibi oppositum. Concupiscentia denique ex eodem fonte orta est propensio ad bonum sensibile & delectabile rationi repugnans: hæc amissô aureô frænô justitiæ originalis, quo in officio continebatur, sponte sua belluinos excitat motus, ac sæpè adeò effrænes, ut rationem impotenter abducant, nisi gratiæ viribus inhibeantur. Sed hæc tam gravia, & exitialia vulnera non habuit homo ex institutione divina attestante Hipponensi Præsule lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. non posse à libidinosis operibus temperare non esse naturam instituti hominis, sed pænam,& vindictam damnati: coibant priùs mutuo fœdere anima, & corpus, vires hominis superiores, & inferiores in cognitionem veri & amorem boni honesti, non modo supernaturalis, sed etiam naturalis: at ubi separatio facta est non solùm subse-

cuta est spoliatio donorum supernaturalium; sed præterea hæc quatuor vulnera naturalibus viribus fueruut inflicta, etiam sæpissimè passiones prædominantur.

§. V.

Opponit se hisce Thomas de Lemos.

Hisce se acerrimè opponit famosus divinæ gratiæ contra Molinam pugil Thomas de Lemos qui in panoplia sua demonstrat sententiam nobis adversam esse Divi Thomæ, ut refert Henricus à S. Ignatio in ethica amoris. Hic (si fides adhibenda celeberrimo Historico Sery, contra Gregorium de Valentia nostram opinionem sustinentem in congregatione decima de auxiliis, multis declamavit, ex eáque peccatum originale extinctum iri contendit. Quin consultores jussu Pauli quinti jam elaborârunt Canones damnandæ hujus doctrinæ, ut adversæ Tridentinis decretis; profertúrque illa ab eodem Historico non quidem ut authentica ob legitimæ promulgationis defectum, sed ut veritate Scholastica nixa.

Bene est, amplector adversarium, & illius dictis levi impendio dissertationi meæ firmitatem statuo. Demonstrationem ventilat; sed puto esse talem, quæ fit digitô, & aliud non est, nisi indicatio: pernego autem esse demonstrationem talem, de qua Aristoteles in libris posteriorum ait, esse syllogismum evidentem per causam, donec allegetur demonstratio. In congregationibus habitis declamaverit Lemosius, contenderit ad raucedinem usque; quid inde? elaborârint Consultores Canones; quid mali evenit? quis nescit, ex his pro Molina stetisse Henricum Sylvium Vicarium generalem Ord: Carmel. Anton. Bovium ejusdem ordinis præstantem Theologum postea Melvitensem Episcopum, aliósque viros omni exceptione majores. Ad bullam quod attinet dormiamus securi dum illa authentizetur. Interea legat Lemosius constitutionem Innocentii X. in qua decernitur assertis actis manu scriptis, & forsitan typis excusis, congregationum habitarum sub Clemente VIII. & Paulo V. nullam omnino fidem esse adhibendam, neque ab alterutra parte, seu à quocunque alio allegari posse. Nec tantùm Pontifex actis, & constitutioni Paulinæ prætensæ fidem in judiciis decisivam, verùm etiam fidem historicam ademit. Lemosii enim, Pegnæque acta, nec non bulla prætensa Pauli V. priùs, & antecedenter ad constitutionem Innocentii jam carebant fide in judiciis decisiva, cùm multò ante summus Pontifex

per

per solenne decretum permiserit in Ecclesia citra censuram doceri tam doctrinam Molinæ, quàm Banesii : igitur Innocentius ademit ipsis fidem, quam purè habebant, puta fidem historicam.

Tam multus est hic auctor in sua opinione stabilienda, ut in primo Tomo partem posteriorem ferè totam impendat ad persuadendam liberi arbitrii læsionem velut certam omnino & manifestè traditam à Conciliis, & Patribus ; velut doctrina catholica circa gratiam, & culpam originalem vix, ac ne vix quidem possit subsistere, si asseratur naturam infectam peccato originis habere easdem vires, ad bonum agendum, & vitandum malum, quas possideret condita in nuda natura. Sine, ut firmitatem tantùm præcipui fulcri periclitemur. Sic autem habet : in statu naturæ lapsæ tanta communiter censetur rebellio passionum, ut absque præsidio supernaturali non possit moraliter homo servare diu legem naturæ, & vivere sine crimine mortali : hæc autem imbecillitas repugnat in statu naturæ puræ, & innocentis, cùm obstet justitiæ, & bonitati divinæ hominem condere in tali statu, in quo sit moraliter ineptus ad consecutionem sui ultimi finis, & coactus ad transgressionem alicujus præcepti gravis : igitur non tam indomitæ passiones inclinarent ad actus turpes contra præceptum naturale hominem in puris naturalibus constitutum, quàm rebelles nunc in malum, & perniciem pertrahunt. Et quis unquam prudenter optare posset in ea conditione creari, in qua ex una parte moraliter esset necessitatus ad aliquod crimen grave saltem indeterminatè sumptum : ex alera verò parte perpetrato semel scelere, remissio illius ipsi non deberetur, cùm remissio peccati gravis sit beneficium prorsus indebitum, & transcendens omnia creaturarum merita ? an non ambæ aures tinniant animæ piæ, si audiat, Deum justissimum, optimum, & sanctissimum sub gravissima comminatione æterni supplicii homini imperare consecutionem ultimi finis, & tamen innocentibus per effrænes passiones obicem ponere moraliter insuperabilem ? nec sufficit reponere, hominem in ea hypothesi habiturum vires ad prævalendum passionum seditioni per auxilium sibi à Deo concessum. Vel enim hoc adjutorium consisteret in ordine gratiæ, vel naturæ ? per primum tolleretur, sive dissolveretur status puræ naturæ, à quo procul exulat omne spectans ad gratiæ classem. Secundum non sufficit ; cùm illud adjutorium in alio consistere non valeat quàm in generali ipsius Dei concursu, qui sicut nunc non est potens ad gravem tentationem superandam, ita nec tunc inclinationibus prævalentibus adversùs rationem præponderâsset.

Hoc est potissimum fulcrum adversæ opinionis, majorem fortè, quàm pro merito, præseferens speciem. Aio igitur, homini in natura

pura condito semper futuras fuisse moraliter sufficientes, & expeditas vires ad resistendum inordinatis passionum motibus, vel ex vi concursûs generalis Dei, si affectus insurgerent nisu leviori,& non superante connaturalem rationis, & arbitrii facultatem ; vel ex vi specialis auxilii intra ordinem naturæ collati, & nullatenus spectante ad classem supernaturalem, quo solo status purorum naturalium subverti posset. Hoc ipsum divinæ benignitatis præsidium intra ordinem naturæ dupliciter distingui deberet, in unum, quod esset sufficiens ad tollendam moralem necessitatem peccandi, & alterum, quod esset efficacissimum, ut modo contingit in exaltatione gratiæ supernaturalis. Si sermo sit de adjutorio efficaci, saltem respectu hujus, vel illius hominis in individuo, liberrimum esset Deo illud pro libitu denegare, aut liberalissimè, sive ex gratia latè dicta, & intra naturæ limites contenta (quæ sanè excludi non potest à statu puræ naturæ) conferre. An enim divina liberalitas thesaurorum suorum domina non est, ut eos tribuat, quibus vult, & quos voluerit, repellat ? negata autem hac divinæ benignitatis protectione, & concesscessa solùm moraliter sufficienti, manifestè constat hominem in ea hypothesi liberrimè peccaturum. Adjutorium porro speciale sufficiens, seu præbens homini in natura moraliter sufficientes, & expeditas vires in actu primo proximo ad resistendum passionum tumultibus vehementissimis nunquam à Deo negaretur innocenti, sed potiùs deberetur.

At, inquies, quomodo potest gratia deberi? quid gratiæ magis adversum, quàm debitum ? an non ideo gratia, quia gratis datur, ex nominis etymologiâ, & communi mortalium sensu ? an non Aristoteles hisce lib. 7. Rhetor. cap. 7. quid est gratia ? gratis data? quid est gratia ? gratis donata, non reddita, manifestè oppositionem involvit ? verùm enim verò cuperem, ut intelligeres medium hoc, quod ego nunquam gratiam nuncupavi, dupliciter deberi posse. Non est idem, Deum aliquid debere sibi, & debere homini. Fidelis est Deus, qui non patietur mortales ab appetitionibus sensibilibus tentari supra id, quod possunt teste Apostolo. Hoc medium igitur debuisset Deus sibi, ut imbecilles homines in statu naturæ puræ viventes, vel non sineret in graviores ad malum impulsus incidere, vel auxilium iis præpararet sufficiens ad resistendum. Nondum tamen dico, Deum sic hominibus debere gratiam : & multa potest Deus debere sapientiæ suæ, & justitiæ, ad quæ præstanda nulli obligatur creaturæ, sapientiæ, & justitiæ suæ debet Deus, ut non præcipiat homini, præcipuè innocenti, impossibilia : justitiæ suæ debet, ne pænas exigat ab eo, si quid non fecerit, quod in sua positum potestate non habuerit. Ita, si rectè memini, contra

tra Lutherum, & Calvinum definitum fuit à Patribus Tridentinis, ita contra Jansenium à Pontificibus. Unde sicut nunc, quoties Divinus Legislator homini præcepta imponit, quæ absque supernaturali gratia adimpleri nequeunt. Exigit à Deo sua sapientia, & justitia, ut tale auxilium, licèt naturæ hominis indebitum, omnémque ejus ordinem transcendens, nequaquam deneget, præsertim, si transgressionem ad culpam, & supplicium imputare decreverit: ita ad ejus quodammodo justitiam pertinet homini in natura pura prorsus innocenti oportuna, & necessaria subministrare auxilia ad consequendum finem ultimum naturalem, ad quem creatus fuisset. Imò non tantùm sibi, sed etiam ceraturæ deberet auxilia sufficientia. Alioquin verum esset, quod argumentum intendit, scilicet, quòd homo in magna infelicitate primùm positus à Solo Deo esset, ac frustrà in eum finem conditus, quem nec propriis viribus, nec concessis sibi à Deo intra ullum statum assequi valeret, quod sæpiùs ut planè absurdum à D. Augustino, & aliis est rejectum. Insuper cùm in eo statu homo adstringendus foret præceptis naturalibus Dei ad actiones præcellentes quarumlibet ferè virtutum moralium, & præcipuè ad dilectionem Dei super omnia, prout est naturæ auctor, & ultimus finis; daretur utique aliqua exigentia ad sufficientes, & expeditas vires, quibus ejusmodi præceptis obsecundaret; alioquin, si istæ non præstarentur creaturæ rationali, imponeretur subdito obligatio, & onus impossibile. Sed hæc Philosopho sufficiant in re altioris fori.

DISSERTATIO XIII.

An, & quales dentur passiones in plantis, & brutis animantibus.

§. I.

Cur quidam plantis pasiones attribuerint?

UT nullum adeò absurdum delirium, quod non fautorem suum invenit, ita quoque trunci quidam exstiterunt, qui non modò perfectioribus, sed omnibus omnino plantis sensum, & appetitum tribuerunt, nec aliud esse discrimen à brutis volebant, nisi quòd in istis sensus magis acutus, in plantis verò magis obtusus vigeret. Inter horum somniorum Patronos recensent Empedoclem, Anaxagoram, Hiero-

ronymum Cardanum, nec ipſum Platonem Plutarchus eximit; juréne, an injuria, non decido. Ut ita ſentirent, & paſſiones arboribus tribuerent, ſuadebant ſimilia: quòd plantæ res alias amore, alias odiô proſequerentur, nec non ad invicem amicitias, & inimicitias exercerent. Sic ſcimus hederam ad vicinas arbores adrepere, eásque amico complexu ſtringere: vitem ex adverſo ita ab hedera refugere, ut juxta plantari nolit. Eadem vitis implacabili odio non modò hederam, ſed & corylum, braſſicam, & laurum proſequitur. Unde Androcides præſens temulentiæ propulſandæ remedium ex hiſce quatuor plantis confeciſſe dicitur à Theophraſto. Quàm perpetuas invicem conſervent inimicitias geminæ hæ plantæ, ex eo etiam eruitur, quòd, ſi, dum coquitur braſica, vel modicum quid vini affundatur, illa nec probè coquatur, nec ipſius color ſibi ampliùs conſtet. Si hoc experimento non convincimur, jubent nos intueri quercum, quæ referente Dioſcoride, adeò non fert nucem juglandem, ut juxta illam conſita extabeſcat: cui tam ingens cum olea diſſenſus, ut altera in alterius ſcrobem depacta emoriatur, & quemadmodum glandes commeſtæ capitis dolorem provocant, ita oleum ex olivis expreſſum eundem fugat. Exhibent nobis arundinem, & cicutam, quæ adeò ſibi invicem adverſantur, ut una alteram interimat, ſi quidem perit filix, quam paulo uberior arundo circumdat. Viciſſim evaneſcit arundo, quam multa filix in orbem cingit. Quin fama, ſi non fabula eſt, radicem filicis contuſam arundinea ſpicula corpori infixa eijcere, & ſi filice, vomeri impoſita aretur campus, nullam in eo arundinem naſci.

Ut autem hæc, & ſimilia diſcordiam, ita alia plurima amicitiam colunt, uti oliva, & myrtus; oliva, & ficus; ulmus, & ficus, juxta illud Juvenalis Satyr. 8.

Stratus humi palmes viduas deſiderat ulmos.

Congruunt cum iſtis apprimè, quæ de amore ſingulari ſcribuntur, quo vitis proſequitur olivam, oliva, & malus punica myrtum; quo allium depereunt roſæ, & prope id haud paulo odoratiores evadunt. Palmæ adeò ſe mutuò amant, ac quærunt, ut ſimul ac ramus unius ramum alterius contingit, una mox alteri ſe implicet, nec una ſine altera fructum procreet. Quis neſcit, plantas quaſdam dici *pudicas*, quas memorat Scaliger exercit. 181. n. 28., quæ appropinquante homine, vel animali ramos conſtringunt; recedentibus pandunt? quis fidem negabit Diodoro aſſerenti arborem aglaophitim noctilucam, quæ prehendere conantem refugit, verita contactum præ metu incommodi? hæ ipſæ tamen multùm diſcrepant ab illa alia herba, quæ *impatiens* appellatur, quia

appro-

appropinquantibus digitis siliquas contrahit, nec est tentandum mutare velle siliquas in folia; tangi enim impatiens eam mutationem non admittit. De herba viva notant, quòd, si quis apprehendere attentaverit, eandem se sub tenues ramusculos condere, & quasi fuga subducere. Similia tradunt de herba *minosa*, aliisque similibus, qui arcana naturæ scrutantur.

Imo nec opus est exempla ista in medium afferre, ut passiones plantis vindicentur, ulteriori nos examinis labore supersedimus, ubi ex Plinio, Columella, Theophrasto, Cardano, aliisque Potamicis intellexerimus, in quibusdam plantis, ut in quercu, robore, siliquis, palmis, ac cyparissis utrumque sexum reperiri, ubi audiverimus communi voce herbam tabaci, aliam marem, aliam fœminam appellari. Passim conjugium vitis cum ulmo rei rusticæ scriptores celebrant, quibus ulmus mas est, & vitis fœmina, ex quo conjugio feracissima uvarum, ac vini soboles enascitur. Denique totum negotium confectum volunt hôc ratiocinio, in plantis perinde, ac animalibus adest caro, medulla, nervi, venæ, oculi, cor; nervi pleni sunt spiritibus, venæ succô, ac sanguine, ubi cortex totus per circuitum secatur, arbor omnis arescit eodem planè modô, quo animalium, ita & plantarum nutritio, ac augmentatio peragitur. Sicut enim animalia cibum per os in stomachum traijciunt, ac chylum per ductum thoracicum in reliquum corpus dispensant, ita plantæ alimentum per radices, velut per os, ex terra in truncum tanquam in ventrem accipiunt, ac postea in ramos, cæteràsque partes porosas distribuunt, donec in singulis in propriam convertatur substantiam. Nec desunt, qui cum clarissimo Domino Perraut, Malpigio, Mariotte, & aliis eximiis naturæ scrutatoribus existiment, succum nutritium in plantis non secus, ac sanguinem in animalibus perpetuò circulari, & ex radicibus in truncum & ramos ascendere, & ex his rursum in radices relabi. Secundùm exteriorem quoque partium configurationem plantæ sat multæ absoluti animalis speciem referunt; ita ut Kircherus asserat, se orchides apiformes, ac musciformes Romæ vidisse, quæ non modo figuram, sed & nomen commune cum apibus, & muscis habeant, quid igitur deest, ut plantis sensibilia pathemata denegemus? quid deest, ut formidemus dicere, easdem prosperis rebus lætari, tristari adversis, mœrore contabescere; cùm aliàs quoque vitibus lachrymas tribuamus?

§. II.

§. II.

Quàm insulsè hoc fecerint?

NOlim ego infrà bruta passiones diffundendas existimes: Aristoteli, Augustino, aliísque sanioris Philosophiæ Sectatoribus adhæreo, non huic lignatorum sententiæ. Horum primus lib. 3. de anima. cap. 13. tex. 66. disertè pronuntiat, plantæ nullum habent sensum. Et lib. 2. de anima cap. 3. explicans animæ potentias tex. 27. *plantis*, inquit, *sola inest vegetativa*. Hipponensis verò Præsul lib. de quantitate animæ cap. 33. sic cum Sarcasmo reijcit contrarium: *Non est audienda, nescio quæ impietas, rusticana planè, magísque lignea, quàm sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbent, quæ dolere vitem, quando uva decerpitur, atque audire credit: de quo errore sacrilego alius est dicendi locus*, scilicet libro de morbis Manichæorum, qui hanc fatuitatem admiserunt. Si prodesset deliram hanc sectam colere, & arrideret reverentiæ officium ligneis istis hominibus exhibere, ratione sic tueri posset nostra assertio. Si plantis affectus quidam inessent, aliquô illos, eóque sufficienti judicio proderent: exhiberent nempe aliquod signum doloris, cùm securis ictum excipiunt, se v. g. contrahendo, ut animalia etiam imperfectissima, puta, ostreæ, spongiæ, cochleæ, aliáque conchylia assolent; quæ, si quid asperi ipsis impingitur, protinus sese contrahunt, & ingrata refugiunt: explicantur autem, si quid humidi, & grati accidat. At quis unquam in plantis talem motum observavit? nimirum terrestria nimis sunt, ac densa plantarum organa, ac proinde inepta corpora ad tam nobiles operationes eliciendas. Ipsorum sensuum externorum organa, etiam tactûs solùm temperamentum subtilius, & magis delicatum exigunt; quanto magis interior cognitio, & appetitio perfectiorem nervorum, & tunicarum structuram requiret?

Præterea verus affectus prævio sensu elicitus potest diuturna assuefactione etiam in ipsis animalibus mitescere, aut prorsus deponi. Cùm enim sensus internus, & appetitus illi subjunctus non sint facultates usquequaque determinatæ, poterunt accessu habitûs inflecti; hinc bruta alioquin ferocissima cicurantur, fatetúrque Scaliger se lupum vidisse inter oves cicurem, ac leporem inter canes venaticos fuisse. Quàm autem vereor, ut tu mihi plantas etiam post longissimam indaginem invenias, quæ radicata sua deponant odia, aut in suis frigescant amoribus. Carent igitur hujusmodi substantiæ affectibus sensibilibus, denique

que

que ut cùm Philoſopho lib. 5. de generat. animal. cap. 1. diſcurramus, ſic cum illo inferimus: ubi ſenſus viget, etiam ſomnus, & vigilia locum habet; & quò vigilia eſt major, eò etiam perfectior erit vita, & ſenſus; unde infantes recens nati omnium maximè ſomno dediti eſſe ſolent. Quia, cùm intra maternum uterum totum tempus dormiendo conſumant, conſuetudine contracta, vigilandi quaſi neſcii, ſentire, ac vivere quaſi dormiendo videntur. At, ut opinor, non voles plantas dormire, neque vigilare; cùm nullus ſomnus ſit inexpergiſcibilis. Igitur nonniſi ineptè in plantis fingitur appetitus, & motus illius, qui virtutibus opponuntur.

Nec adeò multùm valent phœnomena: quæ priori loco contra rem noſtram animo parùm philoſophanti videbantur. Sic igitur habe. Quamvis fortè non omnia, quæ de his plantis circumferuntur, fabulis ſint accenſenda; cùm improbabile omninò ſit, tam omnibus antiquis naturam harum plantarum fuiſſe incompertam, quàm parùm prudenter factum, tot cornicum, ſeu recentiorum oculatorum teſtium oculos velle configere: nihilominus ubi in aliquibus plantis tam mirandi pudicitiæ, impatientiæ, minarum, aliiſque effectus recenſentur, dici poteſt, eas non eſſe plantas ſola anima vegetante inſtructas, ſed plant-animalia, & arbores ſentientes juxta Nemeſij appellationem; hoc eſt, vera animalia plantis quibusvis nobiliora. Fortè etiam ſola tranſpiratio tangentis hominis hujusmodi virgineis, & delicatis plantis nociva eſt; cùm ex aliis arbuſtis eluceſcat, eadem ſolò animalium halitu emarceſcere.

Quæ de diverſitate ſexûs, & conjugio vitis, & ulmi fuerunt allata, riſum potiùs, quàm reſponſionem merentur, ſúntque anilibus fabulis accenſenda. Omnis nempe ſimilitudo, proportióque, qua nomen ſexus ſortiuntur, vel conſiſtit in hoc, quòd quasdam arbores reperire ſit, quæ quidem fructum ferunt, aliæ autem non ferunt, ferentes tamen adjuvant ad fructum maturandum. Vel ex hoc in aliqua ſpecie una dicitur mas, quòd ſuperiora illius ſint majora, robuſtiora, & efficacioris ferè virtutis ad medendum; fæmella autem illa, cujus partes ſuperiores ſunt minores. Ex augmentatione, & nutritione animalium adducta non plus evincitur, quàm analogiam quandam intercedere; nunquam tamen plantæ elementi elaboratione perfectionem animalium aſſequentur. Imitatur enim natura prudentem patremfamilias non modò in alendis membris diverſis ejusdem animalis, ut ſapientiſſimè advertit Ariſtoteles; verùm etiam in nutriendis diverſis viventium ſpeciebus. Quemadmodum enim cura rei familiaris hoc exigit, ut cibus optimus diſpenſetur liberis, deterior detur ſervis, viliſſimus projiciatur ſociis

animalibus; ita speciebus viventium præstantioribus præstantiorem victum tribuit natura, minùs præstantibus crassiorem, naturæ tamen, & sorti suæ consentaneum.

Denique ex eo, quòd aliquæ plantæ animalis speciem præseferant, nequaquam conficitur, quòd passionibus propriè, & non metaphoricè dictis sint obnoxiæ. Sit, quòd anthirrinum caput hominis, napelli flos mortui cranium, mandragora figuram hominis præseferat: an inde dicemus, plantarum aliquas esse homines? sic sanè, volupe si esset, cum veteribus Ægyptiis parem furorem furere, quibus ùt canit Juvenalis:

Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.

Quòd numen aliquod illis inesse crederent, insaniâ gentis vecordissimæ merito sarcasmis, & cachinnis irridendâ. Aliud itaque est: animalis speciem præseferre, & aliud verè esse animal, & proprias illius propensiones sentire. Priùs admitto, quibusdam animalibus competere: nego ulli competere posterius; aliàs etiam Zeuxis uvæ, & pictus Apellis equus, ad quarum primas decerpendas avolârunt aviculæ, huic verò prætereuntes equi adhinnierunt, non mera simulacra, sed verîs formîs prædita essent.

§. III.

An bruta sint obnoxia passionibus?

JAm quod ad bestias attinet, an nimirum illæ capaces sint similium alterationum, quæ à nobis passiones nuncupantur; sciendum, Stoicos cum recentioribus Atomistis arbitratos fuisse, bestias passionum capaces non esse. Confundebant nimirum antiqui pathemata cum vitiis, volebántque omnes motus partis inferioris criminosos esse; unde non malè inferre poterant bruta omnibus affectibûs sensuum carere, eò quòd omni libertatis umbra destituta, nec condemnari ob aliqua vitia, nec laudari ob virtutum decora possent. Dicebant, bruta animantia solo instinctu duci, qui aberrare non potest; & si quandoque debitam in suis actionibus mensuram excedant, id non accidere ex eorum beneplacito, sed ordinatione supremæ Providentiæ, quæ his tortoribus utitur tum ad hominum scelera punienda, tum ad tristiores casus præsagiendos. Quare illis sæculis animalium motus omnibus populis erant futurorum nuncij, statuerúntque ex avium volatu, ex victimarum intestinis cæli voluntatem, & venturorum secreta cognoscere. Nituntur

hæc

hæc testimonio ipsius Senecæ lib. 1. de ira cap. 3. & 4. pronunciantis. *Dicendum est feras irâ carere, & omnia præter hominem. Nam cùm sit inimica rationi, nusquam tamen nascitur, nisi ubi rationi locus est. Impetus habent feræ, rabiem, feritatem, incursum, iram quidem non magìs, quàm luxuriam. Et in quasdam voluptates intemperantiores homine sunt. Non est quod credas illi, qui dicit:*

Non aper irasci meminit, non fidere cursu
Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi.

Irasci dicit, incitari, impingi. Irasci quidem non magìs sciunt, quàm ignoscere. Multa animalia humanis affectibus carent: habent autem similes illis quosdam impulsus. Alioquin, si amor in illis esset, & odium esset: si amicitia, & simultas: si dissensio, & concordia, quorum aliqua in illis quoque exstant vestigia. Cæterùm humanorum pectorum propria bona, maláque sunt &c.

Verùm licèt bruta à vitiis eximantur, gaudeántque natura innocenti; nihilominus tamen non sunt insensibilia, sed capacia tum veri doloris, & delectationis; tum desiderii, & metus. Edic sodes! an non hoc arguitur ex naturali instinctu, quo bruto condolemus ægrotanti, aut innocenter percusso? sanè non crediderim Cartesianos, ante quos omnes Ethici affectus in rationales, & irrationales diviserunt, adeò omnem sensum exuisse erga suos catellos, si fortè discerperentur, aut in flammas conijcerentur; quidquid interim anima in glandula pineali judicaret, canes esse meras machinas indignas commiseratione. Certè nemini hucusque incidit, ut calamo fracto condoleret, aut ligno in flammas projecto. Et cur homines censes verè dolere, & delectari? an quia præbent indicia harum propensionum? sed nec hæc indicia in brutis desiderantur. Dices, homines ita testari: at præterquam quòd communis persuasio doceat, bruta dolere, & delectari, etiam ipsæ bestiæ testantur per gemitum suum dolorem. Ais, hominem habere experimentalem notitiam, non verò bruta. Sed unde hoc tibi innotuit, nisi ex signis exterioribus, quæ æquè in animantibus ratione destitutis deprehenduntur? repetes, homines verbîs posse explicare suas affectiones. Esto: nam & bruta saltem per naturales voces easdem significant. Deinde quomodo probas, abstrahendô à Divina fidei revelatione, infantes dolere, delectari, desiderare, amare, timere &c.? an ex vocibus articulatis? at has formare nesciunt. An ex gemitibus, aliísque signis naturalibus? at hæc etiam in brutis audies. Ex quibus judico, evidenter concludi posse, vel etiam in brutis hæc signa sufficere ad passiones ibi adstruendas, vel neque in infantibus sufficere: cen-

 seo,

ſeo, ineptiſſimè defendi, naturam brutis conceſſiſſe facultatem ad ſigna doloris, & omnem dolendi facultatem ademiſſe. Et mirandum ſanè eſſet, à cane herum tam animosè defendi, ſi omni ſenſibili motu deſtitueretur; à tympanorum & tubarum ſtrepitu, imò ab inflictis vulneribus animari equum ad pugnam, ſi aliud præter ſpirituum agitationem nihil interveniret. Plura iſtis addere nolebam; ſed inexſpectatò memoriæ incidit taurorum aſtutia, quam fortitudini adjungunt, ubi in circo aperto non minori calore pugnant pro obtinenda gloria, quàm Principes pro regnis acquirendis. Occurrit præterea leones aſſultibus ſuis non tam expetere vindictam, quàm honorem. Ubi enim adverſarium ad pedes proſtratum intuentur, mox iram deponunt; quaſi arma ad aliud non arripuiſſent, quàm ad excellentiam ſuam protegendam; hac conſervata libenter vitam condonant, qui victoriæ palmam conceſſerunt. Denique non minùs Zelotypiâ, quàm amore aduruntur: ſuſpiciunt æquè fidelitatem, ac vagam libidinem puniunt, & occiſorum ſanguine maculam eluunt; ita ut dubitari non poſſit in beſtiis æquè, ac in hominibus nigram paſſionum cohortem caſtra metari.

Imò non minùs bruta, quàm homines ſua ſibi invicem ſenſa, deſideria, paſſiones, & affectus per voces communicant. Sic aviculæ ſuo pipitu ſe fame laborare parentibus indicant: ſic viſo accipitre conclamant, & hunc ſuum ingeminando clamorem aliæ alias ſollicitè convocant; ſic gallina inventô inter quiſquilias pisô ſuos convocat pipiones; quodque magis mirum, alio clamore utitur, cùm eos evocat ad paſtum, aliô, cùm visâ milvi umbrâ illos jubet capeſſere fugam. Memorabile eſt illud vindictæ genus, quod Coloniæ accidiſſe refert B. Albertus Magnus lib. 8. de animalibus cap. 2. paſſer hirundinis nidum occupaverat, cui expellendo cùm hirundo ſe imparem vidiſſet, lugubri ſtridore convocat ſocias, multa apud illas de injuria ſibi à paſſere illata proferens, atque ad eam ulciſcendam querulis vociferationibus excitat. Et verò id ſuis hisce lamentis apud ſocias eſt conſecuta, ut omnes illicò ad colligendum lutum ſe accinxerint, illúdque roſtrô præferentes ſimul factò impetu ad nidum concurrerint, ejúsque oſtium ea celeritate obſtruxerint, ut importuno hoſpiti, ínque rem alienam involanti nullus patuerit effugii locus, ſed in cavea emoriendum fuerit; cùm interim hirundines ſuo trinſatu leſſum accinerent, vel victo inſultarent. Res adeò manifeſta eſt, ut multi non parùm docti non ſolùm ſigna naturaliter indicantia moleſtum, & jucundum, ſed facultatem quoque ſermocinandi, & colloquendi brutis ineſſe contenderint. Sic Malch: Porphyrius ſcribit naturam omnibus animantibus, quibus ſenſum & memoriam conceſſit, de ſermo-

ne

ne quoque tam interno, quàm externo prospexisse, adjungitque Apollonium Tyaneum, Melampum, Thyresiam, & Thaletem brutorum sermones dijudicâsse, ac intellexisse. Quòd autem non perinde & nos illorum assequamur idiomata, dicunt novum non esse, cùm plurium etiam nationum linguas non calleamus. In eandem opinionem consentit Plato; nec suo tempore defuisse tradit Præsul Hipponensis, qui gloriati fuerint, se gallorum cantum, ululatum luporum, barritum Elephantorum, canum baubatum, ranarum coaxatum, cygnorum drensatum &c. intelligere. De Salomone disertè pronunciant, eum post infusam divinitùs scientiam, & à somno experrectum avium cantus, latratus canum, cæterásque animalium voces intimè cognovisse. Nolim ego magnopere litem de vocabulo movere, an vociferationes istæ brutorum ad sermonem propriè dictum sint revocandæ; cùm fortè ad sermonem propriè dictum prærequiratur in loquente cognitio distinctiva, & comparativa signi cum re significata, quod animastica brutis denegat: hoc tamen videtur omninò necessarium fuisse, ut natura brutis tribueret signa de se significantia molestum, ac jucundum, tanquam media ad illorum felicitatem apprimè necessaria. Cùm enim tota beatitudo illorum in hoc consistat, ut bene sentiant, & omnes internæ affectiones illorum eò tendant, ac ordinentur, ut vitam conservent fugiendô, quidquid est molestum sensui; prosequendo autem id, quod jucundè accidit vitæ sensitivæ: cúmque non quodvis brutum semper se solo possit depellere molestiam afferentia, aut consequi naturæ suæ conducentia; ideò opus fuit, ut natura de sufficienti, & competenti instrumento provideret, quo suas affectiones, nimirum lætitiam de objecto jucundo, tristitiam de molesto &c. manifestare possent, ut sic similis speciei sociæ in auxilium opportunè advocarentur.

Sub plerisque tamen affectuum generibus subsunt quædam species, quæ eô ipsô, quòd supponant rationis exercitium, & aliquid in suo objecto involvatur non nisi per intellectum perceptibile, in bruta non possunt cadere. Sic omnes affectus pertinentes ad appetitum irascibilem, si considerentur secundùm conceptum suum omninò perfectum, & plenum bestiis competere nequeunt; possunt autem si spectentur solùm modô confusô. Cùm enim objectum spei audaciæ, & iræ cum suis contrariis commisceatur ex bono & malo, & moveat sensum internum, prout in hac miscella unum supra alterum eminet, includunt præterea possibilitatem, & futuritionem; ac denique ira insuper commensurationem vindictæ cum læsione facta,

 ut

ut ex fecunda parte de fingulis patebit. Hæc omnia non nifi imperfectè, & obfcurè à purè fenfitiva facultate apprehendi poterunt, licet diftinctiffimè ab intellectu attingantur. Sic etiam omnes delectationes fenfibiles in animantibus mente carentibus revocantur ad delectationem fecundùm tactum, & canes non gaudent odore leporum, fed comeftione, nec bovis voce delectatur leo, fed carne. Sic etiam non capiuntur harmoniâ muficæ, aut pictarum imaginum pulchritudine, fed reliquæ omnes animalium operationes ad delectationem tactûs tanquam ad finem ultimum, & intrinfecè ipforum perfectivum ordinantur. Sic quando Ariftoteles anferem verecundum fcribit, eò quòd à coitu aquis fubmergatur, pudorem metaphoricè, & pro aliqua pudoris humani delineatione, & imagine accepiffe cenfendus eft; cùm veram, & fimpliciter dictam verecundiam, quæ eft timor infamiæ, vel ignominiæ brutis nunquam attribuiffe legatur, utpote bonæ famæ, & oppofitæ ignominiæ tanquam rei, quæ fub fenfum non cadit, expertibus. Nonnihil tamen extenfa voce ufurpata verecundia in anfere admitti poteft, ficut eadem etiam in pavone confpicitur; animal enim hoc fuperbiffimum, quod antea femetipfum oftentans, tanquam cœlum fideribûs diftinctum imitans, quafi in pompa quadam fe circumducebat: mox caudâ per annuam viciffitudinem amifsâ, pudibundum quærit latebram, tamdiúque arborum foliis coopertum delitefcit, donec decor priftinus recurrat, quafi nuditatis ignominiam non fuftineret.

§. IV.

Utrum plures, ac vehementiores pafsiones noftræ, an brutorum?

POtiffimum verò dubium hoc loco nafcitur, plúsne in brutis, quàm in homine vigeat affectuum ferocia. In qua re fatendum eft, excellentiam ipfam homini plurimum nocumenti afferre, & ab appetitu infeliciter fertili, ac multipliciùs in nobis fructificante, ob rationem acuentem, numerofiorem paffionum feriem effici. Bruta non pertimefcunt mala, nifi fenfibus præfentia; non attendunt futuris, nec multùm adeò recordantur præteritorum, vel ab iifdem abforbentur. Verùm homines cafus etiam longinquos curiosè perfcru-

ſcrutantur ; anxiè videntur invitare ventura ſibi infortunia, & ſponte velle ſubjacere malleo ſiniſtræ ſortis, quando adhuc ictum non infligit, ſed à longè ſolùm oſtendit. Exhorreſcimus ob mala tam præterita, quàm futura ; contremiſcimus propter turbinem non ampliùs nos afflantem, & impallemus ob fulmen nondum excoctum. Commoventur bruta paucorum objectorum occurſu ; exceptîs illîs, quæ ad vitam conſervandam ſunt neceſſaria, reliqua omnia indifferenter prætergrediuntur : ubi tamen mortales nullam deſideriis ſuis metam, nec terminum ſtatuunt. Non ſola neceſſitas exſatiat cupiditates : excedimus finem utilitatis ; ſuperflua inveſtigamus, ut nobis ipſis plura ſupplicia augmentemus. Adeò fæcundæ ſunt noſtræ propenſiones, ut illud ipſum, quod eas delinire deberet, easdem magis exaſperet, & quod conceditur ad earum famem explendam, ordinariè ad aliud non ſervit, quàm ad eam magis acuendam ; ita ut homo potiores ſuas facultates applicet, vel ad ſe ipſum magis miſerum, vel ſceleratiorem reddendum. Quid ? quod temperamentum beſtiarum magis ſtupidum, ac plurimùm de terreſtri gleba participans easdem ferè inſenſibiles reddat, & ſic innumeris eximantur malis, quæ mille modis phantaſiam hominis excruciant. Stimulîs pungendi ſunt tauri, ut in furorem concitentur ; ſecùs carnea hæc maſſa non facilè irritabitur, ſed languebit, quaſi aliam animam præter corpus non haberet. Elephantes duriſſima quæque à ſuis magiſtris ſuſtinent ; niſi viderint emanantem ex crebris vulneribus ſanguinem, vix ſe læſos exiſtimabunt : ſi dolor ceſſaverit, etiam ira ſubſidet, revertentúrque ad priſtinam manſuetudinem. Homo econtra tam delicatæ eſt conſtitutionis, ut leviſſimis quibuslibet offendatur ; ſanguine abundat igneæ alicujus naturæ ; facillimè commovetur, & ubi ſemel eſt accenſus, in reliquas quoque partes ſævire non deſiſtet. Tam facilè excitabiles ſunt in hominibus paſſiones, ut minima atomus ſufficiat ad easdem eliciendas. Unicum verbulum, unicus capitis motus offendit ; ſilentium ipſummet non rarò in fugam convertit. Hinc Poëtæ occaſionem fingendi ſumpſerunt, animam humanam in varia animalium corpora transmigrare ; ibi ex ſingulis exſugere ſævum toxicum, ſicque in ſe ipſa congregare odium ſerpentis, rabiem tigridis, irámque leonis &c. qua fabulâ nos edocere ſatagebant, in ſolo homine tot ſtabulari paſſionum niſus, quod in ſingulis animantibus ſeorſim obſervantur.

Quam-

Quamvis autem longè denſior turma abſurdarum appetitionum in homine deprehendatur, quàm appetitui brutorum reſpondeat; & ùt Ariſtoteles 1. politic. cap. 6. prodit, humana cupiditas infinitè pateat; nihilominus affectiones, quibus bruta tentari ſolent, acriores in brutis eſſe pronuncio, cùm nullo rationis fræno coërcita toto impetu in objectum propoſitum ferantur. Non ſicut unus homo mitis, alter crudelis, ſic idem in beſtiis ratione carentibus contingit: non una felis inſectatur mures, & altera tuetur. Omnes vulpes procreantur ſubdolæ, omnes lupi voraces, omnes tigrides ſævæ, omnes in operationibus ſuis in præceps rapiuntur, nec tam agunt, quàm aguntur. Nunquam feles deliberant, an parcendum muribus, nunquam vulpes conſultant, an abſtinendum ſit gallinis; cæco impetu feruntur, ad quod determinantur. In homine non parùm de æſtu, & fervore remittitur ob efficacem rationis vim, ad affectuum immoderationem naturaliter reclamantis: ita, ut ſicuti ad moderatam, & honeſtam actionem obſtrepit nativa appetitûs inferioris pertinacia, ita iſtam quoque reprimat, ac retundat vigor rationis, nunquam prorſus dedoctæ, quid humanam naturam dedeceat. Palmari hoc ſimilitudine expreſſit Philoſophus, quando utrumque appetitum hominis contulit orbibus cæleſtibus. Namque ſicut iſti contrariis motibus feruntur, ita, ut quamvis unus alterum abripiat, retardetur nihilominus, & remoram ab altero ſubeat: ita potentia inferior inhibetur à ſuperiori, ut non adeò vehementer, & expeditè cieatur, quàm ſi reniſus ſuperioris facultatis non interveniret.


Finis Partis primæ.



PARS



Quæsitam verbis respondens Musa duobus
Sic leviter causam reddidit hanc: Amor est.



PARS II.

De paſſionibus animæ in ſpecie.

DISSERTATIO I.

De affectu amoris.

§. I.

De natura amoris.



N ampliſſimo campo, & grandi ſingularum paſſionum meſſe, quæ delibanda magis erit, quàm demetenda, omnium dux & choragus affectuum ſeſe primò offert amor, paſſio, quò magis communis, eò minus nota. Quemadmodum enim nihil ab intuitu noſtro remotiùs & oculis noſtris vicinius apparet, quàm Deus, cujus magnitudinem, & omnipotentiam in creaturis manibus palpamus, & tamen nunquam ſentimus, nec comprehendere poſſumus; ita res ſe habet in amore. Deſideria noſtra teſtantur exiſtere amorem, ſpes plenæ ſunt hac paſſione, omnes affectus commixti, & compoſiti ſunt illius calore. Ille nihilominus profundioribus tenebris abſconditur; quantò fortiùs homines illius vim experiuntur, tantò minùs eſſentiam explicare valent: quod etiam intelligitur de illis, qui vel maximè amoris legibus obediunt, aut ſub illius imperio vivunt. Ipſe Ariſtoteles, qui in abditiſſimis rebus definiendis ubique aliis palmam præripuit, contentus fuit nobis ſolùm deſcriptionem aliquam illius relinquere, ſicque quaſi omnibus poſteris ſpem præſcidit, manifeſtiùs cognoſcendi rem,

quam ipse sufficienter exhaurire non poterat. Alii amorem appellârunt complacentiam, & inclinationem ad bonum, alii instrumentum commutandi naturas, & proplasticen compaginandi corda, ac orbis glutinum: non defuerunt, qui dicerent esse vulnus amabile ab objecto grato inflictum, esse radium, qui inflammat, esse incantationem, cujus occultis mysteriis suaviter trahimur; quibus tamen tot diversis terminis aliud non impetrârunt, quàm ut magis ostenderent summam difficultatem integrè amoris naturam exhauriendi.

Fortè non multùm à vero aberraret, qui assereret, amorem esse concitationem animæ cum idonea fibrarum ac spirituum animalium agitatione ad sese conjungendum cum re, vel objecto, quod exhibetur statui nostro conveniens. Habet nimirum amor patheticus in animalibus aliquid non absimile amori eorum, quæ sensu, & vita carent, quique vocatur à D. Dionysio amor naturalis. Amor autem ille non est aliud, nisi propensio, & inclinatio rerum cognitione carentium in suas perfectiones juxta illud Augustini lib. 11. de civit. cap. 28., *amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur.* Rectè igitur etiam dicitur amor vitalis esse incitatio in bonum, consentiente iterum eodem magno Doctore eodem loco: *amor meus pondus meum, illo feror, quocunque feror.* Nec alia mens fuit Dionysii, cùm inquit, amorem esse vim quandam conjungentem, & miscentem, qui superiora quidem impellit, ut inferioribus prospiciant, & consulant; paria autem, ut inter se societate jungantur; ac denique inferiora, ut se ad superiora convertant. Voluit namque duntaxat amori inesse pondus in rem dilectam.

Hinc nullô modô approbare possum doctrinam subtilis Scoti in 1. disput. 1. quæst. 5. ubi amorem esse actum vitalem, seu ab intrinseco procedere negat, eò quòd oppetitio hæc non sit libera. Vel enim nullus alius appetitus est vitalis operatio, vel hic maximè, cùm sit fons, & origo cæterorum omnium; & si negetur amoris actum ab intrinseco oriri, ansam dabimus Atomistis, ut magis in suo errore confirmentur, quo defendunt, causas secundas nihil operari, & omnes actiones in Deum debere ita reduci, quasi ille solus ad præsentiam creaturarum operaretur. Nunquid experimur nos habere ejusmodi actus, excitari ad illos per cognitionem, in eis defatigari &c.? quid ergò ampliùs requiritur, ut credamus eos à nobis prodire? aut cur tunc ad Deum recurremus? quòd verò Scotus dicit de necessitate ejus appetitûs, non est ad rem; quia ut aliquid procedat ab alio, non est opus, ut procedat liberè; alioquin nec calor produceret calorem, nec lux lucem, nec arbor fructus, cùm nihil horum liberum sit.

Additur secundò locò, hanc inclinationem involvere fibrarum, & spirituum insolitam *agitationem*, ut sufficienter ab amore spirituali, qui in sola voluntate residet, distinguatur. Tertiò dicitur, amorem niti ad conjungendum se, quæ unio ita propriè amori tribuitur unanimi consensu, ut apud scriptores & sacros, & prophanos nihil frequentiùs, nihil significantiùs sit decantatum. Recolas velim celebria sapientum virorum effata, quibus mirabiliora amoris officia prædicantur; & fallar, si quid sæpiùs expressum deprehendetur. Sic lib. 2. polit. cap. 2. tradit Philosophus ex Aristophane, *ex amantibus fieri quasi unum.* Idem effectus tanquam amoris proprius exprimitur Act. 4. dum dicitur: *multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una;* ex vi utique charitatis. Quid aliud indicat respõsio ejusdem Stagiritæ, qua interrogatus, quid amicus esset, reposuisse fertur esse unam animam duobus corporibus inclusam? quid aliud denotat osculum, quod peregrè advenientibus exhibetur, quàm quòd animæ conjungi affectent, &, ut Petronius bellè exhibet, conentur transfundere hinc, & hinc errantes animas? quid aliud vult illud Hipponensis Antistitis, amorem transformare in rem amatam amantem? si terram, inquit, amas, terra es, si Deum amas, audeo dicere, Deus es: quòd amantem amor in ipso extinguat, ut in eo, quod amat, vivere ille incipiat. Quid denique designat amantis animam non habitare, ubi animat, sed ubi amat? quid similia plurima quotidianis sermonibus trita? eò nempe hæc omnia delabuntur, ut denotent conjunctionem illam amori propriam esse.

Ultimò denique additur ab amore occultis ponderibus, atque momentis urgeri animal in objectum sibi conveniens secundùm se, hoc est, ut præscindens ab existentia, vel carentia existentiæ, per quod sufficienter differt à desiderio & lætitia. Per hoc tamen non excluditur omnis amor ab appetente facultate brutorum. Quamvìs enim ista non considerent bonum cum ea præcisione, sed propositum bonum absens appetant, de possesso gaudeant: nihilominus ex propositione bonitatis resultare in eis potest quædam complacentia, qua bene afficiantur erga illud objectum: quæ complacentia ex natura sua subsistere posset, etiamsi apprehendissent illam eandem bonitatem abstrahendo ab existentia, vel absentia.

§. II.

Difcrimen pervulgatum Amoris Amicitiæ, & concupifcentiæ.

EX his eruere incipiamus vulgatam divifionem in amorem concupifcentiæ, & in amorem benevolentiæ. Amorem amicitiæ appello, quo fubjecto bonum volumus, ita ut ipfum ametur fecundùm fe, & propter fe, atque in ipfo fiftatur impetus amoris tanquam in centro: amorem concupifcentiæ dico, quo tendo in rem amatam alteri, ita ut in illam fecundùm fe non ferar, fed tantùm ut bonam alteri: ideóque non tam amatur, quàm coamatur, & concupifcitur. Per fecundum amamus plerumque bona infrà nos pofita, & externa, ùt hortos, equos, per ambitionem gloriam, & honorem; per avaritiam divitiarum cumulum &c. quæ non amantur propter fe, fed à nobis propter nos, & ex amore noftri proprio; fcilicet, vel ut proximè delectemur, vel ut inde poteftatem confequamur ad fruendum pro libitu noftro. Amor ifte non tam urget, ut amanti conjungat rem amatam, quàm ut eandem ipfi fubjiciat? idque fæpè affectu tam inordinato, ut diligens ex concupifcentia nihil prorfus intendat, ac fpectet, nifi fe ipfum; veluti unus ille effet in rerum natura dignus bono, & ideo ex fe ipfo idolum quodammodo conftituit, cui res amatas omnes devoveat, & mactet. Parabit amicum,ut habeat, qui fibi ægro affideat, qui fuccurrat inopi, vel in vincula conjecto: fed quemadmodum cæpit,ita mox definet. Paravit amicum adversùs vincula laturum opem; cùm primum foluta fuerit catena, à latere difcedet: qui causâ utilitatis affumptus eft, tam diu placebit, quàm diu utilis fuerit. Initia, & exitus inter fe non congruent, quod tot nefaria exempla demonftrant, in quibus hunc aliorum metu relinqui, hunc aliorum metu prodi cernimus; & modò florentem magna amicorum turba circumdari, modò everfum in ingenti folitudine deferi, & tunc amicos fugere, ubi fe maximè tales probare deberent.

Longè fublimior eft idea amoris amicitiæ, quæ defumenda eft ex illo ipfo amore proprio, quo quisque fe ipfum ex naturali inftinctu amat. Hunc profectò non admitto effe amorem concupifcentiæ, fed vel largiori appellatione amicitiæ nomine donandus eft, vel fi vox amicitiæ juxta ufum communiorem refpiciat alios ab amante diftinctos, benevolentiæ titulô erit compellandus, erítque in confideratione morali idem amor amicitiæ erga alterum, atque amor fui proprius. Hoc affectu quis ami-

cum

cum habere vult, ob nihil aliud, quàm ut exerceat amicitiam, & ne tam magna virtus jaceat: non ad hoc, ut habeat, qui ad ægri lectulum assideat, aut è carcere liberet: sed ut habeat aliquem, cui ægro ipse assideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet. Non venit ad temporariam amicitiam, non lucrô captus negotiationem instituit, non fortunæ varietate perterritus amicitiæ suam detrahit majestatem. In quid ergò amicum expetit? in hoc, ut habeat, pro quo mori possit, ut habeat, quem in exilium sequatur, cujus se morti opponat, & impendat. Verbô, hic amor incitat, ut cum objecto amato amans velut ex æquo conjungatur; scilicet ut neque illud nobis, neque nos illi subdamus; ut nostri, rerúmque nostrarum obliviscamur, ac veluti in nihilum abivissemus, aut ex transformatione idem cum eo, quod amplectimur, evasissemus; ut simili amore, quo quisque se ipsum diligit, amicum amemus. Generosissima hæc passio mater est, & semen, vel comes omnium heroicarum operationum, quæ in historiis leguntur: hæc in stuporem rapuit tyrannos, qui aliud à suis non desiderârunt, quàm hanc amicitiam: hæc Principibus ostendit omnem illorum potentiam imbecillem esse, nisi innitatur tanquam fulcro amicitiæ suorum subditorum. Multis quidem doloribus, ærumnísque indivulsè conjuncta est: affert tamen secum sinceram, & omnium purgatissimam voluptatem, víxque unquam cum excessu conjungitur, nisi in amorem concupiscentiæ degeneret, & abeat.

Hæc tamen non ita sunt intelligenda, ac si esset possibilis amor nudæ amicitiæ, nullam in se involvens rationem concupiscentiæ respectu ullius objecti; hoc enim esset à mente nostra deviare, qui duas istas denominationes conjungimus, ita ut omnis amor amicitiæ habeat adjunctum amorem concupiscentiæ, & vice versa. Amare enim juxta definitionem philosophi est *velle bonum alicui:* igitur amor semper, & necessariò fertur indivisim in duo objecta, quorum alterum se habet per modum subjecti, cui desiderat bonum, & alterum est hoc ipsum bonum. Impossibile nimirum est, ut quis optet bonum aliquod perfectivum alicujus, v. g. sapientiam, sanitatem, divitias, gloriam &c., quin ista velit alicui; cùm res hujusmodi non sint bonæ sibi ipsis, sed aliis, adeóque nullam includant bonitatem, aut amabilitatem, præterquam cum respectu ad subjectum, cui prodesse possunt. Subjectum autem cui intenditur bonum perfectivum ipsius, amatur utique & ipsum, nec fieri potest, ut non eô ipsô multò magis ametur. Rursus repugnat similiter, ut quis amet subjectum capax aliquorum bonorum, quin illi hæc velit. Nam qui amore alterum prosequitur, vult ipsum bene habere, aut quoad omnia, aut quoad aliquid. At quomodo bene habere poterit, quin adsint

ea, quæ ipsi prodesse, ipsúmque in ordine ad finem intentum adjuvare possunt? quin etiam in eo amore perfectissimo, quo quis uni personæ vult suum intrinsecum bonum, v. g. Deo infinitam suam perfectionem, distinguere licet expositam partitionem. Nam Deus est, qui amatur amore amicitiæ: divina verò ejus perfectio Deo concupiscitur, & diligitur amore concupiscentiæ. Tandem etiam amor, quo quis vult bene esse equo suo jam emerito, & cui ob servitia antecedentia præbet pabulum abundans, nullum ab eo ampliùs commodum exspectans, veram habet rationem amoris amicitiæ respectu illius, cujus commodum quæritur in eo affectu, nempe ipsius amantis. In ea enim equi cura, & provida pabuli subministratione homo considerat bene sibi fuisse per equi laborem, & inde movetur, ut ei vicem rependat, quod planè est moveri ex amore sui ipsius, adeóque verus ibi cernitur amor amicitiæ erga se ipsum. Quamvis autem in omni amore involvatur ratio amicitiæ,& concupiscentiæ, cùm sit de natura illius, ut velit aliquid alicui, & respectu ejus, cui vult bonum, dicatur amicitia, & concupiscentia respectu rei eidem volitæ, tamen adest sufficiens fundamentum distinctionis eôdem modô, quo motus contritionis alius est amoris erga Deum, alius detestationis adversùs peccatum.

§. III.

Causa amoris primaria.

QUænam sit amoris primaria causa, frustra docerem, cùm omnibus natura duce, perspectum sit, amorem ferri in bonum, & pulchrum, ut supervacaneum sit, pluribus id dilatare. Nomine boni significatur, quod honestum, utile, & jucundum; & quò majus est bonum, eò aptius est ad amorem sui efficiendum; ac ideò Deus, cùm sit summum bonum, summum etiam est amabile. Qui ulteriùs quærit, quare bonum sit causa amoris, ignorat significationem boni; bonum enim, & conveniens appetitui idem sunt. Bonum autem magis amamus labore partum, & magis carum, quia in eo, quod labore aquisitum est, labores veluti nostros inspicimus; nec alia est causa juxta philosophum, cur matres liberos ardentiùs diligant, quàm patres. Pulchrum etiam, cur ametur, cæci esse interrogationem, respondisse dicitur Stagirita apud Laertium. Platonici referunt hoc ad memoriam primi, summi, & purissimi pulchri, ab anima, priusquam corpori insereretur, perspicuè percepti,

&

& dilecti, cujus vestigia, & participationes aliquas in his inferioribus occurrentes, refricare summi illius pulchri memoriam, afferunt, atque ita ejus cognitione excitari amorem cujusvis pulchri.

Quia verò passionis motus, quem in appetitu venustas procreat, est singulare numinis donum, quod vitæ civili nos aptos efficit, discretos etiam eloquentes, ac solertes, breviter quædam de ejus indole adducemus. Requiritur ad pulchritudinem primò, ut quæ pulchra vocantur, possint vel ab intellectu, vel potentia visiva, vel auditiva percipi: hinc Deus, anima rationalis, color, musica pulchra dicuntur, quia ex facultatibus omnium distinctissimè sua objecta cognoscunt memoratæ potentiæ. Ulteriùs cùm pulchra omnia etiam bona appellentur; bona autem debeant esse convenientia, & apta aliis rebus, ideò ut aliqua sint pulchra necessariò ad potentias cognoscitivas, quarum sunt objecta, proportionem habere debent. Ex his sequitur aliam pulchritudinem esse intellectualem, aliam sensibilem, eò quòd alia potentia cognoscitiva sit intellectualis, alia sensitiva. Quòdsi itaque pulchritudo consistat in bonitate rei, in quantum habet convenientiam ad potentiam cognoscitivam; bonitas vero sit ipsa essentia & perfectio rerum, infertur, eò rem aliquam esse pulchriorem, quò in se majorem continet perfectionem. Cùm igitur Deus, Angeli, & anima rationalis perfectione reliqua omnia multis parasangis superent, erunt etiam in ordine ad potentiam intellectivam ex omnibus pulcherrimæ. Aliter multò se res habet de pulchritudine sensibili; hæc enim non dependet ex sola rei perfectione, sed ex ipsis etiam organis, quæ eandem percipiunt, uti & aptitudine rerum, quam debent habere in ordine ad corpus, cui insunt. Quare si quædam objecta, ob nimiam sui intensionem potentiam visivam, vel auditivam lædant, in se licèt sint perfectiora, non tamen pulchra apparebunt. Quòd si autem etiam aliqua ipsis potentiis cognoscentibus plùs congruant, sint verò improportionata ad totum, cui insunt, necdum pulchri cujusdam nomen sibi vendicabunt. Quem enim colorem plus oculos delinire scimus, quàm viridem? si tamen hic hominis faciem tingat, tantùm aberit, ut hæc pulchra appareat, ut etiam summè deformis habeatur. Cujus rei ratio alia vix invenietur, quàm quòd color viridis temperamento hominis minùs conveniens deprehendatur. Quodsi igitur de sola pulchritudine corporis humani loquamur, videtur hæc esse justa compactio singularum dispositionum, quæ corpori sunt necessariæ ad functiones, quibus obeundis est destinatum. Quamvis igitur pulchritudo creata abdita sit intus in animo, quia tamen anima in suis actibus dependet ab organis materialibus, quò hæc perfectiora fuerint,

eò

eò præſtantiores etiam actus eliciet, & ex iſta externa conſtitutione, etiam internarum potentiarum, & actuum præſtantiam colligere poterimus. Si itaque illud inter pulchra numeratur, quod in ſuo genere extremam perfectionem obtinet, & tale habeatur, quod ſuum finem, qui in actione conſiſtit, eſt conſecutum; bene inferre poterimus, illam rem abſolutam eſſe ad operationes ſuas ritè peragendas, quam optimis, queis indiget, organis inſtructam cernimus: ſic autem ex facie formoſa mutè animi imago comendabitur, & per hunc florem bonitatis foris promicantem pertingemus ad ejus ſemen, internam ſcilicet bonitatem, à ſumo, & vero bono derivatam.

Cùm verò juxta axioma philoſophicum corruptio optimi generatio ſit peſſimi, nihil novi erit, ſi ſublimis iſte ignis, ubi corruptus fuerit, & noxiis materiis immixtus, vetitos, & noxios ſecum fumos ſuſcitaverit. Et iſti quidem, quando turpiſſima, quando ea, quæ cum periculo, aut damno ſunt conjuncta, quæ in miſeriam, & in calamitatem deducunt, quæ in pœnitentiam deſinunt, dicuntur amare, alieno affectum ſuum exornant nomine, & ipſi vim veritati inferunt. Non ſunt veri amatores, ſed æquivocè tantùm, qui paſſionem amoris prodigunt in objecta revera non pulchra; cujusmodi ſunt omnia fæda, rationi adverſantia, & moraliter mala. Nam ſi quod pulchrum, ſive bonum pro amoris objecto ſtatuitur, planè illud erit veri amoris objectum, quod non tantûm videtur eſſe pulchrum, & non eſt, ſed alterum, quod videtur, & eſt. Homini autem, qui ad rationis amuſſim omnia dirigere obligatur, nihil revera debet, pulchrum videri, quod pugnet cum regulis rectæ rationis, ſitque moraliter malum. Quidquid igitur hujusmodi eſt, ſpurius, & adulterinus amor eſt, potiùs amoris idolum, coinquinatio veræ amicitiæ per ſordes concupiſcentiæ, obnubilatio candoris per tartaream libidinem, bullientis picis exæſtuans torrens, ac animi exlegis, & effrænis petulantia nominandum eſt.

§. IV.

Cauſæ amoris minùs præcipuæ.

AD primariam amoris cauſam ex objecto ductam pullulant aliæ quædam minùs præcipuæ, quæ per ordinem ad illam radicalem alliciendi vim, & amorem ingerendi ſunt adeptæ. Hujuſmodi imprimis eſt ſimilitudo. Omne enim animal, ut eſt apud ſapientem Eccleſ. 13. diligit

git ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſuum. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungitur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Sic etiam philoſophus lib. 7. Magn. Moral. cap. 4. id confirmat, dum ait: ſimilia ſimilibus mox gaudent, & homo homini eſt jucundiſſimus. Adhæret iſtis Ovidius ſuô ingeniô:

Scilicet ingeniis aliqua eſt concordia junctis,
Et ſervat ſtudii fœdera quisque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubia navita puppis amat.

Fundamentum hujus rei eſt, quia in iis, qui nobis ſimiles ſunt, elucemus ipſi quodammodo velut in ſpeculo; at nemo eſt, qui peculiari cum intenſione, ac vehementia non afficiatur erga bona ſua? quia hæc eſt judiciorum noſtrorum qualitas, ut ſemper quæ noſtra ſunt, bona, & optima judicemus. Unde fit, ut eodem amoris impetu, quem unusquisque ſibi ipſi impendit tanquam in aliquid optimum, eodem etiam feratur in eos, quos ſimilitudine ſibi proximos conſpicatur, minimúmque à ſe diſſitos, atque adeò bonitate conjunctos. Quare adverſa patientes compatiuntur magis ſimilia patientibus, magísque miſerentur eorum, ac proinde magis eos eatenus amant. Eodem modo eminentes in ſcientia, aut arte militari, aut aliqua alia dote naturali, vel acquiſita ſpecialiter applaudunt, eosdémque eatenus magis æſtimant. Deinde quodvis ſimile pollet peculiari vi fovendi, juvandi, & promovendi ſibi conſimile in ordine vel ad ſuam conſervationem, vel ad ſuum aliquem effectum ſeu phyſicum, ſeu intentionalem, & conſequenter præeminet peculiari aliqua bonitate reſpectu ejusdem ſibi conſimilis; igitur novus eſt titulus conciliandi mutuum amorem.

Nec ſola ſimilitudo, ſed etiam diuturnior convictus ſodalium, & animalium amorem progignit, niſi hic per accidens ob nævos quosdam detectos benevolentiam reſcindat. Sic bovem videbis, quòd aberrâſſet ab armento, ſolúsque ſibi relictus eſſet, miſerabiliter mugientem, montésque, & ſaltus percurrentem, dum ad gregem reducatur, à quo receſſerat. Nec brutis homines duriores ſunt; videbis enim quemadmodum, quos via publica junxit, idémque tectum, ac diverſorium, aut umbroſa per æſtum meridianum arbor excepit, quomodo fortuitum occurſum in occaſionem amicitiæ rapiant, & cùm ad divortia viarum pervenerint, non ſine ægrimonia divellantur, ac fixis alter in alterum oculis conſiſtant, ſymboláque mutua largiantur: ut progreſſi deinde paululum rurſus ſeſe convertant, revocatísque fauſta ac felicia apprecentur: ut de-

nique brevis usura temporis tam arctam jungat amicitiam, ut ægrè digredi, cogendique tantùm non videantur.

Quòdsi similitudo subinde conjuncta sit cum dissimilitudine, ut contingit in duobus mercatoribus, quorum uterlibet velit augere suas divitias impediendo directè, vel indirectè augmentum earundem in altero, idque præstetur toto conatu (quod genus dissimilitudinis nocivæ quoad lucrum, plausum, vel gloriam plerumque adjacet similibus in officio, juxta vulgare illud Philosophi 2. Rhet. cap. 4. *Figulus figulo invidet.*) in hoc casu mutuæ simultates, & odia excitantur inter ejusdem conditionis, & instituti homines ex adjuncta dissimilitudine & contrarietate, qua sese impediunt à consecutione boni, quod utrique consectantur. Imò propter coëxistentem similitudinem attemperatur aliquatenus odium; minùs enim figulus figulum odit, quàm alterius artis hominem tantundem nocentem, ac faciliùs unusquisque adducitur, ut subveniat egenti, ac periclitanti similis, quàm dissimilis professionis, vitæ, ac artis cæteris paribus; adeóque est inspersa aliqua amoris indulgentia odio similium, tametsi odium soleat absolutè præeminere.

Altera amoris conciliatrix est ipsemet amor, juxta illud Senec. epistola 9. monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine ullis veneficæ carminibus: si vis amari, ama. Ratio eruitur ex hoc, quòd existimemus eum, à quo diligimur, bonum esse; unde nihil promptius, quàm ut in illum concitemur benevolentiâ: econtra autem, eum, qui nos amore non prosequitur, nominatímque si amatus non redamet, facilè adducimur, ut credamus destitutum bonitate, ad quam opinionem rigor voluntatis consequitur, & amoris, si priùs conceptus fuerat, restinctio. Deinde amori proprium est unire affectivè amantem cum amato, ac efficere, ut bonum amantis sit quodamodo amati, atque ideò, ut ab amato ametur juxta illud lib. 8. Ethic. *amabile bonum, unicuique autem maximè proprium.* Scilicet si amare pigebat, saltem redamare non pigeat, & humanissimæ invitationi respondere, quæ fit amore præveniendo. Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit & rependere. Et hinc videmus in ipsis flagitiosis, & sordidis amoribus nihil aliud eos agere, qui amari vicissim expetunt, nisi ut documentis, quibus valent, aperiant, & ostendant, quantùm ament, eámque imaginem justitiæ prætendere affectant, ut vicem sibi reddi quodamodo flagitent ab eis animis, quos illecebris capere moliuntur, ipsíque ardentiùs æstuant, cùm jam moveri eodem igne etiam illas mentes, quas appetunt, sentiunt. Quodsi in turpibus amoribus verum est, nullam esse majorem causam, qua vel inchoetur, vel augeatur amor, quàm cùm amari

se

ſe cognoſcit, qui nondum amat, aut redamari ſe velle poſſe ſperat, vel jam probat, qui amat; quantò plùs hoc manifeſtius erit in amicitia? quid enim aliud cavemus in offenſione amicitiæ, niſi ne amicus arbitretur, quòd eum vel non diligamus, vel minùs diligamus, quàm ipſe nos diligit? ſi enim hoc crediderit, frigidior erit in eo amore, quo invicem homines mutua familiaritate perfruuntur.

Referuntur etiam ad cauſam hanc beneficia collata; ſunt enim indicia amoris latentis. Imò, cùm ſe ipſum quis valde diligat, neceſſe eſt, ut etiam amet ea, quæ ſibi ſunt bona, quales ſunt amici. Etiam feræ pro exiguis licèt beneficiis amorem rependunt, & canis gladius vivus nominatur, quòd domini, à quo alitur, & domo excipitur, amantiſſimus ſit, illique defendendo alacriter operam navet. Ac tandem ab Ariſtotele 9. Ethic. cap. 7. acutiſſimè obſervatur, beneficos magìs amare eos, quos bonis affecerint, quàm ab illis amentur; unusquisque enim magìs ſuum opus amat, quàm ab eo amaretur, ſi opus animatum foret: beneficiô autem affectus opus ipſorum eſt. Adde, quamquam & ſuperiores velint ſe ab inferioribus diligi, eorúmque in ſe ſtudioſô delectentur obſequiô; attamen quantò magìs id ſenſerint, tantò magìs eos diligent, & ſemper gratior erit amor, ubi non æſtuat indigentiæ ſiccitate, ſed ex ubertate beneficentiæ profluit. Sunt & aliæ plures amoris conciliandi cauſæ, ut eſt vinculum conſanguinitatis, quo copulantur, qui ſanguinis neceſſitudine junguntur: converſatio, & alloquiorum commercium, qua ratione per fomenta epiſtolarum amicitiæ jam dudum initæ inter amicos etiam locis diviſos convaleſcunt. Pretioſa etiam nobis redduntur & perchara, quæ multò paravimus labore: rei raritas etiam pretium auget; ſic unicus filius parentibus ſuperſtes impenſiùs ab iisdem diligitur; & peregrina, quæ à diſſitis regionibus ad nos transvehuntur, ſolemus pluris æſtimare, & abundantia res contumelioſiores efficit.

§. V.

De proprietatibus amoris.

POſt naturam, diſcrimina, & cauſas amoris proprietates ejusdem conſequuntur. Inter illas ea ſe primò offert, qua fit, ut nunquam amor pacatè quieſcat, ſed inceſſanter, quamdiu viget, inveſtiget, quod amat; & hoc amori cuilibet vel ſanctiſſimo commune eſt, dicente Auguſtino: habet omnis amor vim ſuam, nec poteſt vacare in anima amantis. Hinc

continuò amans infinitas imagines venuſtatis, quam adorat, animô verſat; unde fovetur continuò paſſio ipſa, & ubi unus motus deſierit, ſuſcitatûr alter, & hoc præ cæteris paſſionibus, quæ per intervalla cientur, & iterum deponuntur. Sic odium ſopitur quandoque, nec ferè excitatur, niſi extremo incurſu, aut commemoratione inimici: ira facilè evaneſcit: delectatio ipſa citiſſimè tollitur, quoniam in fruitione poſita eſt, quæ breviſſimâ morâ abſolvitur. Verùm amoris affectus, quamdiu prorſus non aboletur, continenter velut ſagitta hæret in corde. Ex alio capite paſſio hæc nihilominus apprimè inconſtans & vaga eſt: excurrit, & circumvolat ab hoc bono ad illud, ut in multitudine inveniat, quod ob inanitatem, & exilitatem cujuslibet boni creati in ſingulis non reperitur: hæret in ſingulis ſolùm tam diu, donec propriis experientiis docta deprehendat, poſſeſſionem boni, cujus idololatra facta eſt, non explere deſideria. Inde pœnitet ipſam admiſſi erroris, & ad aliud objectum transfertur, paulò poſt etiam ab illo ſeparanda, in quo non niſi modica portio univerſalis illius boni latet, ad quod illa tanta ſuſpirat anxietate. Hæc ipſa inconſtantia, etiamſi ratio naturalis deeſſet, deberet nos inſtruere, inviſibilia eſſe, quibus inhiamus, & non poſſe nos pertingere hic ad eadem poſſidenda, ſed ſolùm ſperanda eſſe.

Ex hoc oritur ſecunda proprietas, quòd fortiſſimus, & juxta ſuaviſſimus ſit ſupra reliquas omnes paſſiones amor ad exequendum id,quod ſibi propoſuit: & licèt in cunis ſit quaſi faſcibus conſtrictus, tam generoſum tamen oſtendit robur, ut omnes labores ſubeat alacriter, pericula invadat intrepidè, dolores etiam ultrò excipiat, quos tamen intuitu rei amatæ proximè conſequendæ mira ſuavitate perfundit. Secari, & uri ſe homines patiuntur, ut dolores non æterni, ſed aliquando diuturnioris ulceris, ac eorum dolorum pretiô redimantur, languida, & incerta mora ultimæ vitæ. Immaniſſimis miles bellis atteritur, pluribus fortaſsè annis inquietus in laboribus, quàm in otio quieturus. Quibus tempeſtatibus, & procellis, quàm horribili, & tremenda ſævitie cœli, & maris impliciti ſunt mercatores, ut divitias ventoſas acquirant, majoribus, quàm quibus acquiſitæ ſunt, periculîs & tempeſtatibûs plena? quos æſtus, quæ frigora, quæ pericula, ab equis, à foſſis, à præcipitiis, à fluminibus, à feris perferunt venatores? quem laborem eſuriendi & ſitiendi, quantas viliſſimi, & ſordidiſſimi cibi, & potûs anguſtias, ut beſtiam capiant, & interdum nec ipſius beſtiæ carnes, propter quam hæc tanta ſuſtinent, epulis neceſſarias? ſed in his omnibus nullô modô ſunt oneroſi labores amantium; ſed etiam ipſi delectant, ſicut venantium, aucupantium, piſcantium, vindemiantium, vel ludô aliquo ſeſe

ob-

oblectantium, & in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Difficultas nulla deterret, & si fortè quædam opponantur, ad amorem retardandum, ille sibi persuadet, hæc alio ex fine non fieri, quàm ut suorum incendiorum vim periclitentur; unde gloriæ stimulîs incitatur, non quærit, nec admittit ullas excusationes; sed omnia arma arripit ad pugnandum & vincendum, ac omnes vires colligit. Antequam se impotentem, & imbecillem profiteatur, omnia tentat, & sæpè debellat inimicos, quos etiam magìs heroicæ virtutes non fuissent ausæ aggredi. Hinc venit, quòd in sacris litteris morti assimiletur, non tantùm quia amantem separat à se ipso, ut eum conjungat rei dilectæ; sed vel maximè quia nihil potest illi resistere. Quare pulcherrimè D. Augustinus in psal. 121, magnum verbum, fortis ùt mors dilectio: magnificentiùs exprimi non potuit fortitudo charitatis. Quis enim morti resistit? ignibus, undis, ferro, potestatibus Regum resistitur: venit una mors, quod ei resistat, nihil est. Propterea viribus ejus charitas comparatur. Ratio physica hujus proprietatis est, quòd natura hujus passionis cum Entelechia statûs ipsius corporei perficiatur: itaque admodum vegetæ, validæque operationes exeruntur, & potissimùm circa bona corporea, quæ intuitivè, ut dicitur, percepta impellunt ad sui amorem efficaciùs.

§ VI.

Effectus amoris ad animam spectantis.

NUnquam finirem, si omnes amoris proprietates describere in animo esset; ideò ad ejusdem effectus progredior, qui ut imagines illius meliùs nobis naturam hujus repræsentabunt. Præter effectus corpori imprimi solitos dantur alii in ipsa anima recepti, qui tanquam rivuli ex prima motione, ut è suo fonte emanant, & animæ ad suum finem intentum aliquid conferunt. Ex his primus est unio, & transformatio quædam amantis in dilectum, & diminutè de amore sentit, qui amantem putat dimidium amati: non sic; est totum, est unitum, est unum. Hæc autem unio tripliciter contingit; primò per affectum, quatenus magna propensione, tendentia, & motu inclinatur amans in dilectum, qua ratione Sancti cum D. Paulo fateri coguntur: *vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Ut verò in alio incipiant vivere, oportet, ut priùs in se ipsis moriantur, & nec sacri, nec profani amatores diligere possunt, nisi priùs in se ipsis moriantur: nec integrè intelligi possunt

illa ad Coloff. cap. 3. *Mortui enim eftis, & vita veftra eft abfcondita cum Chrifto*, fi hæc veritas non admittatur. Quæftuofa tamen eft hæc mors, quia mater alterius vitæ, & quidem magìs charæ, quàm ea, quæ fuerat perdita; refufcitatur ut novus Phœnix ex cineribus miraculô amoris ob objectum, quod deperit. Copulatur amans cum re amata per fimilitudinem voluntatum, ut idem velit, idem fapiat cum dilecto; impellitur ad ejus obfequium, & fit quafi illius inftrumentum. Denique proprium amoris eft coalefcere cum bono fuo per continuam cogitationum catenam; illud enim femper ante mentis oculos præfens habet, & memoria tota occupatur & defixa hæret circa ipfum amatum.

Secundus internus amoris effectus vocatur extafis, quæ non multùm differt ab unione, ac fignificat alienationem quamdam amantis à fe ipfo, ac fpontaneam quamdam peregrinationem. Qui enim de altero affiduè cogitat, & ejusdem cum altero eft voluntatis, totus in rebus alterius verfatur, & extra fe quodamodo egreditur, totus in dilectum translatus, fui, & rerum fuarum oblitus, & cum de fe non cogitet, nec in fe nec fecum habitabit. Hæc alienatio eft per folum affectum, & intentionem, quæ per cogitationem validam, & intenfam adhæfionem non raró eò usque crefcit, ut fiat extafis etiam fecundùm ipfum effectum. Hoc autem tunc accidit, quando fequitur interftitium in ipfis externis fenfibus ob intenfum amorem, ita ut homo vel folùm tenuiter, vel omninò nihil audiat, videat, aut fentiat. Cùm enim menfura virium animæ finita fit, & fpiritus, quibus vitæ actualis miniftris indiget, in contentiffimam appetitionem infumpti, non poffunt ad reliquas operationes fuppetere, neceffe eft, animam quoad eas feriari, nifi de ea contentione aliquid remittat.

Tertius amoris effectus internus dicitur zelus, verè, & non tantùm metaphoricè, prout priores duo, ab amore diftinctus, quo quis ex vehementi paffione determinatur ad repellenda ea, quæ vel amato funt adverfa, vel integram poffeffionem boni amati impediunt. Et hic maximè locum habet erga bonitatem creatam, quando ad Zelotypiam tranfit; nam infinita bonitas, cùm fit potens omnibus perfectiffimè fatisfacere, non eft timendum, ne, fi ametur ab aliis, mihi ideò defit, ut periculum eft in amore limitatæ bonitatis. Ex quo capite homines ægrè tolerare folent, quòd alij valdè diligantur ab eis perfonis, quas ipfi depereunt, ut ab Amafia, à Regibus &c. imò non tantùm zelus, fed omne paffionum genus, iis exceptis, quæ neceffariæ funt ad eorum confervationem, aut propagationem, vel quæ procedunt à potentiis usque adeò remotis à ratione, & fenfu, ut propter fummam earum imperfectionem nulli dire-

ctioni

ctioni subsint; omne, inquam, hoc passionum genus ab amore elicito, vel immediatè, vel mediatè certissimè procedit. Quæcunque enim fiunt, propter finem utique aguntur, & prima operatio circa finem est origo, & causa reliquarum omnium. Prima autem operatio circa finem est amor, cujus objectum, & causa consistit in bono secundùm se, quatenus hoc est universalius, & prius, quàm bonum absens, aut præsens. Unde etiam, quæ fiunt ad reprimendum, aut etiam extinguendum amorem aliquem oriuntur ex alio amore, cujus fini nocet amor, qui suffocatur.

§. VII.

De effectibus amoris, prout spectant ad corpus.

QUia verò amor circa cordis penetralia, id est, circa interiores illius fibras potissimùm regnat, in quibus mira viget potentia motrix; sanè fit, ut etiam in venarum, & arteriarum vasa, imò & membranarum, à corde, quasi à principe radice affectionis motus traducatur. Quantùm se diaphragma agitet, ipso sensu percipitur, crebráque testantur suspiria. Animus enim conversus ad id, quo sollicitatur, negligit, & quasi officii sui obliviscitur, ut musculis thoracis vim movendi suppeditet. Cor igitur cùm neque per intensionem pectoris aërem capiat, quo ventilari, refrigeraríque possit, neque per remissionem sevocet, quæ sanguinis ardor favillacea excrementa commisit: ne stranguletur, animam cogit, & ad desertum officium revocat, portatúrque, ut ampliorem inspirationem, exspirationémque musculis præstet; & ut copiam aëris frigidi capiat, & excrementorum largam eijciat massam: ita ut quod vices minutæ, crebræque spirandi essent facturæ, hoc una major respiratio reficiat. Ex nimio hoc nisu, & conatu calor amantium; hinc ardere, & flagrare amore dicuntur, quòd certè non tantùm per metaphoram, sed re ipsa quoque intelligendum est, cùm caput, labra, oculi, pectus, reliquæque partes per summum amorem incalescant, & tantùm non accendantur. Calor iste ab ignitarum particularum collectione provenit; cùm nunquam in animum inducere potuerim, calorem ab anima procreari. At quomodo poterunt ignis partes colligi? aio, per segregationem humidarum partium, quæ fit expressione, percolatione, obstructione. Ubi enim multus sanguis arteriosus per motum cordis, & arteriarum nisu in carnes effunditur, à venis tanta vis exsugi

nequit;

nequit; sed subtilior, & humidior duntaxat illius portio: qua segregata, particulas ignis colligi, & calorem augeri est necesse. Pulsus amantis magnus, altus, & latus observatur ob uberem materiam à finistro cordis ventriculo in magnam arteriam effusam, quæ vasa materiæ copiâ quoquoversum inflat, ex quo magnus, altus, & latus pusus oriri debet. Inde quidam specialem pulsum amatorium agnoscunt, nixi experimento Galeni, qui de justa Romana, Boëtii Viri consularis uxore scribit, eam se amore Piladis in theatro saltantis flagrantem interventu ejusdem signi notâsse.

Ex hisce motibus varii alii effectus sensibiles formantur, quorum initium ab oculis ducamus, qui in amore duces habentur. Supponimus autem amoris perpetuum comitem esse delectationem; haberi insuper de amato summam æstimationem, ac erga illum reverentian; quodsi etiam amati boni possessio denegetur, sollicitari amatum constanti desideriô ejusdem potiundi. Hos omnes verò affectus omnium maximè exprimunt oculi, latinis *Pæti* dicti, & à veteribus amorum Deæ consecrati. Splendent imprimis oculi, ob affusum enim uberiorem humorem splendentem turgent, & quia tensiores tunicæ, expunctis omnibus rugis læviores sunt, hinc lumen instar speculi meliùs reflectunt. Nictantes etiam sunt; vel quia nimium luminis appulsum ægrè ferunt, cuus appulsu retina novo calore aucta, ne nimiùm inflammetur, timet, & ideò palpebris hostem pro viribus arcet: vel quia reverentia, quæ erga amatum geritur, easdem palpebras deprimit. Ipsa pupilla furtivè dentidem versus amatum objectum fulgurans propter lumen affatim repercussum, languorem, quem amans patitur, significat. Semiclausi tenentur, ut intra se firmiùs conceptam de amato ideam conservent obtentámque contemplentur attentiùs. Quia autem de amissione prioris ideæ solliciti novam aliquam identidem ex aspectu rei amatæ acquirere laborant, subsultim oculos aperiunt. Quòd si aliquando fixi, mox inquieti, ac subsilientes; modò tristes, jam hilares circumferantur, id ex diversis passionibus, quæ cum amore conjunctæ sunt, proveniet: ratione quarum suæ etiam non desunt amanti lachrymæ. Cùm namque multa humoris copia in caput effunditur, partem aliquam in pelvim descendere oportet, & hinc per ductus destinatos in lachrymas abire.

Ab oculis ad frontem fit transitus, quæ semper exporrecta, & serena ab amore exsplicatur, nisi alterius passionis societas eandem efferet, & contrahat. Venit hoc à calido humore, qui per carnem diffusus rugas omnes, & salebras cutis expungit, & serenitatem conciliat. Hic ipse affectus rubore floridam frontem potissimùm tingit; quis enim inficia-

ficiabitur, in frontem multum ſanguinem appelli, eúmque arterioſum, perpetuo id atteſtante calore? labra quoque impensè rubent, tum quòd partes hæ molliores delicatam cuticulam ſint ſortitæ, tum quòd ſicco & humido calore accenſa ſimul & delibuta modico riſu explicentur. Pallescere verò ad finem paſſionis exſiccata labia incipiunt, eò quòd ſubtiliores partes ſanguinis à nimio ardore conſumpti, vel ſpiritus ſe ad interiora contulerint.

Lingua etiam in hac ſcena partes ſuas agit; nempe mèmbrum hoc mobile, minúsque cæteris fulcitum affuſo ubertim ſanguine ad tremulum quendam motum determinatur: blæſa evadit, & ſæpè ob nimiam motuum vim & agitationem mentem fallit. Mira eſt in hac paſſione vocis inflexio; mollis præſertim, & dulcis evadit, cùm calidi amoris appulſu aſpera arteria tenſior efficiatur, ad leniora verba emollienda, quibus amantes ſubmiſſionem ſuam, atque debitam reverentiam erga amantem teſtantur. Quòd ſi autem voces modò extollantur cum exclamatione, modò cum languore remittantur; modò decurtentur, aut protrahantur, variorum affectuum, quibus amans ſuccutitur, mutationi hæc erunt imputanda. Præſertim ob frequentem micationem organum quaſi tripudians ad cantus propendet. Dum autem anima nimium quantum affectui huic indulget, actionum ad vitam conſervandam utilium obliviſcitur; unde ob perennem cordis dilatationem, & evacuationem plurima fit ſpirituum è corde diffuſio; unde corpus exſugitur, efficitúrque macilentum. Præterquam quòd amor fortem, & aſſiduam rei amatæ cogitationem ingerat: ſicque ob multos ſpiritus conſumptos bonæ concoctioni non parùm officiatur. Juvant hanc maciem, & tabem frequentia inſomnia; inquietus enim, & creber fibrarum motus ob nimiam exſiccationem, concalefactionem, & jugem jactationem ſomnum prohibet, ex quo ſpirituum defluxus abſque ulla reparatione conſequitur.

§. VIII.

An hujus paſsionis objectum ſint etiam ſpiritualia?

ANtequam diſſertationem hanc concludam, non poſſum non ex convenientia ſtatûs mei dubium hoc movere, an per hanc paſſionem non modò corporea, ſed etiam ſpiritualia objecta poſſint attingi. Sed quid multùm hærendum? quis enim neget cum agitatione paſſionis ab homine Deum ipſum, & nudos ſpiritus amari poſſe? ex hac namque profluunt

fluunt ſenſibiles illæ deliciæ animarum piarum, & ſuavitas mira, dum divinis contemplationibus vacant. Ubi enim imaginatio boni infiniti per ſpecies alienas repræſentati eò usque vivida, & efficax excitatur, ut ſpirituum animalium motum inſolitum concitet, amoris paſſionem naſci oportet. Imò judico, amorem patheticum, qui in homine exſurgit, ſemper cum inclinatione ad ſum̃um bonum eſſe conjunctum, quod dupliciter fieri poteſt. Primò enim contingere poteſt, ut concitationes & tumultus erga res creatas admoneant animam primogeniti ſui appetitûs, & ſuſcitetur ingenita naturæ agitatio versùs ſupremun numen; ita ut homini quaſi exprobret: quid iconibus præſentibus contenta abſentiam fallis? quid ſolaris te boni ſimulacro, quæ expleri non potes, niſi vivido omnis ſaporis, ſuavitatis, & pulchritudinis archetypo? dum quæris bene tibi eſſe, quamdam beatitudinem, & Dei ſtatuam colis. Sicut aquæ, qua parte labuntur, contrahunt ſaporem aliquem ex metallorum venis; ita omnis amor ſapit ſuam originem, unde fluxerat, ſuccum amoris combibit à bonitate Dei, & quantùm poteſt, ad illum ſe reducit, illiſque appropinquat.

Poteſt ſecundò inclinatio primæva paſſionem amoris provocare, quatenus homo patriæ memor, & amantiſſimus, quam tamen hic & nunc poſſidere non licet, à meliori & perfecto ad peius procedit, & peregrinatur. Ex duplici hoc capite, quo cum amore cujuslibet rei generalis ille erga ſum̃um bonum amor conjungitur, non nemo dixit, animam amoribus ſuis quibuslibet lambere veſtigia, & imagines ſupremi numinis. Hoc ipſum quoque compertum eſt experimento, quo deprehendemus, hominem, dum circa ſenſibilia amando verſatur, tametſi ea omnia poſſideat, quæ cor expetit, nihilominus tamen in hac poſſeſione, & conjunctione non vacare dolore: dolor porrò iſte, & triſtitia cum poſſeſſione boni quid aliud demonſtrat, quàm animam revera id totum aſſecutam non eſſe, quod amabat, ſcilicet ſum̃um bonum, cujus duntaxat imagine tunc potitur. Triſtatur igitur non aliter, ac ſi quis pro eo, quod amat, umbram illius amplecteretur. Intercipiat igitur, & præveniat omnem noſtrum boni diruti amorem ipſum bonum conſiſtens. Nihil, niſi bonitatem cupimus, & omnis in Deo bonitas, & ſtat, & præſtat: ab iſto pulchro fluit, quidquid delectat: in illo ſtagnant omnia. Quidquid præterea eſt, ſtilla ab illo eſt, & hujus eſt, & quidquid præter Deum amamus, ſuum eſt. Tantus ille eſt, ut etiam, qui eum non amant, non niſi aliquid ejus amare poſſint. Ubi autem diviniſſimæ huic flammæ ſuccubuerinus, canamus:

O felix hominum genus
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur, regat.

DIS-



Non odiis post fata modum, flam̄ásque rebelles. Thebaid.

M. I. Milldorffer del. B. F. Lutz sc. A.V.

DISSERTATIO II.

De quidditate, causis, & proprietatibus odii.

§. I.

De natura odij.

QUi contenti sunt ex solis apparentiis externis de naturra rei judicare, imaginantur sibi non esse in orbe terrarum aliquid magis homini contrarium, quàm odium; eò quòd homo ab ipsa humanitate nomen desumens sustinere nulla ratione debeat passionem, quæ inter cadavera habitat, & mortalium sanguine nutritur. Hinc mirîs ejus malitiam modîs exaggerant. Fuit, qui dixit, odium esse virus pacis, discordiarum matricem, civile naturæ bellum, igniarium facinorum, officinam ærumnarum, lippiditudinem mentis, humani cruoris ebrietatem, nervum malignitatis, contagem scelerum, gymnasium maleficentiæ, alvearium fellis, imbrem amaritudinum, ac omnium malorum syllabum. Attamen sicut indigemus amore, quo uniamur objectis ad nostri conservationem necessariis; ita non minùs opus habemus odiô, ut separemur à malo, quod stragem nobis minitatur. Mundus fortè jam dudum defecisset, nisi pace, & bello elementorum, ex quibus componitur, conservaretur. Nisi aqua suo frigore resisteret igni, universum ab eo jam in cineres fuisset redactum, & deficiente materia ad nutriendum requisita ignis ipsemet destrui debuisset. Humores nostri corporis inter vivos nos retinent ipsorum antipathia naturali; & bilis jam pridem exsiccâsset omnia corporis nostri ossa, nisi continuò affusâ pituitâ dulcesceret; Ita ut & magnus, & parvus mundus suarum partium contrarietate conservetur. Id quod in naturalibus videtur, in moralibus quoque accidere solet, ubi animæ concessæ sunt inclinationes ad se conservandam,& aversiones ad se defendendam, ut feratur ad placida, & elongetur ab horridis; & nisi Deus ad illius custodiam hos duos affectus posuisset, cogeretur illa omnibus malorum assultibus subjacere sine spe eadem impugnandi, aut eadem debellandi. Ne igitur de naturæ providentia conqueri possemus, postquam illa nobis providit de inclinatione ad bonum,eâdem nobis etiam instillavit magnum vigorem ad fugienda nociva.

Definiri potest hæc passio, quòd sit *motio appetitûs, quâ anima se abalienat à malo prout illud nondum videtur præsens, vel absens;*

per quæ duo ultima adjuncta convertitur in triſtitiam, vel fugam. Quærenti ulteriùs, quid ſit ea elongatio, ſeparatio, diſcrepantia, diſcordia (omnia enim hæc idem ſonant) reſpondendum eſt, rem eſſe ipsâ experientiâ ita claram, ut vix ampliùs quid dici poſſit. Sicut enim ſentimus in nobis actum, quo bene afficimur erga aliquod objectum, ita è contrario ſentimus alium oppoſitum, qui eſt diſplicentia in objecto malo, quo illud deteſtamur. Uberiorem horum terminorum explanationem vix invenies; prout res accidere ſolet in affirmatione & negatione, ubi per unum actum dicitur: ita eſt; & per alterum, non eſt ita, quin nobis ſuppetant termini magìs ſub experientiam cadentes.

§. II.

Partitio odij.

NAtura odii dupliciter diſtinguitur; nempe in odium, quod reſpondet amori amicitiæ, dicitúrque *odium inimicitiæ*, & in alterum proportionale amori concupiſcentiæ, quod odium *abominationis* vocatur. Porrò ſicut amor duo reſpicit, nempe bonum volitum, & perſonam, cui eſt volitum, ita & odii objectum duo includit, perſonam ſcilicet, cui malum volumus, & malum ei volitum, cum hac tamen diſcrepantia, quòd amor ſe habeat ad illa duo per modum proſecutionis, & conſonantiæ: econtra odium fertur in perſonam tendentiâ proſecutivâ, ad malum verò tendentiâ averſiva. Nam odium abominationis eſt diſplicentia mali, quod nos, aut alii noſtri amici patimur, puta paupertatis, ægritudinis, aliorúmve hujusmodi incom̃odorum, à quibus affectus diſſonat, licèt conſonet perſonæ, à qua cupimus ea mala averti: odium verò inimicitiæ diſſonat perſonæ, congruítque malo ejus; vult enim malum alicui, quatenus malum illius eſt, ex diſplicentia perſonæ. Diſſimilitudinis ratio eſt, quia in odio abominationis non perſona, ſed res mala habet rationem objecti & cauſæ: vel ſi interdum perſona habet rationem objecti, non id habet ut perſona, ſed præcisè ùt res quædam eſt. ùt cum pater odit liberos, quia plures ſuſcepit, quàm poſſit alere, non odit vitam illorum, ùt tales ſunt, ſed ùt res ipſi oneroſa & nociva; atque ita liberi odiô habentur, non ùt perſonæ quædam ſunt, ſed ùt nocumenta quædam. In odio autem inimicitiæ perſona habet rationem mali & cauſæ.

Ut autem odium inimicitiæ, & abominationis ſervent proportionem

nem cum amore amicitiæ & concupiscentiæ, necesse est, illum, erga quem exercetur odium inimicitiæ, terminare volitionem mali nocivi non ex alio fine honesto, sed ex mera personæ illius displicentia: ita ùt sicut is tantùm dicitur amare amore amicitiæ, qui vult bonum alicui, præcisè quia hoc est bonum illius, & ex complacentia talis personæ; sic is tantùm dicatur elicere odium inimicitiæ erga alterum, qui vult malum illi, præcisè quia id est malum ipsius, & ex displicentia personæ ejus, hoc ipsum in bonis suis reputans, quòd videat inimico malè esse. Sic autem accipiendo odium inimicitiæ clarè patet, judicem, qui debitam reo decernit pœnam, eum non prosequi odiô inimicitiæ; vult enim personæ noxiæ malum, non quatenus ipsius malum est, cùm ream vel ob sanguinis conjunctionem, vel aliô titulô complectatur: sed pœnam infligit, quia vi muneris adstringitur ad cavendum, ne respublica detrimentum patiatur ex delictorum impunitate. Patet, neque in se ipsum sævire odiô inimicitiæ, qui in ultionem scelerum suorum adversùs se ipsum animatur, & carnem suam maceratione, ediâ, omníque illo sensibili vexationis genere afficit, quod conceptum peccati odium justissimum homini priorem suam vitam aversanti subministrat. Patet eadem ratione nec patrem odisse filium, in quem flagella exerit, cùm tamen tunc maximè eum amet, & leviora delicta plectat doloriferis malis, solùm ideò, ut graviores errores præcaveat. Patet denique neque Deum animas sibi gratissimas odiô inimicitiæ prosequi, cùm igne emendatorio purgatorii leves illarum maculas eluit, quin potiùs mali istius sensibilis volitio cum verissimo conjungitur amore. Igitur non omnis volitio mali alicui irrogati appellanda est odium, sed illud tantùm, quod cum displicentia personæ connectitur.

Non tamen prætereunda est insignis diversitas inter amorem amicitiæ, & concupiscentiæ ex una parte, & odium inimicitiæ, ac abominationis ex altera. Nam amor amicitiæ & concupiscentiæ constituunt unicum actum; cùm sumantur per comparationem ad personam, quæ placet, & ad bonum, quod illi desideramus. At odium abominationes & odium inimicitiæ differunt reipsa, & ob rationes repugnantes, quas includunt, unicus actus esse non possunt, cùm is qui abominatur mortem Patris, quia ejus malum est, non possit simul eum odisse odio inimicitiæ; quin potiùs idcirco abominatur tale ejus malum, quia illi bene esse cupit, & optimè erga Parentem afficitur. Qui autem odio inimicitiæ hostem prosequitur, non displicet ipsi malum alterius, sed illud consectatur, & hosti vult, quantum potest juxta mensuram odii conceptam. Ideo nihil invenio, quod possit terminare odium abominationis, quando opto

inimico malè esse. An enim malum volitum? at id non est objectum abominationis, cùm sit volitum. An ipsa persona inimici? at illa terminat odium inimicitiæ. Igitur sicut is, qui diligit amore amicitiæ personam aliquam, non simul amplectitur eam amore concupiscentiæ, nisi quando persona est sibi volita, ut cum Deo volumus suas perfectiones: ita neque qui, aliquem exosum habet ex displicentia ipsius, dicendus est eum abominari. Et posset quidem aliquando proportionaliter contingere circa odium, ac circa amorem, nempe ut quis apprehensa ipsa persona, tanquam sibi ipsi nociva, vellet eam ipsimet personæ exosæ; tamen id & infrequens est, & alienum ab odio abominationis. Persona enim illa prout volita, non terminaret abominationem, sed prosecutionem: apprehenderetur ùt mala inimico, ideóque ab eo, qui infensus est, non fugeretur, sed quæreretur inimico. Hoc autem abest à ratione odij abominationis, consistentis revera in amore personæ, cujus malum refugimus, & idcirco illud refugimus, quia apprehenditur, ùt personæ nocivum.

§. III.

Causa odij primaria cum administris.

CAusæ odij, de quibus nunc agendum sequitur, elucescunt ex dictis circa amoris causas, quibus istæ omnino sunt oppositæ. Itaque sicut bonum, & pulchrum alicit appetitum, & ingenerat amorem, ita malum, & turpe avocat, & fugat appetitum. Et quamquam malum ùt malum nullam habeat entitatem; cùm juxta Augustinum illud non sit in rebus, sed in usu peccantium, nullámque proinde vim motivam exercere valeat: nihilominus, cùm nullum inveniatur purum malum, atque omne malum insit alicui bono tanquam subjecto, cui nocet; ideo bonitas conjuncta malitiæ, aut quæ convenit subjecto capaci mali, exercet virtutem in ipsum odium. Ut tamen aliquas administras primæ causæ adjungamus, adhuc tres ordines odii hominis in hominem adducamus, quæ tamen non sunt novæ species, sed varias duntaxat causas continent, & sunt odium spirituale, naturale, ac ferinum. Primum concitatur ob animi vitia in altero deprehensa, quibus inducitur in homine affectus avertendi sese, & separandi vel reipsa, vel saltem affectu ab illius societate. Non potest hoc odium in hac vita ab homine erga hominem esse supernaturale; ne quidem propter peccata, licèt hæc ipsa supernaturali

odio

odio habeantur. Neque in odio adversùs homines flagitiosos imitari fas est Deum. Quemadmodum enim fratri, qui in crucem agitur, judicis sententia arridere non debet, quin potiùs optandum illi est, ut salvo legum vigore frater vivat: ita nemo voluntati Divinæ, quæ odiô inimicitiæ hostes suos prosequitur, simili se odio conformare debet. Hujus rei momentum est, quia quemadmodum licèt quis facinorosus ad patibulum damnatus sit, non cessat tamen esse frater: ita licèt peccatis quis inquinatus sit, perstat tamen esse proximus cæterorum hominum. Distinguendum est id maximè cum S. Prospero.

Naturæ quisquis propriæ non spernis honores
In quocunque hominum, quæ tua noscis; ama.
Quæ namque artificis summi fecit manus, unum est;
Quæque auctore bono condita sunt, bona sunt.
Divinum in nullo figmentum despiciatur,
Sola malis studiis addita non placeant.

Plura autem sunt, quæ hujus generis odium parturiunt; puta, mores agrestes, inurbanitas, ignorantia, & pleraque ex vitiis moralibus, non tamen omnia; non nullæ quoque ex virtutibus ipsis, quæ morosiores videntur, & societati mutuæ minùs gratæ.

Fæcundissima verò odiorum parens est calumnia, seu falsi criminis impositio, cùm quisque proprio enixè studeat honori, famæ, & gloriæ. Vix invenies homines, qui patiantur adversis linguæ telis se impeti, & qui fœdati nominis denigrationem sanguinis effusione eluere non studeant. Per mendacia talia fucata, quibus alterius splendor vel extinguitur, vel imminuitur, forti viro plus mali infertur in foro, quàm ab hostium telis fuisset inflictum in bello, & castris. Quidquid igitur illam redolet, summè vitandum, cùm detractores teste Apostolo ad Rom. 1. sint ipsi Deo odibiles. Sæviturі etiam in culpam magna indigent cautela, ne sæviant in hominem, & ex duobus invicem complexis transfodiant unum de nocte, illæso altero. Gophyrius unus ex septem conjuratis, qui ingenio Ortanis Regnum Persicum asseruerunt, complexus alterum Tyrannorum, socios in loco obscuro hortabatur, ut vel per suum transverberarent corpus, ne sibi parcendo alter evaderet. Difficile, & subtile est in tenebris confusa discernere, & ideo in alienis peccatis minùs, aut cautiùs est indulgendum odio, ne indignaturi factis humanis, indignemur hominibus. In propriis erratis securissimus est iste affectus, ubi amor nostri tenacissimus, & importunus se ingerit. Diversè nostra & aliena insident. Aliorum odium, & nostri amor facillimus est, & summus: aliorum amor, & nostri odium difficillimus, & exiguus.

Alte-

Alterum odii genus inducitur ex antipathia, & averſione quadam, quod iterum duplex eſt, vel naturale, vel morale: poſterius provenit à rebus inclinationi noſtræ, pro diverſitate temperamenti diverſæ, ſummè contrariis nihilque facilius eſt, quàm ut ob diſſimilitudinem in animum inducamus, aliquid malum, aut turpe eſſe. Hac ratione ſinceri oſores eſſe ſolent fucorum; generoſi odiſſe ingratitudinem; valentes eſſe hoſtes ignaviæ. Naturalis averſio vel oritur ex ipſo inſtinctu naturæ animali indito, prout ovis horret lupum, pullus milvum, alia animalia alia: vel ex conſtitutione corporis, ob quam ante omnem conſuetudinem, aut offenſionem incitamur ad unum præ alio fugiendum. In hac radice fundantur averſio equi erga camelum, Elephantis erga caprum. Naturalis non nullorum horror ad conſpectum catorum, ranarum, aliorúmve animalium. Pro cauſa hujus diſſonantiæ non ſolùm recurrendum eſt ad operationes phantaſiæ; ſed advocanda ſunt etiam effluvia corpuſculorum, quæ nimirum ex corpore, potiſſimùm vivo continenter effunduntur undequaque velut in atmoſphæram quamdam ſingularem. Dum enim ex occurſu corporis unius effluvia in nos incurrunt, & per poros noſtri corporis ſubeunt, quandoque nihil immutant, idémque præſtant, quod aër ipſe per eoſdem meatus penetrans. Quandoque tamen ob texturam, & motum eorundem certo modo repugnantium poris, & particulis noſtri corporis, immutationes, & determinationes eas invehunt, quarum ſimiles, & analogos vapores, & odores ingrati, & aër ipſe pro diverſa qualitate corporibus iiſdem affert: ſcilicet ſanguinem, & ſpiritus fomentant; unde agitatio perturbata illa reſultat, quæ paſſionem odii provocat. Ad hujuſmodi ergo originem referendi ſunt genii, & inclinationes repentinæ, citra patentem, & conſpicuam cauſam obortæ, quibus afficimur erga occurrentem quempiam, cætera ignotum, quo pacto affectus fuit, qui ſcripſit:

Non amo te, ſabidi, nec poſſum dicere quare.
Hoc tantùm poſſum dicere: non amo te.

Poſtremum eſt odium ferinum, quod aſſurgit ad eam animi efferationem, quæ ordinariam menſuram, qua homines aliquid averſari conſueverunt, transcendit, & ad immanitatem belluarum pertingit. Hujuſmodi odio impelluntur, qui inimicorum nece quàm acerbiſſima, & diriſſima non exſatiati, truncare inſuper fædéque diſcerpere cadavera inanimata habent in delitiis. Aliqui eò interdum hac ſævitia proceſſerunt, ut carnes cæſorum mandere, & hepar vel cor hoſtium recens exemtum dentibus ſuis crudum commolere non perhorreſcerent. Sic Hannibalem dixiſſe ferunt, cùm foſſam ſanguine humano plenam conſpexiſ-

spexisset: Θ formosum spectaculum! risit, multáque voluptate perfrictus, inter millenas mortes iratum vultum exuit, & quasi per otium sævijt. Quantò pulchrius illi visum esset, si flumen aliquod, lacúmque complesset? sed quid mirum, hoc maximè spectaculo captum fuisse, sanguini innatum, & ab infantia cædibus admotum? Volesus etiam sub Augusto Proconsul Asiæ cum ter centum una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo, quasi magnificum quid conspiciendúmque fecisset, græcè proclamavit: O rem regiam! quid hic fecisset rex?

Numeratur quoque inter odii causas conjunctio, & connexio cum argumento odij. Sicut enim, qui aliquem diligit, fertur etiam amore in omnia, quæ illius sunt, ita vicissim sentiendum de odio. Tale fuit odium Davidis, quando psal. 138. dixit: *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfectô odiô oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Hinc assequi possumus radicem incensissimi illius odii, quo nos dœmon insectatur. Nimirum rebellis iste osor, postquam Omnipotenti repugnavit, & ob contemptum ab eo alienatus est, quando videt hominem ad ejus imaginem factum, in eum suam exercet malignitatem, qua authorem ipsum lædere concupivit, sed non valuit. Veluti, si quis homo, quando Regem inimicum attingere non valet, ejus simulacrum furibundus concerpit ac dilacerat.

§. IV.

De subjecto ad odium opportuno.

AD odii passionem valdè accommodati sunt ignavi, & timidi, qui undecunque damnum metuunt. Ideò erga vim quamcunque adversariam facilè odiô inflammantur, elisam, & contritam volentes, ne jugi metu impendentis ab ea mali percellantur. Eidem affectui etiam facilè subjacent suspiciosi ob non dissimilem causam; ubi enim suspiciones facilè nidum construunt, ferè locus metui, atque adeò etiam odio inde progerminanti patet. Odii item affectum promptissimè suscipiunt, qui amori sunt dediti, quod amorem pro jure suo se exposcere arbitrentur, omniáque ingrata, quæ profluunt ab eo, quem dilectione prosequuntur, graviora ducunt, quàm si ab iis proficiscerentur, erga quos ipsi aliter afficiuntur. Et hanc germanam esse causam judico, cur odia conjunctissimorum, si parturiantur, sint gravissima. In hoc tota est difficultas, ut mater, quæ sanguine, visceribúsque constricta erat, incipiat

non amare filium; ubi femel in contrarium deflectit, frontémque exuit, toto pondere, omnibúsque viribus inclinata trahetur. Vigor, qui fibi permiffus in dilectionem excreviffet, in ipfius robur adolefcet, & reliqua præcipiti furore decurrent. Rediturae caritati obftabit, quidquid obftiterat odiis. Nempe in domefticis minima offendunt; in amicis negligentiam vocamus injuriam, quia quæ contra fpem, & exfpectationem evenerunt, judicamus talia effe, quæ pati non deberemus. Si autem opportunum odii fubjectum funt ij, qui fe maximè læfos exiftimant, etiam fuperbi, & fui ipforum amatores maximè erunt proclives ad aliorum odium. Cùm namque impensè fefe ament, & toti fint in curandis fuis commodis, & bonis, quæ facilè interrumpuntur, celeriter concitabuntur ad offenfionem, faciléque adducentur, ut putent fe maximè læfos, & qui læfit, maximè effe malum.

Præter vulgaria hæc, & ordinaria odii fubjecta in quibusdam hominibus accidit; quod inter bruta ferpentibus, ut fcilicet neminem ament, omnes oderint; ita ut quemadmodum prava plerumque conftitutio ftomachi, aut linguæ naufeam ingenerat quorumvis eduliorum: fic nonnulli adeò à communi hominum complexione exorbitent, & reliquos omnes habeant exofos, quos fimilis animi tabes adurit. Atrâ linguâ omnia culpant, obvia quæque agere prohibent: dirorum alituum modô omnibus invident; nec ullum aliud abominati fpiritus novêre præmium, quàm omnia odiffe. Ratio tam inaufpicati habitûs effe poteft, quòd quis nullâ adhibitâ cautelâ vehementer alicui crediderit, exiftimârítque veracem omninò, fidúmque aliquem hominem, quem poftea nequam, invidum, verfipellem, atque vertumnum experitur. Cùm verò id cuipiam fæpiùs acciderit, & ab iis quidem, quos amiciffimos, familiariffimósque effe arbitrabatur, tandem offenfus, & quafi allidens, omnes odit, & cenfet, nihil planè in quoquam homine effe integrum aut fincerum. Alia caufa tetræ hujusmodi difpofitionis effe poteft cænofus, turbidus, ac fæculentæ melancholiæ fordibûs redundans fanguis.

Si de temperamentis in fpecie fermo veniat, videbimus, quòd plerumque fanguinei fugiant ferios, melancholici lætos & hilares: biliofo faftidium procreant ignavi, ac lenti, quale phlegmaticis ciet ardens atque ad agendum præceps animus. In amoris paffione fanguinei præ omnibus amant cholericos, à quibus mutuò redamantur: phlegmaticum item eodem cum fructu: afficitur item poft diuturnam confuetudinem erga melancholicum: raró tamen ab hoc redamatur. Cholericus fanguineum amat, melancholicum item, ubi reciprocus intervenit amor. Cùm phlegmatico tamen ob oppofitum è diametro temperamenti habitum

nul-

nullum ipsi intercedit amoris fœdus. Phlegmaticus verò alienus à cholerico, rarus item melancholici amator; sed ubi ad illum afficitur, constanter eum amat. Præ omnibus autem amat sanguineum, ídque perseveranter. Oppositum in sanguineo accidit, cujus propterea symbolum est aëris elementum. Melancholicus vehementer, & obfirmatè amat, ubi inceperit; cum phlegmatico raró illi convenit: nunquam ferè cum sanguineo: præ reliquis cholericus arridet, ubi tamen contentionibus, & jurgiis perpetuò miscebitur ille amor.

§. V.

Expenduntur odij attributa.

INter odii attributa primùm occurrit, quòd initium minimè occultum habeat, sed statim sensum sui vehementem ingerat, ut anima clarissimè advertat sese turbari, & ea affectione concuti. Cùm afficiatur ab objectis, quæ sine vulnere non incurrunt, in principio sui ortûs statim nos torquet, & in cunis adhuc evadit noster carnifex. Emergit tam citò, quàm amoris passio, & modicô alimentô subministratô spargitur per omnes animæ facultates, atque ùt ignis devorans obvia quæque consumit. Secùs res se habet in amore; illabitur iste inobservatus; oportet, ut te amici tui admoneant, dicántque tibi vicini, te amore esse implicitum: antè arctissimis vinculis anima detinebitur, quàm intelligat, se amare; ferítque ille tam suaviter, ut vulnera vix etiam tunc detegantur, quando ob longam temporis moram nullam ampliùs curam admittunt. Opinor hoc accidere ex eo, quòd amoris affectus ad entelechiam, & perfectum vitæ statum maximè congruat: odium verò temperamentum corpori debitum perturbet, & violenter de statu naturali fibras vasorum, & per reliquam viscerum compagem dimoveat, quæ non potest non notabiliter adverti.

Diffidet præterea ab amore, quòd pertinaciùs inhæreat, diutiùs vigeat, nec levitatem illam, cujus amor accusatur, participet. Ubi semel in corde radices egit, beneficiô temporis non exscinditur; nec à philosophis hucusque inventum fuit remedium, ad sanandum hominem tam pestilenti febre laborantem. Ipsa religio nunquam magis videtur occupata, quàm ubi cum tam obstinata passione est confligendum, videtúrque Filius Dei hunc in finem descendisse in terram, ut nos amorem inimicorum doceret, & condonare inimicis. Voluit exemplô præire, &

mori pro suis, priusquam alios obligaret, præsciens ad stabiliendam legem adeò sensibus nostris repugnantem opus fuisse, ut illam propria persona confirmaret, sua morte auctoritatem tribueret, & sanguine effuso subscriberet. Adeò pertinaciter inhæret hic affectus, ut Poëtæ commenti fuerint, odia etiam post mortem supervivere, & nobis deficientibus ea non finiri. Inventa est Regina, quæ apud Senec. in Hercule furente ita sæviret:

Patrem abstulisti, regna, germanos, lares,
Patriam: quod ultra est? una res superest mihi,
Fratre, ac parente charior, regno, ac lare:
Odium tui.

Quasi in afflictione sua aliis animum non oblectaret, quàm odiò, quamquam sibi ab hoc sentiret viscera arrodi: quasi minùs premeretur dolore deperditæ felicitatis, quàm occuparetur desideriò se vindicandi. Frequens experientia testatur, morituros patres, ubi animam extremis labiis retinere non ampliùs possunt, superstitem adhuc desiderare odiorum suorum vigorem: obligant filios ad perpetuas inimicitias, harum hæredes scribunt, onerántque mille imprecationibus, ubi reconciliationem admiserint.

Si à longè secretissimæ hujus proprietatis rationem conquirere liceret, dicerem, causam physicam esse, quòd textura, quæ in fibras ab odio inducitur, ad rigorem, & firmitatem determinet, adeóque ad stabilitatem: contrà, amor agitationem æquabilem, tranquillámque conciliet, ac proinde facilè mutabilem; æquabiles enim viventium motus diuturni esse non possunt. Moralis ratio esse potest, quòd ex amore felicitatis ingenito amor quilibet, & odium proveniat. Quoniam verò majus impedimentum felicitati affert, vel minimum malum, quod odij objectum est (nam illam è toto exturbat) quàm adjumentum sit ad eandem felicitatem parandam parvum, & singulare quodpiam bonum, infertur hinc, cùm adeò difficulter deponatur odium.

Denique odium passio est omnium imprudentissima, utpote quæ maxima, & perniciosissima mala ultrò accersit, & adit, ut inimicum eâdem secum ruinâ involvat, reddítque osori mortem dulcem, si modò simul videat perdi adversarium. Ubi quis se integrè committit iræ, tantùm æstimat voluptatem vindictæ, ut nunquam videatur ipsi sufficiens pretium solutum: omne supplicium dulcescet, modò serviat ad explendum passionis nisum. Hinc iterum illud apud Senecam in Thyeste

Inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

At

At unde hoc? ex eo, quòd amor ipse proprius à pluribus agendis etiam nefariis hominem absterreat: in eóque sita est ejus utilitas, ut rarum sit ex amore proprio urgente, & vigente scelera plura, eáque statui, & conservationi vitæ humanæ damnosa non cavere. At tyrannis odii singulari quadam ratione amorem proprium obruit. Et quasi extinguit, inclinátque in omnem perniciem inimici, & quantùm est in se, vult illi omnia mala, & omnia, quæ potest, infligit.

§. VI.

Perniciosi satellites odij.

SI proprietates odij sunt virulentæ, non minùs funesti prodeunt ex eo effectus. Permisso semel recessu, & aversione appetitûs ab objecto promanabit imprimis timor causarum, quibus objectum, si nondum illatum agnoscatur, inferri potest; qui timor interdum ob adjunctam ignaviam valdè augescit. Quodsi ignaviæ adjungatur potestas, influet etiam sævitia, ut perspectum fuit in Caligula, & Nerone, aliísque ignavis Principibus, qui, quòd imbelles essent, & malè semper metuerent, ex odio in sævitiam versi immania odij sui ediderunt exempla. Sicut amor est causa omnium operationum suavium; ita qui odio cæcè indulgebit, facilè in omnes tragicos casus, in omne malum imaginabile ruit. Homicidia, & mortes sunt effectus ordinarij possionis generi humano tam inimicæ. Illa fuit, quæ primis diebus mundo ostendit, posse hominem in flore ætatis occumbere, non esse securum fratrem à fratre: illa effecit, ut homo dulcissimæ suæ indolis oblitus commisceret potum venenô, ut mensarum mappas humano sanguine conspurcaret. Illa fabricata est arma ad depopulandas urbes, ad destruendam pulcherrimam ex omnibus Dei imaginem: illa induxit funestissimam artem, quæ tradit præcepta, quomodo unus alteri mortem infligere possit. Ut omnia compendiô complectar, sufficit scire, iram, tristitiam, invidiam, desperationem, cæterósque omnes affectus oppositos ab odio enasci. Verum est, non illud assurgere ad extrema hæc mala, nisi ubi passio fuerit inordinata: at excessus ipsi semper est connaturalis, & nisi ratio, vel gratia eam moderetur, ordinariè in profundum præcipitabit: imò sicut impetuosus subruit torrens repagula, quæ opponuntur; ita si quis obex resistat, sæpè odium exasperabitur.

Omnium autem odii effectuum pessimus est, quando sub grata ami-

citiæ ſpecie in corde delitefcit. Qui palàm tibi adverſatur, hunc facilè cavendo vitare poteris; ſi fronte, vel voce tecum in amicitiam redit, hic miſericordiæ formam mentitus Trojani inſtar equi fallit. Armatam inimicorum affectuum cohortem occulit, quæ data occaſione extremam machinabitur perniciem. Sicut venenum in mulſo colliquefactum ocyus permeat in venas, ac ubi ad cor pervenerit, interimit: ita dolus amicitiæ admixtus odiô præſentiſſimè nocet, omnémque remedio aditum intercludet. Denique obſervatione indignus non eſt effectus in judiciis, & factis illorum, quos oderimus. Ubi enim amicitia permanet, nihil facilè creditur, nihil facilè recipitur, quod diſſidium operari poſſit: Si verò inimicitiæ ſemel occupaverint animos, omnia, quæ fiunt quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur, & intelliguntur, ut ad majores, & longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico non creditur; ſi quid autem mali, hoc ſolum creditur, & confirmatur.

§. VII.

Characteres, quos odium corpori imprimit.

MOroſi characteres, quos odium corpori imprimere ſolet, ab interno cordis motu provenire ſolent, cùm nempe per odium anima ſeſe ab ingrato objecto amoveat, ſegreget, & disjungat. Hoc facilè intelligetur, ſi dicamus in hac paſſione primo loco cor contrahi, ejúsque fibras ita affici, ut pravi motus ſuſcitentur. Hinc modica ſanguinis arterioſi vis in carnes effunditur. Arteriæ quoque, in quas etiam ejusdem generis affectio traducitur, ſeſe contrahunt; hinc anguſtiores meatus, hinc per capillares vix ſanguis effluere poteſt. Accedit, quòd tales ſint ij motus, ut calidum dividatur: hinc amor caloris, odium frigoris indolem præſefert. Calor enim congregat homogenea, partes ſcilicet ignis, vel calidi; frigus verò ſegregat; hinc oſor frigere, & algere dicitur. Et verò per capillares contractas humor aqueus longè facilius, quàm ſanguis traijcitur, & in carnes effunditur, ex quo frigus formatur. Ubi ſi oſor ſolus degit, vultus erit pallidus, & triſtis, aſpectus fixus, atque immobilis. Triſtitiam exproment averſæ cogitationes, quas apud ſe volvit, & revolvit: pallor vultûs, corporis rigor, flaccida labra, arctæ fauces, lingua minùs expedita, diaphragmatis lentitudo, reſpiratio item lenta, pulſus parvus, & depreſſus, & ex omni parte dimi-

nutus.

nutus. Hæc omnia ex eo, quod nec tanta ſanguinis arterioſi copia à corde in aortam effundatur, nec arteriæ ſeſe exſplicent, ſed potiùs contrahant. Eodem ſemper ſtatu oculos relinquit, quia anima functionum naturalium oblita modo injurias, quas ab inimico recepit, ſecum recoquit, modò media ſeſe vindicandi, & ulteriora mala, quæ timet, propellendi indagat. Frons oſoris nihil ſereni habet, nihil explicati, ſed contracta rugas agit, & nil niſi ferum, & aſperum præfert. Præterea cùm recordatio inimicorum ad iram revocet, hac inflamatus mordere labra, jactitare caput, quatere pedibus ſolum, ſuósque intra dentes, neſcio quæ verba vindictam olentia, tacitè murmurare incipit, & ut canis in ſaxum injectum rabiem exerere. Vox ipſa aſperior, cùm trachea minùs tenſa ſit, & aura frigidior vocem exaſperet; hinc nullus cantus, nulla inflexio vocis. Oculi denique interiùs adducti, flavidi, ſine ullo ſplendore, aperti, & quaſi hiantes ob defectum ſanguinis arterioſi. Qui aliàs in amantibus eosdem diſtendit. Tunicæ autem ſubſidentes quaſi rugas agunt, ob quam ſuperficiem minùs terſam etiam oculi minùs apti ſunt ad lumen repercutiendum. Unde quò plus luminis hauriant, palpebras, & ſupercilia tollunt, & corrugant frontem. Si autem non ſit ſolus, ſed in aliorum ſocietate laudabilia de hoſte percipiat, ex accenſióne nimia palpitare cor, ex propulſo ad faciem ſanguine, rubeſcere vultus, & quia indignationi conjungi ſolet inquietudo quædam, continuus ab uno loco in alium reſultabit itus, & reditus: contrahetur naſus, ut dicta à ſe contemni adſtantes judicent. Denique quo ſe ſatiatum allatis laudibus oſtendat, in riſum contemptu plenum diſſolvetur. Contraria prorſus accidunt, ſi mala de hoſtibus ſpargantur; ſimiles enim ſermones geſtu capitis, ac totius corporis inclinatione approbabit. Quod ſi denique æmulus obviam fiat, horrore ſubito ſuccutietur, & genibus contremiſcet, quòd ſpiritus tum in timore, tum in audacia, quarum alterutra paſſio interveniet, ad interiora cordis penetralia confugere ſoleant. Vel igitur confidit de vindicta, ex adverſario reportanda, atque arietabunt ipſum inpreſſiones communes audaciæ, & iræ, vel animo cadit ſe vindicandi; & triſtitiâ, timore, ac deſperatione abſorbebitur, ubi iterum commotiones his affectibus propriæ corpus irritabunt. Quod pertinet ad ſomnum niſi odium cum furore conjunctum ſit, ſomnolentum reddit; frigus enim cerebri ſomnum conciliat: nulla etiam, vel rara ſomnia, quia fibræ rigidiores ad motum minùs habiles, & minùs dociles ſunt: igitur ſimulacra rariùs inter dormiendum excitabuntur, quæ per motum duntaxat excitari admitto.

DIS-

DISSERTATIO III.

De Desiderio.

§. I.

Exprimitur nisus desiderij.

PRæclarè nobis indoles desiderij elucescet, si observemus, hunc affectum medium obtinere locum amorem inter, & gaudium: & habere primum ùt principium, istud verò ùt terminum. Quippe amor pondus quoddam animæ addit, illúdque fortiter, & suaviter in bonum inclinat. Unde quemadmodum in rebus naturalibus, si gravia avulsa, & remota sunt à suo centro, ex pondere nascitur conatus, ac nisus ad centrum repetendum, quo adepto cessat talis motus, eique quies succedit: ita in animo, si bonum amatum sit absens, ex amore nascitur impetus, quo in illud rapimur, quique desiderij nomine intelligitur. Obtentô verò bonô illi motui succedit quies in bono, quæ delectatio nominatur. Strictiùs definiri potest, quòd sit *animi commotio, qua seu stimulô urgetur, & velut igniculô accenditur ad investigationem, & adeptionem boni delectabilis, sensibilis, quo caret*, sive quia futurum est, sive quia jam abijt; ad utrumque enim tanquam ad bonum absens desiderium in longum porrigit animam, eámque extendit, ut possit rem adamatam contingere, tanquam in orbiculari machina, semper sequendo, nunquam assequendo: non quòd nunquam, qui desiderat, perveniat ad rei desideratæ fruitionem; sed quòd anima, quamdiu desiderat, & vi hujus actûs non potiatur re concupita. Extendit se tantùm ad bonum sensibile delectabile; nam appetitus sensitivus, cùm non sit capax honesti, ùt honestum est, atque utile, non habet vim movendi appetitum ratione sui, sed semper, & necessariò diligitur ratione alterius, nempe ejus, ad quod utile esse conspicitur, respectu cujus proinde obtinet rationem puri medii, hinc totum motivum appetitûs sensitivi dicitur delectabile sensibile. Attingit autem desiderium omnia objecta sensibilia, licèt ipsum non tangatur; percurrit omnia loca, licèt non moveatur: volitat per aëra cum avibus; innatat aquis cum squammigero grege, traijcit æquora cum navibus; conscendit montium editiora juga cum feris, venaticisque canibus: nullis finibus circumscribitur, nullo angustatur loco, nullo littore coarctatur. Affectui huic specialiter ac-

com-


M. I. Milldorffer del. Œnip
Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.
Th. Böck sc.



commodatum est nomen concupiscentiæ, quamquam enim hoc sit commune omni passioni appetitûs sensitivi, eò quòd per sensibilia bona corpus pariter, & anima afficiatur; ideóque terminent affectum, quatenus utrique prodesse possunt; quia tamen impressio, ac motio appetibilis, quatenus tendit in bonum absens, præ reliquis sentitur, ac manifestiùs cupit, ut simul sint illa, quæ simul non sunt, ideo præ reliquis hoc nomine exponitur, & sapientissimus Socrates judicavit, passionem istam alas animæ, quibus ad absentia feratur, posse nuncupari: Alii eandem cursori comparârunt, qui præcurrentem tardior pervicaciter insequitur.

§. II.

Statuitur diversitas essentialis ab aliis passionibus.

Conceptum desiderii varii convellere satagebant, qui eum variè cum aliis passionibus confundere allaborârunt. Et in primis rationem absentiæ, quam in objecto à desiderio attendendam vidimus, dixerunt non conferre amori simplici novam & distinctam speciem: accidentariam duntaxat esse denominationem, quæ salvam relinquat utrobique actus identitatem. Suadere hoc studuerunt ex eo, quòd sive objectum sit præsens, sive absens, eandem tamen habeat bonitatem, ratione cujus solius movet; & absentiam, quæ bonum convestit, potiùs arcere à prosecutione, atque ideo non esse partiale motivum desiderii. Adducunt pro confirmatione solida locum Apostoli 1. Petri 1. quo significatur Angelos desiderare prospicere in Deum, quem intueri ibidem dicuntur. Prout autem se habet desiderium in appetitu rationali, eo modo se habet concupiscentia in appetitu sensibili. Videmur igitur adigi ad admittendum eandem utriusque esse essentiam, & accidentariam absentiam solùm fundare diversam denominationem inter desiderium, & amorem.

Nihilominus impugnatio hujus diversitatis soliditate non nititur. Licèt enim absentia non moveat, nihilque causet, cùm ex se nihil sit: attamen sicut ipsa præsentia boni, est bonum quoddam particulare, potens per se ipsam movere, & agere simul cum bono, quod reddit præsens; ita absentia confert, ut bonum, cui adjacet, operetur aliter, atque operatur idem ut præsens. Insuper patet amotâ unâ causa partiali, alteram exercere se sola diversam activitatem, nec sufficere ad eundem specie effectum, ad quem sufficeret simul cum alia concausa. Igitur ab-

ſentia boni delectabilis non variat paſſionis ſpeciem tanquam cauſa partialis ſpecialiter influens ratione ſui ; ſed ſolùm tanquam impedimentum cauſæ cujusdam partialis, qua abſente oportet, ut virtus efficiens, quæ ſuperſtes remanet, inducat effectum ſpecie diverſum, nempe minùs eſſentialiter perfectum, quàm poſſet parturire conjuncta cum alia concauſa. Delectabile igitur abſens generabit deſiderium exiſtente tota vi cauſativa penes ipſum delectabile ſecundùm ſe ; abſentia verò ejusdem delectabilis ſolùm diminuet influxum delectabilis,& inhibebit à comunicanda majori, & peculiari perfectione affectui.

Deſiderium proſpiciendi in Deum ab Apoſtolo memoratum non denotat beatas illas mentes ſtrictè deſiderare contuitum, quo potiuntur ; ſed tantùm ſignificatur, ab eo contuitu, tametſi jugi, & æternùm duraturo, procul abeſſe omne rei viſæ faſtidium, ſecùs quàm in uſu bonorum creatorum ſolet accidere. In delectationibus enim imperfectis, cùm non plenè ſatient, generatur faſtidium aliquod, ac moleſtia, ob quam contingit, ut ſuccedat appetitus eam removendi, nec in eadem amplius perſeverandi : econtra Angeli ſemper vident, quia ſemper videre deſiderant : ne autem ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur juxta illud Pſalmiſtæ : ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua : & iterum ne ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant. Verbo, deſiderant ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur : & ſatiantur ſine faſtidio, quia ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.

Minùs dubitatur, quomodo deſiderium ab aliis paſſionibus ſecernatur. Quamvis enim deſiderium tendat in illud ipſum objectum, in quo poſtea per motum delectationis quieſcat ; attamen gaudium à deſiderio eſt ſejungendum. Diſtinctionem hanc, præter dicta, hauriunt ex eo, quòd deſiderium inſuper ſpectet aſſecutionem, & conjunctionem boni tanquam partiale objectum, in quod nulla ratione fertur delectatio. Differt deſiderium etiam à paſſionibus partis iraſcibilis, præcipuè à ſpe, cui magis affine videtur ; ſpes enim non eſt qualiscunque abſentis boni proſecutio, ſed ardui, ac difficultatibus circumſepti ; nec quomodocunque in illud tendit, ſed cum quadam electione, conatu, ac lucta contra difficultates animum deprimentes : at verò deſiderium eſt ſimplex animi motus, & affectus in bonum abſens.

§. III.

Instituitur divisio desiderii.

IN accessu ad partitionem desideriorum instituendam, occurrit primo efficax, & inefficax, posterius dicitur, quo quis desiderat quidem bonum aliquod, non tamen manum admovet operi, nec exercitè usurpat media, quæ ad illud obtinendum judicavit opportuna. Hoc autem ex duobus capitibus oritur : vel quia non est ampliùs in potestate desiderantis ; si enim esset, tunc ea adhiberet ; & hoc est tantùm inefficax per accidens : vel quia reipsa non adhibet media efficacia pro sua libertate , licèt sit in potestate operantis ea applicare , & hoc est tantùm rudimentum , sive delineatio desiderii efficacis. Robustum desiderium est , quo intendens se determinat ad mediorum usurpationem , quæ certa , & infallibilia reputat ad assecutionem finis intenti. Judicarunt aliqui desiderium inefficax locum non invenire in brutis , & bruta semper appetere rem omnino efficaciter. Sed videtur hoc experientiis non congruere ; si enim proponitur cani bolus pinguior , haud dubiè illi inhiabit : si autem quis simul eidem minitetur baculo , terrebitur , non audebit accedere : igitur tunc non habebit appetitum efficacem , alioquin , cùm solutus sit catenis , & possit accedere , si velit , certè si efficaciter cibum appeteret, in illum involaret. Videtur hoc etiam indicare ipsa inquietudo, qua agitatus quasi perpetuò in carnes suspirat, & tam lamentabiliter oculos in eas convertit , ut de desiderio , quo in eas fertur , dubitare non liceat. Econtra non terretur baculô ne hominem invadat ; sed magna rabie in illum insilit, quia id efficaciter intendit. Licèt igitur bruta priventur libertate ; videtur tamen hæc non requiri ad diversitatem desideriorum efficacium , & inefficacium , quantum quidem nos possumus in illis cognoscere. Ut passio generatim,sic desideria distribuuntur ab Aristotele lib. 11. politic. cap. 11. in naturalia,& innaturalia,seu potiùs ultra naturalia. Desideria circa cibum, & potum, & qua dirigitur circa cupiditatem ad propagationem , & conservationem speciei dicuntur naturalia,quia eadem bona cadunt sub appetitum quoque naturalem ac innatum,continéntque in se inclinationem,quæ proportionaliter est comunis omnibus naturis , seu sentientibus, seu non sentientibus , quæque deprehenditur in animalibus independenter ab omni sensu. Desideria verò , quæ tendunt in bonum , & malum præcisè quatenus apprehensum per cognitionem , qualia sunt præcipuè , quæ feruntur ad bo-

num vel malum futurum ſunt, præter naturalia, quia limites appetitûs innati excedunt. Videtur difficillimum, quod defendit S. Thomas, deſideria nimirum præter naturalia brutis denegare, cùm tamen deprehendamus animalia multa appetere, quæ ex ſe illorum naturæ non conveniunt, ſed eis repræſentantur ex aliqua phantaſiæ læſione, aut apprehenſione velut convenientia. Cur enim corvus appetit omnia abſcondere, quæ invenit,etiam non comeſtibilia? cur quaſcunque plantas aut alias res infixas eradicare, aut extrahere? an abſcondere ex ſe animalibus convenit? an ſpecialis delectabilitas in ea actione relucet? vel an non hoc potiùs ex ſingulari ipſius corvi apprehenſione provenit? multa certè animalia ex zelotypia optant, ne aliud ſibi præferatur. Sic refert Arriaga, fœminam leonis curam geſſiſſe, cui jubas manibus contrectare licuit, & ferociſſimo animali ſæpiſſimè blanditiis gratificari. Cùm verò ſemel acceſſiſſet mulier infantem ulnis geſtans eundemque diſſuavians, vellétque pariter leonem pro more demulcere, ille indignatus, quod fœmina infantulo blandiretur, non tantùm tactum non admiſit, ſed apprehenſum fœminæ digitum extrema parte abſtraxit,& mutilam dimiſit. Quis ergo negabit leoni huic concupiſcentiam rei ipſius naturæ non convenientis? an hoc deſiderium diverſum ab eo, quo homo ſolus laudari exoptat? canes venatici, qui leporum capturâ delectantur, quos tamen nullô modô comedere cupiunt, videntur moveri ea delectatione naturali, ut imitentur concupiſcentiam avari, qui delectationem reperit in divitiis accumulandis, quibus tamen non utitur.

Inter iſtas duas claſſes ſuper eſt aliud diſcrimen, nempe quòd deſideria naturalia in omnibus tum brutis, tum hominibus ſint uniformia, cùm ſequantur ductum, & imperium naturæ, & dirigantur dictamine ſapientiæ divinæ, quæ eſt incommutabilis, ac invariabilis, atque ideo omnibus uniformiter diſponit, quæcunque ipſis congruunt. At deſideria præternaturalia, quia diverſi diverſa opinantur, maximam ſortiuntur diverſitatem, & in diverſis diverſa inſurgunt. Ex qua amplitudine rationis in homine inſurgit nova diviſio deſideriorum, ſcilicet in finita, & in infinita; qua de cauſa ſcripſit Ariſtoteles 1. politic. cap. 6. *Quòd infinito exiſtente concupiſcentia homines infinita deſiderant.* infinita humani ſinûs capacitas & voracitas penitiùs probatur ex intellectûs humani vaſtitate,qui,cùm aptus ſit ad apprehendendam bonitatem ſine fine, nulla etiam par eſſe poteſt pabuli ingeſtio ad eundem exſaturandum, & explendum, nec malè comparabitur tantalicæ ſiti, cujus toties fabulæ mentionem faciunt. Sic avarus, qui centum comparavit, vult habere mille, ſi hæc quoque obvenerint, centum millia, & ſic deinceps, nec ullus

lus finis erit prolabendi in vastum illud pelagus insatiabilis cupiditatis. Sic etiam in sanitate corporis, ubi semel nimium augmentum exoptatur sine limite exceditur,& in infinitum recidit, ita ut humani cordis os tantæ vastitatis esse videatur, ut mundus universus non nisi exigua buccella nominandus sit, incapax explere ejus famem. Illud præterea insigniter circa hanc humanæ cupiditatis inexplebilitatem à Platone traditum, uno desiderio avulso non deficere aliud, sed suppullulare: & subnasci novum, vel quod alioquin jacuisset, augescere: quasi corrivatis ad eam amplificandam viribus appetitûs, in aliam cupiditatem non impensis. Sic intuemur in quorundam cordibus, nuptiarum cupiditate suppressa, nummorum desideria successisse. Nam sicut in ipsis sensibus corporeis acutiùs audiunt, qui non vident, & tangendo multa discernunt; nec tanta vivacitate tangunt, qui oculis utuntur, cum uno aditu nempe luminum, represso, sentiendi vis in aliis sensibus promptior exerceatur, tanquam in altero conetur explere, quod negatur in altero: ita etiam sæpè lasciviâ cohibitâ, majoribus viribus in pecuniæ se porrigit appetitum, & illinc aversa, huc se impetu ardentiore convertit.

§. IV.

Pergitur ad proprietates desiderij.

EX dictis non erit difficile eruere proprietates desideriorum, quarum prima facilè dici potest, quòd perinde, ut flamma semper in motu nunquam quiescat,& ubi semel animam occupavit, maximam ipsi violentiam inferat. Ex natura sua per unionem conglutinatur illa corpori; per desiderium fertur ad rem amatam, ex quo æstum aliquem exsurgere est necesse. Quòd si in abditis montium visceribus stabulentur flammæ sulphure, ac bitumine nutritæ, tunc montium cacumina, rupiúmque propugnacula horrendo fragore excutiunt, disrumpúntque; & eò lethalius apparant excidium, quò diutiùs intùs hærentes exitum per hiantes montis latebras difficulter aperiunt: ita dixerim flammantia nostris in pectoribus desideria, quo uberius ex diuturnitate subeunt incrementum, eò difficiliùs moras patiuntur, nec contactionem sustinent. Omnis quidem affectus calor est; verùm, qui in cunabulis viribus destitutus moras sustinuit, ubi desiderio flagellatur in incendium excrescit, omnísque cunctationis frænum excutit, ac quævis torpens celeritas testudinea ipsi lentitudo videtur, contra quam celeriori armatur motu.

Nec solùm moræ impatiens; sed mira insuper elucet vis, & efficacia cupiditatis, quod totas exerat animæ vires, & corporis nervos intendat omnes ad expugnanda quævis impedimenta; imo naturam ipsam, atque fortunam cogere allaborat, quo præsens sibi constituat, quod cupit. Hinc bruta ferocissima sunt, & robustissima, cùm amore feruntur. Quidquid de efficacia amoris generatim dicitur, in desiderium potissimum cadit: minùs verò in gaudium, & amorem simplicem, imò præsens gaudium, vel delectatio enervat, & imbecillem facit. Opinor hoc ex eo accidere, quòd desiderium à centro ad circumferentiam constanter spiritus, ac sanguinem proliciat, ex fine scilicet ipsius desiderii, ut ad bonum absens accedat. In gaudio econtra refluxus frequens fit à circumferentia ad centrum; inde languor, & anima quasi sopita, & exstatica. Quòd si quandoque furens ferocia incitetur adversùs interpellantem; illud est ex desiderio deinceps fruendi, adeóque propter bonum absens. Præterea in desiderio vilis quædam impudentia elucet, qua indigentiam nostram ostendimus. Ad desideria recurrimus, quando deest potentia; vota non facimus, nisi ubi effectus ex nostris viribus non dependet. Excurrimus per omnia loca, & desideriis publicamus paupertatem nostram, inquirimus apud alios; quod nobis deest. Unde dignè naturam hujus passionis descripsit, qui dixit: *qui optat, honorat*, quod idem significat, ac desiderium est honor rei desideratæ, ac dedecus desiderantis. Objecta enim, quæ accendunt nostra desideria, necessariò debent habere quandam amabilitatem, quædam illicia, quæ ad se rapiant, & perfectiones, quæ fascinant: ex altera verò parte voluntas indiga magnâ premitur ægrimoniâ, cui remedia inquirit. Desiderium igitur encomium est ipsius pulchritudinis, & macula ipsius impudici: auget splendorem ipsis aureis, & argenteis cistis, & ignominiâ afficit ipsos avaros. Laudat dignitatem, & opprobrium infligit ipsis ambitiosis. Quando insidet cor alicujus Principis, statim ostendit, non esse illum adeò opulentum, fortunas illius non tam amplas, ùt videbatur, cùm ipsum cogat, proprio ex throno descendere, & aulâ exire ad procuranda cum pudore non modico subsidia, quæ domi suæ non reperiuntur. Est quidem certissimum, quod subinde Reges, & Principes desideriorum calcari incitentur ad gloriosissima, & summè ardua facinora, inspirabunt illa non rarò nobilissimum audaciæ ardorem, sine quo pleraque languent, & nihil magnanimum executioni datur: at simul docentur iidem sæpissimè posse eadem facta inutilia, & sine effectu remanere; posse eadem impediri à levissimo obice; & hinc obligari se ad vires aliunde implorandas. Solus Deus sibi ipsi est sufficiens, & hoc

est

est potissimum ipsius encomium juxta Psal. 16. *Dixi Domine*, *DEUS meus es tu*, *quoniam bonorum meorum non eges*; solus ille in omnipotentia, immensitate, & sapientia sua possidet omnia; nec est obstrictus ad formanda desideria, nec ad quærendam requiem extra se in creaturarum possessione. Igitur desiderium declarat nostras miserias, sempérque est signum nostræ paupertatis. Denique præterquam quòd desiderium inquietum, ferox, & indigum sit, insuper expleri illius avaritia nunquam potest. Gustamus bona, quæ duntaxat cupiditatem acuunt, sicut prægustatio cibi esurienti tantum est irritamentum: bona ista fluctuantia, sicut aqua marina, sitim solùm provocant. Qui plus habet, plus eget: premetur duplici egestate, & egebit pro se, & pro rebus utique egentibus, ipsæque res alias desiderant. Credo, si sensum vocibus exprimere possent, cum gemitu clamarent, & intentis multa postularent vocibus. Dives es; jam indiges famulis, qui administrent, qui servent opes, qui comitentur: jam indiges magnifica domo, & domus magnifica magnifico apparatu, atque supellectili: parietes pudet, si nudi sint: alia alia desiderant, alia aliis indigent, atque adeò magnæ egestatis non sola inopia causa est, sed etiam magna copia. Qui pauper est, nec indiget, superflua domo, nec inutilibus utensilibus, nec multis famulis. Ditior est ipso divite, qui non tantùm tot eget, quot habet; sed per tot eget pluribus, quàm habet. Nunc quæro, quomodo exsatiabunt tot indigentissima fortunæ instrumenta, quæ & ipsa fame plena sunt? an non citiùs abstinentia harum rerum famis impetum frangeret? sed quid miramur omnia non explere humani cordis sinus? inæqualia illi sunt ad Deum capiendum fabrefacto.

§. V.

Elucidantur causæ desiderij.

DEsiderii causam concinnè Plautus sub fabellæ involucro exposuit, quem ex Poro, & Penia sive ex indigentia, & copia simul exortum fingit. Indigentia quidem desiderantem premit, copia autem objicicitur consequenda, & adjicienda ad bonum innatum, quod boni deficientis desiderium ingenerat. Ego sine verborum involucris dico, causam desiderii esse agnitionem egestatis propriæ, boníque eam explere idonei propositionem. Dignitas nimirum humani cordis ad omnia se extendit objecta possibilia: credit, se habere jus supra omnia, quæ

etiam

etiam imaginationi occurrunt, & inter divitias suas numeranda bona: quæ etiam nondum possidet. Credit omnibus promissis fallacis fortunæ; blanditur sibi de omnibus, quæ fuerunt, aut futura sunt; persuadet sibi se posse justè exspectare, quæcunque felicissimis hujus mundi mortalibus obtigerunt. Ideo à magno Gregorio Apostoli, licet nihil dereliquerint, multum deseruisse dicuntur, imo tanta à sequentibus derelicta sunt, qui voluntatem habendi dereliquerunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt. Infinitæ capacitatis est cor humanum, quòd solùm adimpleri potest à bono infinito: reliqua omnia inextinguibilem sitim augent. Finis unius desiderii est principium alterius, & ita currimus ab uno odjecto in aliud, ut tandem attingamus illud, cujus reliqua omnia aliud non sunt, nisi sola umbra. Ex hac radice luxuriabant omnes inordinatæ Monarcharum appetitiones, ex hac processit ambitio Alexandri, cui parvus nimìs visus est universus orbis, doluitque, cùm conspiceret, victorias suas ab universi terminis finiri. Ex hoc fonte derivavit avaritia Crassi, qui pauperem se existimavit, etsi divitiis omnes Romanos superaret; adiit horrida deserta, ut inimicis thesauros eriperet, quos ipsis invidebat. Omnes, omnes inordinationes ex nimia capacitate humani cordis enascuntur, quòd, cùm ex natura sua anhelet ad bonum, nec inveniat, quod plenè satisfaciat, novum indagat, nec unquam certos sibi limites præscribit. Etsi intellectus noster non sit illuminatus ad exhauriendas veritates supernas, etsi voluntas non sit prædita viribus sufficientibus ad amplectendum bonum infinitum, quantum illud in se est amabile: utraque tamen potentia non desinit esse illimitatæ capacitatis, quam adimplere nequit omnium rerum cumulus. Causæ huic plerumque adjungitur noxius error, dum falsum bonum pro vero obtruditur, nostríque appetitus inani imaginatione deluduntur. O quàm sæpè injustis elogiis commendantur, quæ mala sunt, ut bona, & optabilia. Exspectationem boni, tanquam scintillam aliquam mortalium animis insevit Deus: inventionem abscondit.

Nigra illi radix, par flos albedine lactis.

hinc testificatione exteriori decepti avidè optamus, vehementiùs prosequimur, libenter amplectimur. Quid inde? necessitas quædam inevitabilis miseriarum, sive obveniant hæc bona, sive aufugiant, utrolibet modo vexabit nos suâ scuticâ fortuna, & cupido. Námque si non obtineatur, quod putatur bonum, avidéque capitur, certa est ærumna, & mæror animi, deceptione omnium molestissima spei. Si consequamur, quod optavimus, certus quoque angor veniat necesse est; apparens enim illa rerum bonitas, quam nostrum fabrefecit cerebrum, delicatis-

catissima, & tenuis est contractu dispergetur, comprehensione diffluet, intérque digitos, quasi aqua pugno constricta elabetur. Omitto alias causas, ut sunt rei novitas, & admiratio, quæ desiderium parit sciendi: oblata proemia, objecta gloria, exhibitus honor, boni sperati propinquitas, lucri facile incrementum, pinguioris fortunæ promissio, memoria patriæ, prosapiæ recordatio, facilitas obtinendi dignitatem, opportunitas aucupandi benevolentiam Principis, significatio rei quæsitæ, & quæ sunt alia id generis pleráque. Hoc præterire non possum, quòd subinde ipsa experientia voluptatis præsentis habeat vim accendendi desideria similium imposterum gaudiorum, ac quòd proinde ipsum frui sit causa iterum desiderandi. Provenit hoc ex eo, tum, quòd delectabilia habeant vim augendi cognitionem experimentali notitia, tum, quòd voluptates corporales jam elapsæ ostendant per eandem experientiam imbecillitatem ad quietandum, & explendum appetitum, nisi sæpiùs repetantur; atque augent cognitionem necessitatis quærendi alia rursus, & alia delectabilia.

§. VI.

De subjectis ad desiderandum accommodatis.

FRequentissimè hæc passio regnat in hominibus, quia plura semper ab illis absunt bona congruentia, quàm adsint; plus igitur virium, & temporis ijs comparandis impendi oportet, quàm alijs fruendis. Hinc quilibet non immeritò *vir desideriorum* vocari meretur, cùm cuique maxima pars vitæ desiderando elabatur. Præ reliquis autem ad desideria maximè feruntur juvenes. Refertur hoc in ætatis ferventis æstum, & quòd sint difficultatum inexperti, faciléque bonum propositum apprehendant, ut obtentu non operosum. Quodsi sanguinis in eis abundantia, & bilis vigeat, vehementibus, & acutissimis flagrabunt desideriis, quæ tamen ob humoris mobilitatem facilè residunt, nec pertinaciter obdurantur. In frigidis item & siccis facilè ob meticulositatem, & caloris egestatem multiplicantur desideria, eò quòd suam imbecillitatem habentes compertam, diffidant suis viribus, & assecutionem desperent; unde desiderij mutatio identidem consequetur. Quòd autem humorum potentia variis qualitatibus imbuta ad excutiendas cupiditates sit aptissima, constare videtur in quibusdam personis ex præposteris eorum desiderijs, quoad cibos ab hominis comestione alienos. Hoc non tantùm

tùm mulieribus circa tertium menſem uterum geſtantibus evenit, ut ita improbè appetant; ſed etiam in aliquibus eſurientibus vi famis, quam bulimiam vocant, atque etiam morbo majoris inteſtini laborantibus multa intolerabilia accidunt. Si enim ſtomachus atra bile refertus erit, vitia ſua ad os ſtomachi transmittet, atque ita carbones, aut lateres, & id genus fictilia appetet; ſi pituita acida, ſapores acidos concupiſcet; ſi bilis vitulina; pinguia quæret; ſi alia miſcella fiat, aviditas quoque guſtandi alia oborietur. Cur igitur varia humorum temperies ſervire non poſſit etiam ad alia varia deſideria excitanda? denique imaginoſi, & in eo, quod ſemel animo receperunt, ſemper defixi, ægerrimè depellunt deſideria, quibus ſemel fuerunt incenſi. Hinc brutorum animalium concitata quidem ſunt deſideria, ſed tamen quàm breviſſima. Vaccarum una die alteráve mugitus auditur; nec diutiùs durat equarum vagus ille amênsque diſcurſus. Cùm feræ aliquoties catulorum veſtigia conſectatæ ſunt, & ſylvas pervagatæ; cùm ſæpiùs ad cubilia redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt, nec ulli animali longum ſui fœtus deſiderium eſt. Solùm homo, qui tenaciori phantaſia pollet, obfirmatè magis deſideria concepta fovere ſolet.

§. VII.

Quinam conjungantur affectus interni cum deſiderio.

EX cauſis & proprietatibus facile erit deducere, quinam naſcantur effectus ex deſiderio. Cruciatus, & tormentum eſt potiſſimus, qui animum pacatum eſſe non ſinit, ne quidem cùm aliquo bono fruitur. Oculi rem aliquam remotam cernere cupientes, plùs ſatis, & ſupra vires intenduntur, & dum fruſtrantur, nec eam valent exactè cognoſcere, inſuper conatu ſuo nimio hebetantur. Sic fremitus obſcurus auribus à longinquo allapſus eas excitat cupidas rem cognoſcendi propiùs, & ſonitum percipiendi clariùs. Quo tamen eſt obſcurior; & quò minùs augetur, eò magis accenditur deſiderium nihil proficiſcens. Ad hunc modum niſi bonus medicus cohibeat diffundentem ſe concupiſcentiam, circumquaque corpus occupabit, nec ullam partem dolore intactam relinquet. Hujus doloris acerbi, quod teſte Scriptura prov. cap. 12. accidit, multi homines impatientes elegerunt crudeliſſima ſupplicia, tanquam dulcia remedia, ut liberarentur tam indomito morbo. Inter ſupplicia ad puniendos reos inventa vix eſt ſeverius aliquid exiliô, quod nos ſeparat

parat

parat ab omnibus, quæ diligimus, & solùm longiorem vitæ usum concedit, ut diuturniore morte affligamur. Et tamen juxta Senecam ad Helviam cap. 8. inventa est mulier, quæ pati maluit exilium, quàm desiderium. Hinc benignissima mater natura, cùm prævideret, intolerabiles futuras desiderii plagas, suppeditavit etiam spem, ut amaritiem deliniret, curavitque, ut nunquam in via hac expromantur appetitiones, quas animus noster sibi non priùs persuadeat adimplendas. Apud inferos solùm hi duo affectus à se invicem separabuntur in anima, ubi justitia Divina condemnabit impios ad acutissima desideria sine ulla spei dulcedine, ad expetendam beatitudinem, ad quam tamen in æternum non pertingent. Suspirabunt in illa omnium malorum abysso ad fontem omnis boni, & non obstante qualicunque odio concepto erga Deum, à quo acerrimè castigantur, non desinunt tamen naturali inclinatione in illum ferri, & ejus fruitionem exoptare, quamvis omnis obtinendi illius spes ipsis sit præcisa. Hoc desiderium erit illorum immanis carnifex, tormentum ipsis inferni flammis, ipsa dæmonum societate, & infelici æternitate gravius: hoc, si abstinere possent, reliquæ omnes pœnæ, quibus animæ abjectiores terreri solent, minùs rigidæ evaderent; modò non essent coactæ ad anxiè appetendam felicitatem, quam sperare non possunt. Amaritudinem multùm auget dilatio interposita inter bonum, quod desideratur: æquiore quidam animo ferent præcidi spem suam, quàm in longum adeò trahi. Secundò vexatio hæc acuet industriam desiderantis. Hinc fit, ut quorum desiderium concitandum proponitur, ijsdem aliquamdiu negetur usus rei concupitæ; quorum enim habemus usum, eorum cupiditate haud facilè tangimur, animo segni securitatem permittente: sin ab ijs prohibeamur, quæ pridem tenebamus, contra accidit; & tantò impatientiùs feretur obstaculum, quantò amantior est quilibet suæ libertatis. Sanè vix est alia causa, cur ad prohibita adeò exardescat animus, & ùt illustrat Poëta:

Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata.
Sic interdictis invidet æger aquis.

& illud ejusdem:

Quidquid servatur, cupimus magìs, ipsáque furem
Cura vocat; pauci, quod sinit alter, amant.

Tertiò denique unum desiderium ex alio pullulat, nec solùm quiescere non sinit hominem, donec re optata potiatur, sed fætu novæ prolis usquequaque amplificatur, quia caducum est, & leve omne, quod desideramus, nisi ad æterna, & increata figatur anchora. Sunt quædam apud Indos volucres, quarum clamor advocationem simulat, &

hunc sonum reddit: *Heus, hic est.* Clamorem audientes rati se vocari, appropinquant, qua vox descendit: aves accedentem intuitæ, remotiùs fugiunt, & consident, ubi iterum restaurant eandem cantionem: pergit illuc, qui cæperat quærere vocantem; rursus viciniore illo, avolant volucres recinentes simile: iterum sequitur ille, donec per diversa tractûs loca viam amittat, & in inquisitione hac fame cum multis pereat. Non aliud sunt rerum creatarum ludicra advocantium ad se simplicem voluntatem. Boni quemdam clamorem edunt: quidquid placidum, quidquid pulchrum est, non solùm vocale est, sed suasorium. Singulæ vociferantes dicunt: heus, hîc est bonum. Occurrit cupiditas id verum rata; fallitur: statim transvolat aliò hæc boni species. Sequitur avaritia: rursus aufugit, quod placebat. Iterum insectatur illa; recedit istud. Sic semper proficiscitur cupiditas, nunquam venit: sic erramus, sic aberramus, sic devii imus, sic nos gerimus, sic fallimur istis volucribus bonis, sic perpetuò desideriò angimur, donec assidua fame conficiamur.

§. VIII.

Quinam motus in corpore fieri soleant ad passionem desiderij.

MOtus, qui in corpus inducuntur in hac passione ex animæ mandato, præcipuè observantur esse prominentia & fixus oculorum intuitus; tremor labiorum ab aqua, qua os suffunditur, procreatus; variæ vocum inflexiones, discursus, atque silentium, totiúsque corporis irrequieta agitatio. Oculi in desiderantibus assueverunt esse procaces ac devorantes, seu quod in idem recidit, avidi: unde adagium illud: *oculis aliquem devorat*, quo indicamus, quòd cum inflammatione quadam animi alterum aspiciamus. Cùm enim desiderii natura sit, ut rectè pergat ad exsecutionem operationum exteriorum, quæ sufficere possint ad inducendam præsentiam rei concupitæ; non est mirum, quòd spiritus in majori copia foràs ad oculos profluant, eósque simul vivacitate, & splendore aliquo repleant. Quia autem fieri potest, ut cum affectu concupiscentiæ alij affectus interiores conjungantur, eò quòd appareat concupiscenti alias passiones interiores; cum effectibus eorum proprijs, esse opportunas ad consecutionem rei delectabilis, pro varietate harum diversæ

etiam

etiam vocum inclinationes enasci solent. Præsertim autem intuemur desiderijs plenos semper inquietos, continuò locum, & situm commutare, oculos nunc huc, nunc illuc jacere, se modò in hoc, modò in aliud latus convertere, nunc sedere, nunc stare, incedere modò, modo subitò ab incepto itinere desistere, quæ omnia variarum resolutionum, quas anima perpetuò mutat, effectus esse solent. Cùm autem anima conatum adhibeat, ut optato bono perfruatur, similes motus etiam membris imprimuntur. Hinc caput profertur, brachia extenduntur, inceditur, aut potiùs volatur magnîs, & concitatîs passibus ad desideratum objectum. Vultus interea ex nimio sanguinis appulsu, qui in hac passione ad externas partes diffunditur, rubescit, ipsiúsque boni tam concupiti absentia, dum attento animo pervolvitur, lachrymas ex oculis elicit. Calidiores tamen sunt hæ lachrymæ, quia ex æstu amoris nascuntur, & ex calore desiderii prodeunt. Hac de causa D. Magdalena, quæ Magistrum in domo Simonis ardentiùs amavit præsentem, geminatis suspiriis, & multîs lachrymîs quærebat absentem; quo tamen fletu nolebat desiderium extinguere, sed potiùs ejus ardorem magis accendere. Sic etiam Ægyptiacus Prorex Josephus, cùm intellexisset, Iacobum Patrem senem adhuc vivere in Chananitide, uberiori exarsit desideriô eum videndi, faciêmque uberrimis irrigavit lachrymis, ut dulci fletu dilata interim desideria satiaret. Cùm autem ob emissam nimiam quantitatem spirituum ad partes exteriores, tum cor, tum arteriæ distendantur, hinc istarum motus magnus ùt plurimùm comperitur, frequens etiam ex nimio impetu, & festinatione, cum qua spiritus protrudi solent. Denique uberiorem etiam aquam ad os transmittit, & ubi desiderata objecta conspicit, pergrato quodam humore perfundit linguam; vel quia de rebus istis sermonem instituere lubet, vel quia imaginatio objecta præsentia reddens, illam ipsam affectionem organo imprimit, quam efficerent, si re ipsa ore tenerentur. Unde abundantia æquæ in ore, etiam effectus appetitui alimentorum proprius, scaturit.



DISSERTATIO IV.

De fuga, ſeu abominatione.

§. I.

Attingitur natura fugæ, ejúsque comparatio cum aliis affectibus.

FUga è diametro oppoſita eſt deſiderio, ut amori odium, lætitiæ triſtitia, dicitúrque eſſe incitatio animi ad diſcedendum à malo, ſeſéque adversùs illud muniendum. Ut tamen hujus natura magis pateat, breviter ordinem attingemus affectuum, quibus appetitus à malo per facultatem cognoſcentem propoſitô abhorret. Sicut igitur, cùm agitur de bono aliquo per appetentem facultatem amplectendo, præmiſsâ ejus notitiâ, exſurgit primùm amor ſimplex, qui eſt boni illius ſecundùm ſe præcisè ſpectati velut ſuaviatio, & prægustatio; tum deſiderium, quo bonum illud non jam ſimpliciter, & ſecundùm ſe tantùm, ſed etiam ut aſſequendum, & involutum diſtinctè abſentiâ appetitur; tandémque ſequitur gaudium de eo adepto, & complacentia: ita proportione ſervata, facultas appetitiva circa malum propoſitum elicit primò odium ſimplex, quo ſimpliciter averſatur malum illud; dein ſi malum illud abſens ſit, apprehenditur fuga, quæ pro abſentiæ multiplicitate varia, & multiplex eſſe poteſt. Si enim malum in futurum impendeat, fiátque ardua ejus declinatio, tunc fuga coincidit cum timore. Si autem malum futurum non appareat eſſe declinatu arduum, actus ejus averſativus, qui elicitur, ſervabit communem fugæ appellationem. Utrumque hunc actum contingit roborari per adjunctam appetitionē aſſumendi media ad declinandum malum impendens, quæ appetitio vocari poteſt propoſitum. ſi autem malum abſens jam abierit, fuga ejus donatur nomine deteſtationis propriè & ſtrictè acceptæ, quæ ſupponit malum præteritum non ampliùs perſeverare: præceſſiſſe tamen antea; ídque ipſum facultati appetenti amaritudinem cauſat. Si modum illius tendendi deſideres, aio, ſic concipi poſſe: *nollem, fuiſſet.* Si denique malum præſens incumbat, inducitur triſtitia, quæ eſt meta totius progreſſûs averſativi circa malum. Differt igitur fuga ab odio ſimplici, quòd illud ſit averſio à malo, præſcindendo, utrum hoc ſit præſens, an non: à dolore item, quia hic eſt



Nestio, an in Sylvas, an eam mergendus in undas.

Ih. Böck Sc.



est de præsenti, & mali fuga posterior. Evidens etiam est distinctio realis, & entitativa doloris & fugæ, quòd in beatis subsistat summa fuga, ac peccatorum detestatio, nec tamen locum habeat tristis dolor, à quo felicissimus ille status est omninò immunis.

§. II.

Quomodo fuga posit esse in appetitu, cùm bruta futura non attingant?

CIrca fugæ naturam non sunt dissimulandæ duæ difficultates, quarum prima spectat malum futurum, quod non videtur posse per phantasiam appetitui sensitivo prælucentem repræsentari, cùm sensus non feratur in futurum: igitur neque facultas appetitiva poterit malum futurum aversari, ut argumentantur Seneca, Medina, & alii, quibus etiam Aristoteles 3. de anima textu 53. favere videtur. Judico tamen obicem hunc tantum non esse; ut ob eundem statim sit fugiendum, & dico, bruta præconcipere, & interno sensu attingere tam malum, quàm bonum futurum. Malum enim, quod plerumque bruta efficaciter refugere satagunt, quando ad sonum terrificum priùs aures erigunt, & aliquamdiu suspensa hærent in exspectatione mali non est adhuc positum, sed superest ponendum, idque ipsum bruta non latet: at hoc est esse malum futurum, & percipi ùt futurum: cur igitur negemus futurum non posse à bestiis attingi? similiter admittit S. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 3. brutum ferri in rem sub ratione possibilis. Nam quando canis leporem nimiùm distantem conspicit, non movetur, quia nempe cognoscit, se esse ejus assecutioni imparem, atque adeò eam sibi non esse possibilem: apprehendet autem eam ùt possibilem, si lepus propinquior fiat. Hæc autem possibilitas adipiscendi, tametsi ruditer, & confusè percepta denotat ordinem ad tempus futurum, & ad opus in eo futurum; cùm possibile dicatur per actionem alicujus, quod potest per eum futuro tempore effici. Igitur futuri perceptio non est brutis deroganda.

At quàm vera est præsensio mali futuri, tam arduus accidit modus eam exsplicandi. Angelicus reccurrit ad Deum, qui prævidet omnia futura, vúltque ab illo infundi brutis instinctum, perinde, ac si noscerent futura, quod non videtur ex integro satisfacere. Vel enim intelligit Divus Doctor à Deo bestiis immitti veram cognitionem apprehensivam

rei

rei primùm imminentis, & ſic dari cognitiones per ſe infuſas? & hoc eſt recurrere ad miracula ſine ulla cauſa. Vel negat Aquinas tales cognitiones? & tunc cùm brutum ferè non habeat nec à ſe, nec infuſam à Deo cognitionem probabilem rei futuræ, movebitur in eam cæco, & mortuo modo, ùt movetur lapis in centrum, quod non cognoſcit, nec poterit ulla ratione exſplicari paſſio fugæ. Alii igitur rejecto hoc inſtinctu, aſſerunt in brutis tantùm excitari recordationem mali aliàs inflicti. Sed inſto. Vel brutum præcisè attingit cognitione ſua malum præteritum? an ex ejus perceptione fertur ad percipiendum aliquod malum imminens? ſi primum defenditur: ſequitur tantùm refricari memoriam mali antecedentis, proindéque non aliter affici, quàm cùm aliquando caſu incidit in cognitionem mali præteriti, ejúſque recordatur. Sed hoc videtur plauſibiliter eſſe reijciendum; ea quippe recordatio non afficit brutum eodem modo, quo cùm præſagit malum imminens, ideóque fugam capeſſit, aut aliter, qua ratione poteſt, conatum ſuum prodit ad mali impendentis declinationem. Si verò dicatur ſecundum, concedatúrque brutum ferri in malum imminens, reſtabit ipſe modus explicandi. Adhuc duriùs vexabitur, qui hæc aſſumit, quando brutum prima vice fugit ob incommodum re ipſa nondum poſitum. Quando enim columba prima vice umbram conſpicit volitantis per aëra accipitris, ſeſéque in fugam conijcit, ob ungues nunquam adhuc infixas, in hoc caſu occluditur omnino recurſus ad recordationem ſimilis mali priùs illati, cujus recordatione brutum ad fugam commoveri poſſet.

Hinc ſunt alij, qui quamvis ſupponant, ſenſus exteriores non poſſe ferri in rem nondum poſitam, à qua ad agendum determinari poſſint: tamen affirmant id de ſenſu interno, qui præter notionem ab extrinſeco adhibitam, adjungit rationem aliquam exteriùs inſenſatam, ad quam percipiendam volunt ſenſum internum ex natura ſua eſſe determinatum, cùm primùm objecti applicatio ſenſus externos ferit. Hac ratione ovis, efficta in ſenſu interno lupi ratione, quo modo exteriùs à ſenſu repræſentatur, excitatur inſuper ad efformandam notionem inimicitiarum, nec lupum eô tantùm modô imaginatur, quo exterius eſt ſenſibilis, ſub qua ratione lupus lupum, quem conſpicatur, apprehendit. Similiter ſenſus internus attingendo aliquod præſens fertur ſimul in rationem alicujus futuri, cum præſenti illo connexam, eámque percipit mediante notione per illud præſens illata. Quidquid ſit de hoc exſplicandi modo, quem ego nec approbo, nec improbo; dici poteſt, quòd bruta cognoſcant cauſas per ſe ſenſibiles, in quibus præcontinentur effectus nondum exiſtentes, & in his etiam præſentiant id, quod erit. Futuritio enim non diſtin-

distinguitur ab existentia causarum per se sensibilium, quas vel visu, vel alio quovis sensu percipiunt. Adde, quòd sermo non sit de re strictè futura, sed de objecti absentia respectu operantis; hanc autem absentiam nobilissimè cognoscunt bruta, cùm hæc in alio non consistat, quàm quòd objectum ab uno distet: certum est autem Arriagæ in libris de anima, quòd bruta videant inter se distantias, & ubicationes rerum, quocunque id tandem sensu fiat. Per hoc tamen non admitto prænotionem futuri in somniantibus, & furore correptis; multò minùs credendum est competere bruto cognitionem futuri in actu signato, & cum ea temporis subsequentis ad præcedens comparatione, quæ rationis usum expostulat; hoc enim vires illius superaret. Sufficit, ut brutum in actu exercito cognoscat futurum in sua causa, vel rei à se distantiam.

§. III.

De modo detestationis.

Altera difficultas est, de detestatione mali præteriti, si robusta, & efficax sit, nec tantùm ad modum simplicis displicentiæ; videtur enim impossibilis, & in superiore, & in inferiore appetitu, cùm nulla facultas feratur efficaciter in aliquid impossibile, quippe prorsus destitutum ratione motiva facultatis appetentis. Atqui objectum actûs prædicti ponitur non existentia rei præteritæ, quam non existentiam liquet esse impossibilem, supposita existentiæ oppositæ præteritione. Igitur in appetente facultate vigere non potest actus efficax tendens in destructionem rei, quæ præteriit, intendendo efficaciter, ut non fuerit. Statuendum nihilominus est actum fugæ mali præteriti non conditionatum duntaxat, sed etiam absolutum, efficacem, & robustum esse admittendum. Non hæreo in probando, quòd aliquis actus positivus facultatis appetentis ultra simplex odium, quod nulla ratione spectat destructionem mali, exerceatur actualiter circa hujusmodi impossibile præteritum, qui exprimitur illis verbis: *nollem, fuisset.* Id enim persuasissimum est Theologis, qui docent partem primam Sacramenti pœnitentiæ esse actum aliquem immediatè aversantem delicta perpetrata; quæ non esse repugnat, cùm ad præteritum non detur potentia. Hunc insuper actum volunt non esse displicentiam simplicem, sed debere esse detestationem, quæ, si fieri posset, prohiberet sceleris admissi existentiam, causarétque dolorem facti præteriti. Porro impossibilitas objecti non obstat formationi actus præ-


dicti, quia voluntas non nititur in objectum, nisi sub conditione possibilitatis. Supposita igitur veritate detestationis, sive fugæ declarandum restat, quomodo ea aversio possit esse actus absolutus, & efficax. Assero igitur, etsi talis actus dici possit conditionatus ex parte objecti; attamen ex parte potentiæ eum elicientis non est conditionatus, sed absolutus. Sensus enim locutionis illius; *nollem, si possibile esset*, non debet statui iste: *si hoc esset possibile, elicerem actum nolitionis, quem nunc non elicio, sed duntaxat per intellectum declaro, quam voluntatis actionem eliciturus essem, si ea conditio, quam deesse video, interveniret.* Ubi utique nullus eliceretur voluntatis actus, odio simplici ulterior; quia ùt ajunt Philosophi conditionalis nihil ponit in esse, quamdiu conditio non ponitur. Quare conditio, quæ intervenit, tenet se ex parte solius objecti, in quod voluntas non tendit, nisi prout convestitum aliqua conditione, v. g. possibilitatis. Hac ratione non implicat actum re ipsa elicitum, & eatenus absolutum terminari ad conditionem aliquam, per quam non suspendatur. Sic enim quando hic, & nunc elicio volitionem dandi aliquid Petro, si talem ille conditionem impleverit, actus est re ipsa præsens, & elicitus, ita ut sine novo meo actu donatio efficiatur valida, cùm primùm Petrus conditionem fuerit exsecutus. Cur ergo idem fieri non possit in actu aversativo fugæ, de quo quæritur? Quòd verò actus iste sit inefficax ex parte effectûs, quem actu non ponit, quique poni nequit, clarius est, quàm ut de eo multis contendi possit; quantumcunque enim homo conetur, fieri non potest, quin actus culpæ præelicitus antecesserit. Est tamen hic ipse actus aliquatenus efficax, non modo quia de facto excludit à voluntate quemcunque actum similem præterito, quem per istum aversatur; sed etiam quia vi hujus actus voluntas ita afficitur, ùt si effectus esset possibilis, illicò esset ponendus non exspectato ullo alio voluntatis actu: quod demonstrat non stare per actum & ejus efficacitatem, quo minùs effectus ponatur, sed præcisè stare per impossibilitatem effectus.

§. IV.

Reliqua succinctè ingeruntur.

Causæ excitantes passionem fugæ sunt mala omnia, quæ damnum, incommodum, aut molestias afferre possunt. Tria autem sunt malorum genera, à quibus per fugam appetitus se avertit. Quædam mala animal

animal interimunt; cujus modi sunt flumina, præcipitia, naufragia, incendia, eluviones, hostium incursiones, ferarum impetus. Alia quæ ingenti sunt nobis molestiæ, ùt parentum amissiones, conjugum, liberorum, fratrum, amicorum, fortunarum, honorum, dignitatum; ignominia, carceres, exilium, infamia; amissiones itidem bonorum spiritualium. Alia denique tanquam signa rerum ejusmodi indicant periculum, qualia sunt portenta, prodigia, & alia id genus, quæ præter communem rerum naturalium cursum obtingunt, ac gravissimos solent mortalibus terrores incutere. Præsertim excutitur hæc passio dolore, aut pudore. Proinde ex naturæ institutione passio fugæ ordinatur ad hominem avertendum à malo tum culpæ, tum pœnæ. Quamquam nisi cætera incitamenta succurrant, non satis præsidij subministretur ab hujusmodi pathemate adversùs scelera, quorum nonnulla quandoque pudor, sive erubescentia non comitatur. Contra verò malum pœnæ dolorem, aut externum, aut intimum secum perpetuò affert. Hinc ex perverso genio abutitur homo hac passione, ut fugiat malum pœnæ præ malo culpæ, & abominetur visa mala præ veris. Effectus, qui in corpore producitur, solet esse affluxus spirituum in eas partes, quæ idoneæ sunt, ut animal à malo divertat, aut illi aditum obstruat, & à conjunctione arceat. Hinc subinde sanguis ad centrum refluit, ut exinde frigescant, & concidant externæ corporis partes, & clausis ea ratione poris sensus mali obtundatur, aut excludatur, custodito interim corde, & partibus nobilioribus ab illius accessu prohibitis. Quandoque cùm expedita patet via ad recedendum remotiùs ad circumferentiam spiritus delabuntur; ad pedes videlicet, & cæteros actus. Reliqua conveniunt abominationi contraria, proportionaliter ad eum modum, quo diximus desiderio competere; quæ quia similia sunt, non expedit distinctiùs suggerere. Tædiosum enim est, nec utile, quando quivis facilè accommodare potest, similibus jam expositis.



DISSERTATIO V.

De delectationis passione.

§. I.

In quo constituatur delectatio?

LIcèt omnes animi passiones delectationi palmam concedere cogantur; licèt inter illa sit quasi sol, cujus radiis omnium reliquarum splendor obfuscetur. Ejus tamen natura tenebris plurimis videtur esse involuta. Prout illa abstrahit à passione, & rationalis appetitûs affectu, vocatur 7. Ethic. cap. 13. naturâ divinum quiddam. cap. 11. omnium rerum finis architectonicus, & mensura bonitatis omnium rerum. Si spectetur ùt operatio sensibilis, & corporea, definitur illa ab Aristotele lib. 1. Rhet. cap. 11., *quòd sit transitus sensibilis ad statum corporis convenientem naturæ, in quo quiescat.* Quam definitionem, si volueris, sic exsplicare poteris. Delectatio est affectio appetitûs, quo anima in adeptione boni quiescit. Aio esse affectionem appetitûs: non enim qualiscunque suavis, & jucundus sensus, quem secum afferre solet operatio vitalis, cùm perfectè versatur circa objectum conveniens, delectatio vocari potest; aliàs in facultatem quoque cognoscitivam, quando perfectas rerum notitias producit, delectatio cadere posset. At quis dicat, dœmonem, qui clarissimâ rerum naturalium notitiâ est præditus, perfundi voluptate? insuper si in facultate cognoscitiva admitteretur delectatio plusquam causaliter, frustra alia formalis delectatio in appetitu assignaretur; cùm omni delectationi appetitûs præluceat notitia perfecta circa objectum conveniens, cujus delectatio abundè sufficeret ad munus, cui natura delectationem destinavit. Solet etiam ab imperitis delectatio existimari esse illa perceptio objecti convenientis, quæ fit in sensu externo, v. g. delectationem gustûs appellant perceptionem esculentorum; sed immeritò confunditur id, quod causat delectationem, cum eo, quod est formaliter delectatio; nam objectiva, & causalis delectatio cognitio quædam est, at ipsa delectatio, cùm versetur circa bonum, in appetitu est constituenda. Dicitur præterea, quòd anima per delectationem in adeptione boni quiescat; cùm enim omnis motus tanquam medium ordinetur ad quietem tanquam consecutionem finis, & eo obtentô quiescat; etiam desiderium, quod

est



Exhaustis subeunt gaudia plena malis.

F.B. Lutz Sculps. a.V.

est motus tendens ad præsentiam rei delectabilis, oportet, ut cùm hoc fuerit præsens, succedat motui quies. Igitur, si delectatio promittat nobis bona, facit insuper, ut cum voluptate ijs perfruamur; si ostendit flores, affert insuper secum fructus; non solatur verbis tantum, sed effectu ipso beatos nos reddit. Sicut amor est principium, ita delectatio est finis omnium passionum. Terminum figit volatili desideriorum impetui, cogit gustare quietem, quamvis hæc desideriorum naturæ repugnare videatur: delinit nativam iræ feritatem, quam ubique secum affert; compensat obsequia præstita audaciæ, éstque ipsamet delectatio præmium omnis ardui laboris, qui pro eadem obtinenda suscipitur. Timorem abigit, omnésque vanos timores, quæ animam perturbant; interimit desperationem, quæ ad illius ruinam dicebatur conjurâsse; destruit suâ præsentiâ tristitiam, & absumit lachrymas, ac suspiria, tanquam spolia, quæ ex inimica passione retulit, amor ipse oblectatur, quando conspicit, se post tot viarum ambages tandem ad optatam metam, pervenisse. Econtra desiderium, dum indigentiam suam nobis ostendit, simul pudore nos suffundit. Spes non titillat sine stimulo timoris, & hæc duo se ita individuè comitantur, ut timor vix non degeneret in tristitiam, si à spe deseratur; & hic in desperationem migret, si à suspicione derelinquatur. Audacia commiscet nos pulveri, sudoribus, laboribúsque, si gloria obtinenda blanditur, altera ex parte periculum terret, minitatúrque. Odium semper nos ipsos torquet, & malum quod inimicis precamur, nostra rodit viscera. In fuga deficiunt vires, & abominamur objectum, quod offendit, quia ab eo defendere vix nos possumus. In desperatione depositis armis victori cedimus, & devicti in triumpho ducimur. Tristitia miserrimos nos reddit, & memoria peractæ felicitatis ad aliud non servit, quàm ut præsentes dolores magis augeantur. In delectatione omnes absolvuntur labores; omnia complentur desideria, profunda tranquilitate fruimur bonô tam diu quæsito, & felicissimè in termino constituimur. Quæ dicta sunt de delectatione corporea, proportione servata, de spirituali etiam sunt intelligenda; quod enim est appetitui sapor per gustum, & phantasiam, id voluntati est bonum per intellectum exhibitum, cùm rebus intelligibilibus etiam suus non desit sapor. Tunc autem voluntas congruè propositum amabit objectum, déque apprehensa veritate exultabit. Quando autem delectatio pervadit à corpore ad voluntatem, tunc intellectus representat eidem bonum sensibile ob naturalem potentiarum externarum subjectionem, quod non fit, ubi objectum est merè externum, nec ullum percellit sensum; sed solo intellectu tenetur delectabilitas.

§. II.

Enodantur aliquæ difficultates circa naturam delectationis.

NOn sunt hîc oblivioni danda, quæ contra hanc explicationem videntur niti. Primò igitur aiunt delectationem, sicut omnem passionem, esse motum, esse perturbationem; motus autem opponitur quieti; cùm quies sit terminus, & cessatio motûs. Multò magis opponitur perturbatio, cùm per illam tanquam per rem naturæ contrariam animal malè habeat; per quietem verò naturæ conformem animal gestiat. Sed hæc omnia distinctione facilè declinantur; alius nimirum est motus intentionis, & alius exsecutionis. Delectatio est meta motûs spectati quoad ordinem exsecutionis, cùm omnis exsecutio cesset, quando bonum intentum redditur præsens, & possessum. Secundùm ordinem verò intentionis delectatio non est cessatio, sed motus omnium maximus; cùm delectabile præsens omnium maximè inclinet appetitum ad inhærendum sibi per actum. Non est igitur quies ista otiosa, sed vitalis, ac proinde operosa, quæ objectum ita intrò amplectitur, ut illud quasi suscipiat, & ita sibi conjungat, ut moraliter unum, & idem evadat. Quod perturbationem spectat, ea adjacet delectationi per accidens ratione organi corporalis, & præterea semper præeminet ratio quietis imponentis finem exsecutioni, labori, ac defatigationi ex quo facilè celebris illa inter Platonem, & Aristotilem lis evolutis vocibus definitur; num scilicet sita sit voluptas *in fieri*, vel *in facto esse?* quod Aristoteli est operatio, idem Platoni est generatio, & in fieri: quòd verò designat in facto esse, est ipsa quies. Itaque controversia componitur, si dicatur in quiete operosa, & in operatione pacata, & quasi circulari delectationem reponi. Alterum, quod affertur, est, voluptates corporales, quibus vel maximè convenire deberet ratio passionis, non invehere quietem, sed magis irrequietam progignere sitim, & aviditatem. Unde orta est vulgaris comparatio voluptatum corporalium cum hydrope, de qua dicitur:

Quo plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ.

Poëtæ adjungo convenientissimum ex Augustino locum, qui habetur tractatu 15. in Joan. cùm pervenerit, inquit, quisque ad voluptatem sæculi hujus, cibus est, potus est, spectaculum est &c. nunquid non iterum sitiet? accedit voluptates corporales plurimùm nocere, & initium

tium esse plurimorum dolorum. Blandissimæ dominæ sunt, quæ facillimè sibi obtemperantes faciunt. Unde salutare monitum Horatij:

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Si corporalem voluptatem admittis, jam fidem dolori promittis, quem non excludes, quia uterque eâdem januâ introducitur. Quemadmodum nox sequitur diem, ita angor aliquis succedit nimiæ lætitiæ, nisi quòd impares sint: noctes invenies breviores luce: dolor, qui cum voluptate divisam habet vitam, velut Castor, & Pollux lumen, plerumque prolixior est lætitiâ. Nolo quidem delectationibus favere; si physicè tamen discurrendum, suum cuique jus est tribuendum. Quapropter assero, sitim, & anxietatem non consequi ad cognitionem boni præsentis, & ad præsentem voluptatem secundùm se, sed ratione adjunctæ simul cognitionis delectabilium absentium, & necessitatis eorum. Cognoscitur enim, delectabilia sensuum ex sua natura esse fugacia, nec singula plenè satiare, sed indigere assidua successione, & substitutione aliorum post alia: & quia hæc cognitio quoad utrunque evadit major ab experientia uniuscujusque oblectationis corporalis, insufficientis ex se ad felicitatem, ideo procreant ejusmodi elationes hilares sitim, & irrequietam solicitudinem. Nociva gaudiorum malignitas, quæ improbis, nescio, quibus nos prodit, non oritur ex conceptu voluptatis sed ex nimia abundantia eas in vitium vertente.

§. III.

Suggeruntur proprietates nostrarum delectationum.

IN popularibus, & futilibus delectationibus, quæ sensu funguntur, primariò considerandum, easdem esse turbidas, & fæculentas. Præterquam enim, quòd, ut obtineantur, semper requirant pro sui pretio multò majora desideria, quàm valeant, commixtæ semper sunt perpetuo dolore. Exhibe mihi voluptatem ab omni malo defæcatam, & aliqua laude dignam: quam nulla excipiat pœnitentia: hac ego lege non ægrè feram, si deserta virtute ad gaudiorum castra deficias. At ubi ostendes, quæ non sit vitiata mœrore, in loco, ubi nihil sanum, nihil solidum natura hominibus concessit? rosæ istæ spinis sunt conjunctæ: externâ gratiâ molestiam obtegunt, & tantùm non aperta nos voce contestantur, & dicunt: quæ jucunda sunt vobis, ò homines, tristibus permiscentur.

Ex

Ex omnibus vix ullum ſincerum reperies gaudium ; ſed hilaritati conglutinatur mæſtitia : conjugio viduitas ; puerorum educationi cura, & ſolicitudo ; fæcunditati abortus ; vitæ ſplendori ignominia ; proſperis ſucceſſibus diſpendia, deliciis ſatietas, ſanitati infirmitas. Præſertim autem aculeum infixum relinquunt in ſuo diſceſſu, per quem vel omnis anteactæ dulcedinis ſenſus extinguitur, vel profundius doloris vulnus infligitur. Hinc ſapientes te monent, ut, ſi animo occurrat fallaci ſpecie ineſcans voluptas, tibi modereris, nec primo ſtatim impetu movearis. Rem examina, & tibi ipſi deliberandi ſpatium præbe. Deinde utriusque temporis memento, tum ejus, quo voluptate perfrueris, tum ejus, quo percepta jam voluptate dolebis, téque ipſe objurgabis. Hæc non ſemel, ſed bis, aut ſæpiùs confer. Si pœnitentia omnis abforet, ſemper tamen iſta viciſſitudo interveniet, ut recens objecti conjunctio vehementer delectet, mox verò moderatè : tandem dolorem inducat. Cur hoc ? nimirum prima voluptatis affectio ex novitate maximè advertitur : in progreſſu verò minùs : donec ſenſum doloris faciat ſcilicet diſtractis, aut debilitatis organi fibris.

Altera proprietas, qua puritas delectationis vitiatur, eſt perniciſſima illius fugacitas. Umbra, ſomnium, fumus, & quidvis eorum, quæ quàm celerrimè avolant, naturam delectationis vix referunt. Secundùm ſe, & ex genere ſuo non eſt in tempore ; ſed in ipſo ortu jam in occaſum præcipitatur. Illa enim dicuntur eſſe in tempore, in quibus datur ſucceſſio partis ad partē. Hoc autem repugnat oblectationi, quæ non conſiſtit in fieri, non in motu aquiſitivo, ſed in termino ipſius exſecutionis. Quòd ſi ſubinde delectatio ſenſibilis longiori tempore perſeveret, id vel ex objecto, vel ex ſubjecto tranſmutabili contingit. Sic quia omne ſubjectum, voluptatis ſenſibilis capax, eandem non percipit ſine transmutatione ſucceſſivè in humoribus exiſtente, hinc in momento non faceſſit : & quia ipſum etiam objectum admittit ſucceſſionem, cùm pleraque delectabilia ſensûs fugaciſſima ſint, ideo iterum accidere poteſt, ut in ipſo tranſitu non pereat hæc paſſio, ſed tempori commenſuretur. Cæterùm ſi objectum ſuave eſſet depuratum ab omni transmutatione, & ipſe affectus perageretur ſine inſtrumento corporei organi, quod ſolùm continget in cœleſti beatorum ſede, delectatio non adæquabitur temporis tranſitu. Aliquoties memoria non ceſſat nobis repræſentare proſperitates elapſas, ut ſic præſentes miſerias veterum gaudiorum amæna recordatione ſoletur, & nos recreet dulcedine ex præteritorum annorum ruderibus effoſſa. Sed præterquam, quod fideliùs conſervet triſtiores caſus, & ſæpiùs occupetur circa illa, quæ nos offendunt, quàm quæ demulcent ;

raro

raró, etiam omnibus viribus adhibitis poterit decipere animam, ut præteriti recordatione excitetur impressio talis, in qua plus sit gaudii, quàm mæroris: & sicut bonum primum futurum solùm generat desiderium; ita bonum præteritum plerumque non nisi tristitiam affundet. Quod si verè memoria præteritorum malorum exhilaret, id accidit ex eo, quia conjungitur cum cognitione industriæ, aut fortitudinis laudabilis, quæ adhuc insunt, vel numinis specialiter propitii, quod immutabile creditur. Ipsa verò mala præterita delectant indirectè, quatenus testimonium perhibent bono alicui præsenti, ejúsque ùt præsentis cognitionem vel augent, vel confirmant.

Ne autem accuser tanquam hostis omnis prorsus delectationis, & quasi vellem privare hominem omnibus mediis, quibus eum natura instruxit, ut suas miserias mitigaret; aio, sinceras, & liquidas dulcedines esse animi gaudia; nec hominem exsatiare posse, nisi nobilior illius pars, qua componitur, felicitate fruatur. Clara perceptio, & studium disciplinarum, & continuum exercitium virtutum moralium, ista duo sunt, in quibus ultimatò captanda est vera, defæcata, & limpida suavitas. Opus est, ut homo sequatur in suis operationibus inclinationem à natura inditam, & conetur personâ suâ potiùs imitari Angelum, quàm brutum. Opus est, ut meminerit corpus esse mancipium animæ, & æquum justúmque esse, ut in electione suavitatum major habeatur ratio superioris, & non vilioris particulæ. Non patiar hîc desiderari, quæ in rem nostram insigniter planè protulit Seneca epist.41. *Quod proprium est hominis, quæris quid sit? animus, & ratio in homine perfecta. Rationale enim animal est homo. Consumatur itaque ejus bonum, si id adimplevit, cui nascitur. Quid est autem, quod ab illo ratio exigit? rem facillimam, secundùm naturam suam vivere; sed hanc difficultatem facit comunis insania.* Voluptates sensuum limitatæ sunt; animi gaudia terminum non agnoscunt: illæ ab extrinseco à quocunque auferi possunt; istæ in anima residentes nec ab ipsa morte, quæ tamen nos omnibus honoribus, & divitiis spoliat, abripi possunt: corporeæ continuò mutantur, nec possunt simul subsistere, sed lege invariabili præteritæ disparent ad præsentium adventum, & posteriores jam sunt in via ad interitum ob futurorum exspectationem; ita ut corpus nunquam possideat omne suum bonum. Indiget, ùt mendicus, in medio thesaurorum, & tum ex una parte gaudet, languebit ex altera; & ob pessimam suam conditionem nunquam ita gestiet, ut simul, & semel omnibus sensibus satisfiat. Econtra dulcedines animæ non separantur, eadem cogitatio scientifica, quæ illuminat intellectum, inflammat etiam

voluntatem, & ſimul ditat memoriam. Illius hilaritates ſeſe extendunt univerſaliter; non luget facultas una, dum altera lætatur; ſed quaſi in communi omnibûs fruerentur bonis, quod uni placet, omnibus gratum accidit.

§. IV.

Aperiuntur cauſæ delectationis.

AD primariam delectationis cauſam tria ſunt, quæ concurrere cernimus; bonum ſcilicet delectabile, præſentia, & ejus conjunctio, atque cognitio, & poſſeſſio ejusdem boni, & conjunctionis, convertitur porro poſſeſſio cum cognitione boni conjuncti; quia per cognitionem ſubjicitur bonum appetitui, eidémque tanquam dominanti ſubordinatur, quod absque cognitione nullo modo haberi poteſt. Ex defectu cujuslibet ex his tribus extinguitur delectatio,& ſimiliter creſcit, ac decreſcit juxta augmentum, & diminutionem horum trium requiſitorum. Itaque quo bonum præſens, ac poſſeſſum fuerit majus, eò cæteris paribus delectatio evadet major, ſi minus fuerit, minor exſurget. At ſi præſentia, & conjunctio boni minoris ſit intimior, ac major, quàm boni majoris, accidere poteſt, ut compenſetur exceſſus, aut defectus boni, contrario exceſſu, ac defectu conjunctionis. Eodem modo ſe res habet de cognitione comparata cum magnitudine boni & conjunctionis, poterit, que modicum bonum perfectè cognitum ſæpè magis delectare, quàm majus bonum imperfectè cognitum: cùm appetitus non feratur in bonum prout eſt in ſe, ſed quatenus apparet in cognitione, quæque ideò eſt menſura proxima, atque ultimò determinativa delectationis quoad ſuum incrementum, aut diminutionem. Præter hæc exigitur inſuper amor ad delectationem, & quidem eſſentialiter, ac tanquam aliquid tenens ſe ex parte motivi delectationis: ita ut ne de potentia quidem abſoluta poni poſſit delectatio absque amore prævio. Experimur enim res quantumcunque delectabiles, ac etiamſi earum delectabilitas non lateat, de facto tamen vim ſuam non exerere, ſi odio habeantur. Sic qui faſtidit fraga ex eo, quòd vitiô imaginationis arbitretur, ſub illis ſtabulari buſones,etiamſi ea per externum ſenſum perceperit, non tamen delectatur, ſed potiùs nauſeam concipit, quod non accidit illi, qui dulcedinem guſtu perceptam diligit; is enim tunc exſultat. Idem videmus in eo, qui objectum pulchrum, & elegans contuetur, ſed ſibi aliquo nomine exoſum.

Nul-

Nullam quippe delectationem inde hauriet, quamdiu ita est affectus, haud dubiè percepturus, si amor non foret delectationi præmittendus tanquam pars motivi delectationis. Hinc intelligitur, quomodo Aristoteles lib. 7. ethic. cap. 12. dicat voluptatem ex operatione enasci. Nimirum quia delectatio præter complacentiam in bono possesso, quæ etiam est operatio quædam, supponit aliam quoque operationem, vel quasi operationem, & ex ea manat tanquam consectarium, ideò habita ratione anterioris illius operationis, rectè dicitur, delectationem prodire ex operatione, & hanc prædicationem, *delectatio est operatio* esse causalem. Dixi autem à delectatione præsupponi præviam operationem amoris, vel quasi operationem. Quævis enim boni conjunctio, ac unitio cum subjecto, venit nomine operationis delectationem antecedentis. Ita qui gestit de proprio suo esse, seu naturali perfectione, præter amorem, nullum alium actum antecedentem elicit ad delectationem de amore. Similiter quando tempore æstatis refrigeramur aura frigidiore, aut hyemis tempore cubiculô commodô incalescimus, delectamur, etsi nihil agamus, sed merè patiamur.

Quia tamen ad palatum magis faciunt spectata seorsim singula, quàm quæ in unum congesta cumulum, confusam ideam animo sciendi cupido relinquunt, causas aliquas delectationis singillatim contemplabimur. Inter eas numerat Aristoteles 4. ethic. cap. 8. Eutrapeliam, quæ est urbanus quidam verborum lusus & vestitus. Omnibus enim rebus sua sunt intervalla. Terra, quæ in novalibus culta hoc anno segetem dedit, quiescit sequenti, ne nimio usu sterilescat, atque deficiat: somnus continuas remittit vigilias, & istæ, quod per otium torpescit, vicissim excutiunt, & neutrum horum continuò durat, sed alterum alteri mutuis succedit vicibus. Ab ipso munificentissimo numine adversa prosperis interpolantur, ut per mutuam hanc vicissitudinem malorum, & bonorum alternante requie durare valeamus. Ubi igitur ex assiduitate laborum animi quædam hebetudo, & languor insurget, si succedens quies condiatur sermone ab omni turpitudine, & fæditate remoto, compto tamen salibus, jocis, & veracitate; spiritus, & facultates fractæ mira voluptate reficientur, ac velut exactam hyemem ver excipit, ita meliores, alacriorésque resurgemus. Secundò apta ingerendo gaudio sunt humaniorum præsertim litterarum studia, nullæque sunt epularum, aut ludorum voluptates, si cùm iis conferantur, quæ ex mitioribus disciplinis hauriuntur. Subinde enim in contemplatione severiorum exercitiorum tædio succumbimus; namque nec incorrupti sumus, nec divinæ mentes, sed easdem in animantium corporibus in-

fitas habemus. Noftri ergo causâ ex alto quodamodo defcendimus, & litterarium ludum capeffimus, ut quod ludus folet effe corpori, hujusmodi exercitiô menti afferatur levamen. Natura aliquo lenimentô indiget. Qui igitur limpidæ hujus voluptatis oblectamenta non adhibet, quid eft, quod agere poffit, aut quonam fe convertet? non ad ea, quæ ne memoratu quidem digna funt: nec etiam naturæ ordinem excefferit, aut indefefsô ad contemplationem profundam animô incumbet; nec affectionis omnis expertem fe, & quafi carne circumfufum Deum putet. Si dicas rerum potiùs, quàm cogitationum lufu animum laxandum; admittam tibi tertiò etiam hunc, ubi magìs arte, & corporis agitatione ac agilitate regitur, quàm fortunâ; in aliis enim, qui à fortuna videntur dependere, majus adeft periculum, ne vitium aliquod irrepat. Hujusmodi funt pugilum, luctatorum, curforum, faltatorum, quorum corpora cum modicè fudore madent, pravi humores per hiantium pororum exhalationes foràs excutiuntur.

Limpidior tamen multò captatur quartò lætitia à parentibus, & magiftris, ubi confpiciunt filios, aut difcipulos ad directionem præmiffam bene operantes. Nafcitur hæc dulcedo vel ex largitione bonorum temporalium, vel illuminatione intellectûs, & inftructione morum, atque incitamento ad bene operandum per exempla virtutum: vel quia ex actibus aliorum laudativis innotefcit magìs excellentia, & bonitas peculiaris illius qui laudatur: vel denique ob unionis vinculum, quod inter iftos mutuus amor conftruxit; unde fit, ut perfectio accrefcens dilectis ex bona operatione æftimetur quafi propria, ideóque delectet ficut bonum proprium. Denique affirmat Philofophus lib. 1. polit. cap. 3. *Largiri, & auxiliari amicis, aut extraneis effe delectatiffimum.* Si beneficia exercentur absque ullo benefacientis nocumento, ùt cùm alii laudantur, inftruuntur, verbô, aut opere, fequitur jucunda fuavitas ex perfectione operantis propria, & ex emolumento dilecti cum benefactore quafi unum conftituentis. Si beneficia nocumentum afferant benefactori, ùt cùm quis largitur alteri fuos thefauros, aut alia pecuniis æftimabilia, fentitur delectatio permixta dolori. Jactura namque propria parit per fe dolorem & triftitiam in eo, qui fpoliatur bonîs fuis. At perfectio propria ex operatione benefica, & bonum accrefcens dilecto, præfertim fi adfit fpes gratuitudinis, delectationem inducunt.

§. V.

§. V.

De iis, quæ delectationem magis incendunt.

AUctior autem delectatio ex sequentibus capitibus ingeneratur. Primò si longa exspectatio amorem incenderit, ideóque præstolantis exspectatio vocari solet gemma gratissima; hoc est, rem exspectatam, cùm tandem tenetur, accidere pretiosissimam. Quod ita expressit Prosper. epigr. 68.

Gratior est fructus, quem spes productior edit:
Ultrò objectorum vilius est pretium.

Ex eodem fonte nascitur, quòd majore suavitate perfundant objecta, in quibus parandis diu ac vehementer laborandum fuit: ut idcircò Aristoteles 9. Ethic, cap. 5. scribat, majore amore exardescere matres, majorémque de liberis delectationem capere, quòd operosior ejus fuerit illorum procreatio. Ex hoc tanta delectatio in occultis sacræ Scripturæ sensibus eruendis; quamvìs enim prima Religionis nostræ capita in multis locis apertè ac manifestè tradantur; ubi tamen figurati amictus deteguntur, in nostra quodamodo cognitione renovantur, renovata dulcescunt, quæ aliàs, nisi sensum quærentis exercuissent, nuda, ac prompta apparuissent vilia. Hinc etiam res deperdita, cùm recuperatur, post interpositam acerbitatem longè magis sapit abterso eo mærore, quàm priùs securè possessa satiâsset. Quantò majus exhaustum periculum in bello, tantò majus resultat gaudium in triumpho. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi molestia. jactat tempestas navigantes, minatúrque naufragium, expallescunt omnes ob imminentem mortem: tranquillat cælum, & nimìs exsultant, qui nimìs timuerunt. Immensa voluptas irruit in patrem Anchisen, cùm primùm venientem vidit Æneam post plures exantlatos labores, vitæque superaddita discrimina, ùt Virgil. 6. æneid.

Isq; ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrásque tetendit;
Effusæq; genis lachrymæ, & vox excidit ore:
Venisti tandem? tuáque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas, datur ora tueri
Nate tua, & notas audire, ac reddere voces.
Sic equidem ducebam animo, rebárque futurum,
Tempora dinumerans, nec me mea cura fefellit.

Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio, quantîs jactatum nate periclis!

Conſtat denique ad delectationis copiam, & incrementum plurimùm conferre novitatem; eſt enim novitas talis hilaritatis parens, ut ipſa voluptas, ſi jugis ſit, in faſtidium vertatur; econtra multò ſuavior accidit, ſi recens, & ob infrequentem raritatem nova contingat. Unde hoc veniat, non multùm quærendum; nimirum in prima voluptatis delibatione, & rei jucundæ fruitione nondum perſpiciuntur, nec quaſi attenduntur defectus conjuncti cum ea bonitate, quæ tunc primùm objicitur. Illîs autem uſu, & experimentô deprehenſis non modò obtunditur, & hebeſcit acer ille ſenſus dulcedinis, qui initio voluptatem movebat, ſed etiam ſatietas, & faſtidium creatur.

§. VI.

Quinam facti ad delectationes?

INter omnia animantia homo à Deo ratione præditus voluptati maximè ſtudet; ingeniô namque & cognitione plurimùm valet: eandem igitur rimatur maximè, & in eam ſummè propendet, donec aſſequatur. Ex ipſis verò hominibus præ reliquis naturæ quadam pronitate jucundis operationibus inhiant, corpore ſani, & qui multo abundant ſanguine, eóque dulci & leni, non acri, bilioſo, & melancholico. Quæ melior diſpoſitio cum in pueris, & puellis circa tempus pubertatis maximè reperiatur, ideò Philoſophus hiſtoriæ animalium lib. 7. cap. 1. ſapientiſſimè admonet, ut cura præcipua cuſtodiantur. Si enim tunc ab illicitis voluptatibus abſtineant, ſequentibus etiam annis temperantiam cautè cuſtodient. Si autem præmaturæ indulgeant libidini, tota vita teterrimis ſpurcitiis coinquinabitur, tum ob malam animæ diſpoſitionem, quæ delibatæ oblectationis memor vehementiùs ejus perfruitionem expetet, tum ob organorum flexibilitatem, & laxiores poros, ex quibus faciliùs peſtis fluet. Sæpiùs idem Stagirita defendit ex hominibus fœminas magis ſalaces eſſe, quàm mares, cujus aſſerti rationem affert lib. 3. de generat. animalium cap. 1. Ex maſculis ad intemperantiæ uſum proniores eſſe volunt, qui calvitiô tentantur. Unde Romani, ut meminit Lactantius lib. 1. cap. 2. calvam coluerunt venerem: non quòd cenſerent pulchritudinis Deam calvam formaliter; nam tanta eſt calvitii in muliere deformitas, ut venus, licèt omni gratiarum foro ſtipata, & toto cupi-

dinum

dinum choro comitata, baltheo suo insuper cincta, cinnamoma fragrans & balsama rorans, ne Vulcano quidem suo esset placitura, si calva incederet: sed calva tantùm est causaliter; quia licèt ipsa capillitiô exornetur, calvitium tamen inducit in sibi addictos clientes. Et sic historico sensui admiscetur alius mysticus. Permoveri ad sic sentiendum potuissent, quòd calvities originem trahat à capitis exsiccatione, quam maximè infert libidinis usus, vel à plurimo calore, qui in sexuum fruitione proritatur funestè, & accenditur. Unde ab hoc probro immunes sunt mulieres, pueri, & eunuchi, nec etiam cæci nati calvescunt, cùm hujusmodi humido & pingui vapore abundent, qui per majores poros, & cutem molliorem facilè extruditur. Huic tamen Aristotelicæ opinioni se se opponunt multi calvitii buccinatores, & eum egregii mendacii arguunt. Quàm multi enim capillicium amittunt, qui lacunas has nec à longè degustârunt? & cur non ex nimia studiorum defatigatione, cur non aliis ex causis deficere possint humores cerebro, & capillis nutriendis necessarij? quòd autem afferat, neminem calvescere ante ætatem ad has sordes aptam experientiæ repugnat, cùm deprehensi fuerint pueri, quorum syncipita præraro & exiguô capillamentô protegerentur. Imò videtur sibi ipsi repugnare, quando in problematis sect. 10. pilosiores, & hirsutos magis libidini deditos ob excrementitium humorem arguit. Ex reliquis animantibus aves præ quadrupedibus voluptati inhiant. Cùm enim exiguum alimenti in corpusculi incrementum convertatur, plurimum remanet excrementi, quod ad alios usus servire poterit. Promovebunt subjecti inclinationem ad lætitiam facilè securitas animi, solutióque; juvabunt etiam externæ à tempore, & loco amœnitates, cùm nemo non experiatur lætitiæ propensionem cæteris paribus majorem vere, quando omnia rident, quàm hyeme; in locis temperatis & amœnis, quàm inter tesqua & nivalia.

§. VII.

Quos animi motus voluptas secum trahat?

PEr se quidem delectatio nullum invehit affectum interiorem aut exteriorem effectum, cùm sit terminus & complementum omnium passionum; ratione autem organi corporalis, aut peculiaris conditionis convenientis objecto ex imperfectione ad quietandum adæquatè appetitum potest eadem varios affectus afferre. Et primò quidem insigniter stimu-

ſtimulat, acuítque operationem, ad quam conſequitur, & cui affinitate quadam conjungitur. Hoc ipſo autem dum eam firmiorem, & diuturniorem reddit, impedit operationes alias, vel certè earum intenſionem, perfectionem, diuturnitatémque infringit, quod experientia, & exempla ſatis clarè oſtendunt. Ita ineſcatus Geometricis demonſtrationibus hoſtes in ipſa obſidione urbis non advertet: inebriatus concentu muſico tanta vi incumbet, ut cætera aut omittat, aut contemptim, & negligenter exſequatur. Hominum vulgus obeundo varios tractus usque ad extremam thulem, maria traijciendo, & ſinus ejus penetrando, nullam hujus univerſitatis partem imperſcrutatam relinquendo, ubique, & ſemper aliud colligere non laborat, quàm velut retibus incluſas, & obſidione cinctas jucunditates capere. Voluptatis causâ morbum aliquis, vulnera, labores, & ſexcenta ſubibit mala: in corporum morbis ſecari non recuſat æger, aut uri; ſitim etiam perferre famémque, & quidquid naturâ ingratum eſt, ut pro his poſtea ſomnô ſuô frui poſſit; quòd ſi ſpem futuri tollas boni, & præſentium tolles malorum patientiam. Hoc ſolùm quæro, an non virtuti ipſi vim præcidat, ſi quis eidem voluptatem demat? certè qui laborem ex virtutis ſuſcipit præſcripto, amore voluptatis, aut præſentis id facit, aut futuræ. Sicut enim in re quæſtuaria nemo ſciens talentum cum drachma permutat, nec cum argento aurum; ſed in permutatione, quamvis æqualis ſit, permutantis ſpectatur commodum: ita in ſubeundis laboribus nemo laborum causâ laborem ſumit, ſed præſentes labores cum voluptate commutat. Sic naturæ author quarundam operationum perpetuitati conſultum voluit, ut ſupervenientem amaritudinem condimentô mitigaret, & hac eſca mortales avidiùs pellicerentur. Obſervant tamen plerique, quòd delectatio de operatione, quæ non eſt cognitio, plurimùm impediat uſum rationis; quando enim delectatio naſcitur ex attentione rationali ad veritatis pulchritudinem, potiùs eam acuit. Corporeæ verò dulcedines, quia animi vires vehementer applicant ad bonum non ſolùm abſens, ſed etiam præſens, dimovéntque partes, & organa à ſtatu ſuo connaturali, hinc quandoque minuitur, hebetatur, aut omninò extinguitur vis ejus nativa. Et hæc corruptio, præſertim prudentiæ, per externas voluptates tactiles non ſolùm intelligenda eſt, cùm actu percipitur jucunditas; ſed etiam de elapſa, cùm ſpiritus animales vel exhauſti, vel ad alia organa deflexi, cerebri ſedem deſtituant, & ſic facultatem intellectivam hebetent. Secundus effectus delectationis, qui ab hác paſſione progignitur, eſt ſitis, & deſiderium, quod ex duplici capite contingit. Primò quidem ex parte objecti delectabilis, quando

una

una solùm illius pars post aliam successivè advenit, cùm tamen animal toto indigeret, cujusmodi sunt omnia bona creata. Adhæsio namque cognitionis circa partem delectabilis adhuc absentis cum cognitione præsentis suavitatis aviditatem acuit, augétque, sicut quando audita prima parte versûs, eáque delectante desideramus avidiùs audire alteram ejusdem partem, & delectationis præsentis complementum. Altera causa est ex parte possessionis, seu operationis, qua nobis bonum delectabile conjungitur; tametsi enim illud sit perfectissimum, si tamen imperfectè solùm possideatur, imperfecta delectatio scaturiet: sic cognitio inchoata veritatis cum delectatione imperfecta circa ipsam accendit sitim, ac desiderium cognitionis magis intimæ usque ad cumulum totius perfectionis absolutè possibilis. Hujusmodi est gaudium viatorum, quo hîc fruuntur de Deo imperfectè cognito, per quod sitis accenditur illum perfectiùs cognoscendi. Tertius effectus, qui imprimitur, est fastidium, quod bona creata percepta procreant. Quænam enim invenitur voluptas humana, quæ ipso sui usu perniciem non inferat, vel incursu contrarii objecti dolorem prolicientis, vel absumptione causæ conciliantis voluptatem, aut admistione molestiæ? irruit homo in bonum exsatiationem suam inde quærens, quàm aliqua ejusdem fruitione non assecutus, fastidit bonum, in quod præceps dabatur, cupítque vicissitudinem, si fortè in bono succedente pleniorem voluntatis refectionem nanciscatur, quàm in eo, quo hactenus est potitus. Aliam rationem addit Philosophus 7. Ethic. in fine petitam ex conditione naturali hominis, quæ simplex non est; hinc in continuatione rerum magnum experitur fastidium. Dulcedo mellis si assiduè sumatur, nauseam pariet. Serena ipsa, quamvis magnopere desiderentur, jugiter adepta sordescent; & ubique homo mutabilis naturæ suæ desiderat habere qualitates. Si autem natura alicujus simplex sit, inquit, ei semper eadem actio erit jucundissima, ideóque Deus una semper, & simplici delectatione gaudet.

§. VIII.

Quos effectus corpori conciliet?

SI cum ludibundo Poëta ludere liberet, dicerem, quòd in gaudio festivus sanguis spatietur, & lætabundi spiritus discurrant, accurrántque ut excipiant, & celebrent adventans bonum; quòd ipse animus in hono-

rem festi purpurâ induatur rubore per ora fuso. Sed nos physica magis delectant. Itaque nemo negare potest, quòd in hac passione organi fibræ vellicentur, titillentur, affusô sanguine arteriosô, vel alio quopiam calido, & grato succo afficiantur, ut jucundissima sensatio percipiatur. At præter hanc non est ambigendum, quin appetitus suas quoque partes peragat; traducta enim in cerebrum affectione sensum internum occupat, & ferit: unde postea in reliquas fibras toto corpore dispersas novus motus, ac spirituum effusio traducitur. Quomodo verò differant hi motus ab aliarum passionum motibus, ex diversis effectibus, quos pariunt, facilè colligitur.

Dilatat scilicet lætitia cor, vasa, viscera; hinc sanguis toto corpore facilè fluit, & laxatis meatibus cuncta permeat. Cùm enim delectatio sit quasi acceptatio boni præsentis, ejúsque in animum inductio; hinc similitudinem quandam analogicam cum receptione, ac inductione unius corporis in aliud participat: quia autem omnis receptio dilatat corpus recipiens, ut subingrediatur corpus, quod recipitur; ideò delectatio in animo se habet per modum dilatantis. Jam cùm passio quælibet immutet corpus juxta indolem suam peculiarem, redundabit etiam in corpus idonea delectatio. Hinc gratus tepor; hinc tumidus calor; hinc vegetus, nitidúsque totius corporis habitus, & status; hinc carnes succo imbutæ turgescunt; cor ipsum summam nactum libertatem magnos, æquabiles, raros, & quietos motus ciet. Consequitur ex cordis motu magnus pulsus arteriarum propter uberiorem humoris appulsum. Æquabilis; quia laxatis meatibus nulla obstant repagula: rarus & quietus, quia nulla præcipitationis causa. Hinc aliter in ira, & febri, aliter in jubilo afficimur. In lætitia enim sanguis subtilior instar placidissimi fluminis leniter effusus mulcet partes, & blandiùs titillat. In ira, & febri torrentis ritu violenter erumpens corpus irritat, & multiplicem fibrarum edit stragem. Dum autem cuncta lætissima passio dilatat, frontem etiam exporrectam reddit, ut vultus sit floridus, complanatæ rugæ, labra purpurea, depressa tantillùm supercilia, & quendam semirisum præseferentia. Oculi semiaperti nescio, quid grati fulgoris jaculentur, seu potiùs repercutiant: aspectus sunt dulces; vix tamen sine aliqua petulantia, & motu inquieto, ob musculos quasi lascivientes per calidum teporem affusum. Nonnunquam tamen intuitus fixus, & oculi immobiles hærent, mente scilicet absorpta, & reliquis sensibus feriantibus, quando nimirum jubilus totum animum occupat, & suis præstigiis irretit. Unde in summo gaudio oculi nonnunquam ita languent, ut morientis esse videantur. Vox gravior, trahæâ scilicet dilatatâ; quò enim

fistula

fistula magis contrahitur, eò acutiorem edit sonum. Lingua tripudians loquelam præcipitanter fundit; hinc qui nimia lætitia exsultant, loquaciores, & garruli efficiuntur. Grata enim hæc affectio magnam spirituum copiam ad cerebrum transmittit, qui phantasiam fæcundiorem ad genesim phantasmatum suo calore reddunt: & cùm ex altera parte humor ad organum vocis affluens hoc pariter magis flexile ac mobile faciat, sufficiens assignatur causa loquacitatis. Quodsi ad ista superveniat judicium debile (quod singulas passiones aliquantùm vehementiores comitari solet) non poterit ratio omnia ad limam examinare; unde juvenes, fœminæ, sangninei, biliosi, & ebrii loquaciores deprehenduntur, & aves nunquam magis garrulæ, quàm cùm sanguine calente prùritu pariendi laborant. Exsurget inde, ut imprudenter, & parùm cautè se, ac sua omnibus credant; parùm fidis arcana revelent; nec aberit inconsiderata jactantia; insolens præsumptio, nimia credulitas, animi facilitas, gestuosæ manus, pedes subsultim tripudiantes, totúmque corpus inquietum, & ejusdem sitûs impatiens. De se quidem hic affectus salubris est, & non parum commodi sanitati affert, quia cuncta viscera grato calore perfundit: interdum tamen immodica lætitia eò usque progreditur, ut horrenda symptomata, animi scilicet deliquia, & aliquando mors ipsa sequatur. Ita refert Cardanus quendam Galeateum Rubrum præ gaudio insanum factum ob inventam, quam diu quæsierat, hauriendæ aquæ cochleam. Ita Angelus Politianus teste Lethoyer usque adeò exarsit corrupto amore, ut cùm ad levandam affectionem, qua interiùs flagrabat, lyram apprehendisset, subitò inter eam pulsandam, déque suorum desideriorum deliramentis nonnulla concinendo exspiraverit. Præ nimia nempe dilatatione pectoris cor ipsum deficit, valvulæ situm mutant, motus ipse impeditur, aut certè spongiósa pulmonum substantia laxatis plùs, quàm fieri deberet, fibrîs sanguinem exsugit, ut vox præcludatur, obstruatur respiratio, fibræ pressæ suarum functionum impatientes evadant, præ nimio sanguinis appulsu, caput fatiscat, ac tandem suffocatio oriatur. Porrò pulsus, qui initio magnus, lentè tamen incedebat, sub finem parvus velociter currit; postquam enim aliquamdiu exteriores partes magna sanguinis vi intumuerunt, aliquas inde obstructiones contingere oportet: igitur minùs liber sanguinis circuitus, unde cor laborat: ex hoc parvus motus propter obsistentem materiam, itémque celerior, tum ut obex superetur, tum ut motûs parvitas compensetur.

§. IX.

De ijs, quæ spectant ad risum.

GAudium præterea in corpore risum excutit, qui in varias classes distribuitur. Aliquando tantùm fingitur, ac simulatur. Irati, & contemptui habiti risum dissimulant, qui vulgò dicitur dentium vallum non transcendere. Alius est ascititius, ipsóque usu comparatur. Ita plerique homines, ubi in alios sibi notos incurrunt, vel eos salutant, risum illicò leviorem quasi in condimentum advocant, sola vultûs exsplicatione contenti. Alius profluit à morbo, vel alia prava qualibet affectione; sic vulnus septo medio inflictum risum excitat: sic apium risus, herba scilicet in Sardinia enascens teste Pausania ita ad risum commovet, ut externa specie ridentes moriantur: inde risûs sardonici acceptio pro joco amarulento. Alius denique est nativus & sincerus risus, qui soli ferè homini congruit, utpote instructo aptis ad eum organis. Hujus effectûs causam plerique excepto Nancelio docent esse diaphragmatis affectionem, qua ad talem motum tremulum determinatur, éstque aptissimum utpote instar tympani tensum. At unde hæc affectio emergit? ex multiplici causa; & primò quidem lætitia gestiens risui ansam dare solet, ut perspicimus in pueris, qui præ gaudio lasciviunt, & multiplici cachinno suos jocos condiunt. Hic tremulus diaphragmatis motus cùm non efficiatur à voluptate sensu externo percepta v. g. à grata Musica, pulchra imagine, à dulci sapore, vel odore; necesse est, ut ab interiore lætitia in cerebro orta proficiscatur. Secundò risum ciere solet ludicræ rei memoria aut cogitatio. Ludicrum porro vocatur, quod aliquam deformitatem continet, eámque singularem, aut expressam, vel nativam in corpore, motu, actione, casu, quæ inopinatò in sensus incurrant. Sic pro ludicris naturalibus habetur, si pueri nullo rationis ductu ludant, vel quidpiam insolentiùs agant; catelli ludentes, rixantes fœminæ, nanus quispiam, vel morio, quælibet deformitas insolita circa nasum, frontem, &c. turpis aliquis gestus palam factus, lapsus inopinatus; aut si quispiam per jocum traducatur, ludatur, fallatur, ad iram, spem, aut aliam quampiam passionem concitetur. Ludicra ex arte quæsita sunt, cùm quis actionem alterius per jocum probè exprimit, non quidem tragicam, aut illustrem, sed comicam, aut humilem, v. g. cùm quis probè hypocritæ personam agit, aut furis, aut lixæ &c. Tertiò risum inducit ipse risus; sic unus dum ridet, alii risum tenere vix possunt; opinor

nor ex eo, quòd ridere sit actus ludicrus, qui ludicrum cerebro motum imprimit. Aliqui faciliùs se continent, ut severiores quidam tetrici, ac melancholici, qui fibris rigidioribus sunt instructi, ubi tamen in risus prosiliunt, ab effuso cachinno vix abstinebunt. Econtra juvenes, puellæ, sanguineæ indolis risum continere vix queunt, quia plexu molliore, & ideò dociliori istorum fibræ constant. Quartò titillatio nonnullos ita ad risum incendit, ut ferè mente capti videantur; præsertim in plantis pedum, in axillis, in collo, & in ipso illorum tractu, in quas partes aut multa vasa, & nervi desinunt, aut ad diaphragma propiùs accedunt. Hanc tamen titillationem priùs ad cerebrum traduci deberi, ut ex interno sensu affectio ad diaphragma derivetur, vel ex eo patet, quòd siquis se ipsum titillet, in risum minimè prorumpat; imò non nullos solius titillationis cogitatio potenter afficit. Denique delirantes in altissimos cachinnos animantur, tum quia in delirio septum medium malè afficitur, unde etiam phrenetici appellantur: tum quia commoto cerebro inepta specierum combinatio facilè resultat: tum quia nulla seria cogitatio, nullus rationis ductus impressos motus cohibet. Tam multi porrò & varii motus risui adjunguntur, ut ab eo, cùm mediocritatis metas transgreditur, valetudini non parùm sit metuendum. Turgent vasa arteriarum & venarum, quia musculorum compressione motus ordinarius sanguinis inhibetur: inflatur, & intumescit guttur: vultus rubet, ac splendet ob eandem causam: vox hæret, & lingua suspensa manet; quia laringis musculi distrahuntur motu diaphragmatis: nihil deglutiri, nihil sorberi potest; quia per trachæam subsultim erumpit anhelitus, ut claudi non possit: venter & ilia dolent ex succussione septi: agitantur brachia propter affectos musculos: inclinatur pectus, ut venter plus spatii nactus non tantopere flagelletur ab incumbente diaphragmate: denique totum corpus, ubi diu se torsit, humi prosternitur. Hæc de quinta passione, de qua Aristoteles lib. 3. ethic. cap. 3. constituit: *Totum virtutis negotium esse, rectè hominem disponere circa delectationem.* Cùm enim potissimùm illâ ducantur homines, & alia sit delectatio visa, alia sit vera, labor, & opus non exiguum est, solidam, honestámque delectationem unicè optare & quærere.



DISSERTATIO VI.

De affectu tristitiæ.

§. I.

Explicatio doloris, & tristitiæ.

EXplicatio delectationis non modicam lucem afferet investigationi tristitiæ, & ei vicissim splendorem conciliabit. Promiscuè dolor, & tristitia accepta definiri potest affectio perturbata ex malo præsenti eidem renitens, atque repugnans. Pressiùs tristitia dicitur passio, quæ ex malo per imaginationem exsurgit: ut dolor contractiùs acceptus designat affectionem tactûs ex divisione, & distractione fibrillarum tactilium profectam. Priori loco de hac passione agemus, prout ex tactûs actione procedere solet, eò quòd sit notior, & sensibilior. Dolor igitur non est præcisè tactio, ut plerique medici ex Atomistarum vorticibus, aut chymicorum furnis prodeuntes perperam docent: sed est ratio appetitûs, per quem anima tanquam per instrumentum & principium proprium, de malo carni, quam informat, immisso mæret. Rationem non invisa contradicendi libido suppedidat, sed veritas perspicuam subministrat. Omnia namque, quæ ante appetitûs actionem assignari possunt, præsupponuntur potiùs ad dolorem, quàm ut sint dolor ipse. Antecedit appetitûs operationem sensatio exterior, & interior, quarum illa mediatè, hæc immediatè appetitum determinat ad operandum. Neutra autem habet rationem doloris; aliàs si transiremus ad intellectum, asserendum esset, tristitiam ejus sitam esse in cognitione intellectûs, quod esset hariolari, cùm officium facultatum cognoscitivarum sit percipere conveniens & disconveniens, illáque exhibere facultati appetenti, quam natura concessit ad amandum & respuendum, quæ per cognitionem objiciuntur. Sicut igitur desiderare, & prosequi bonum, vel malum absens non est alterius facultatis, quàm appetentis; ita de iisdem lætari vel dolere ad eandem pertinere debet. Ex quo colligitur, dolorem non esse propriè in parte læsa, v. g. in dentium gingivis humore corrupto perfusis, vel in parte perfossa manûs; sed in solo appetitu residere, quamvis pro objecto habeat malum partis hujus, aut illius; & idcirco dicamus, doleo dentibûs, vel auribûs; non autem doleo ap-

petitu



Expletur lachrimis. egeriturque dolor.

M. I. Milldorffer del. Oenip. Hyer Schi ... sc.

petitu cerebro insidente. Universus igitur animæ ad dolorem progressus his veluti gradibus perficitur. Aliqua primùm læsio in corpus vivum inducitur, v. g. per calorem ignis: hæc tamen causa extrinseca non efficit sensationem ingratam immediatè, sed vivens ipsum: sicut licèt species visuales producantur in oculis ab objectis externis; veruntamen quod producit visionem corpoream, & auditionem est vivens ipsum, & non causæ externæ. Ratio est, quia sensatio non est mera passio affectionis, ut iterum delirant Atomistæ, quam objectum in organo causat; sed est actio, qua anima in parte corporis disposita per nervorum ramulos & musculos, cui accedit aliud corporeum, producit qualitatem, quæ est formalis, & immediata perceptio, seu experientia proprietatis illius corporeæ. Hanc qualitatem fateri oportet; cùm sentire sit agere, sit vitaliter operari, & quidem subinde cum magna defatigatione, & non merè pati. Hinc qui dormiunt oculîs apertîs, circumstantium objectorum species in se quidem recipiunt, nec tamen eadem intuentur. Sic etiam phantasia habet infinitarum rerum species, quas actu non percipit. Igitur ut animal sentiat, requiritur, ut aliquid verè physicè ab eo efficiatur: hoc non potest esse objectum, quod ab animali non efficitur: ergo aliquid realiter distinctum, scilicet dicta qualitas. Item si sensatio externa consisteret in eo solo, quòd unum corpus operetur in alio, tunc quandocunque hoc fieret, daretur sensatio: at quoties contingere potest, ut vel per extasim, vel modo diabolico, vel etiam naturali, medicato scilicet potu, consopiatur animæ vigor, illiúsque virtus perceptiva (quæ utique finita est) tota absumatur, ut quamvis ferrum, vel ignis operetur in corpore vivo, illa tamen nihil sentiat? ergo concedi debet aliquid aliud, in quo stet sensatio, scilicet dicta qualitas perceptiva. Postquam autem tactus læsionem exteriùs factam percipit, mox appetitui sensitivo ab externo sensu incommodum renunciatur: hic pro insita sibi aversione à malo illo refugit, & si mali immissio declinari non possit, doloris passio ex tot præmissis subsequetur.

Læsio autem corporis est bimembris; nimirum vel vitiata corporis temperies, vel continui divisio. Ac primò calor, & frigus, si excedant debitum temperamentum, v. g. in febri calida, & ustione, aut tertiana, & quæcunque prima qualitas intemperata dolorem ingenerare potest; nam etiam siccitas & humiditas, si nimiùm excrescant, quamquam languidiùs torqueant, malè tamen subjectum afficiunt; imò etiam mortem inferre idoneæ sunt, ut constat ex fame & siti, si autem habeant debitam subjecti temperiem, molestiam non afferent. Patet hoc à posteriori, cùm non sentiamus cerebri frigus, carnis mollitiem, ossium

sium duritiem, aut cordis calorem, quamvis ita sit calidum, ut aliquando carnifex illud evulsurus ab eo non aliter, quàm à carbonibus manum retraxerit. Hæc sentiendi qualitas plurimùm afferret nocumenti animali, cùm continuò spiritus absumeret, animam fatigaret, eámque à suis operationibus impediret, ideóque censenda est à provida natura non fuisse illi indita. Alterum læsionis doloriferæ membrum aiebam esse divisionem, & continui dissolutionem, prout complectitur partium distractionem & compressionem præter naturam factam. Et quamvis, cùm isti motus excitantur, interveniat quædam variatio temperiei ob spirituum, & sanguinis abscessionem, attamen etiamsi sola continui divisio fieret, dolor necessariò conjungeretur, cùm animal à statu connaturali extraheretur, & à partium concentu, quem tamen maximè fovet. Quæ hactenus de dolore sunt allata, eadem proportionaliter de tristitia presè accepta sunt intelligenda, & varia discrimina, quæ ab aliquibus inter dolorem, & tristitiam afferuntur, non pertinent ad variandam genericam hujus passionis rationem. Si tamen aliquod discrimen esset assignandum, videtur illa passio vocanda dolor, quæ ex ingrato sensu externo, potissimùm tactu, oritur; ille verò motus, qui operâ sensûs interni nascitur, & molestam in exterioribus sensibus impressionem corporis producit, nominanda erit tristitia.

§. II.

Dolor dirimitur in suas species.

Tristitia variè multiplicari solet, penes varia nimirum mala, quæ nolentibus occurrunt. Primò se offert misericordia, quæ est animi ægritudo ex concepta miseria alterius imerentis, eo respectu habitô, quòd simile quidpiam malum etiam ei, qui misericordia movetur evenire possit. Hujusmodi affectûs incapaces sunt omnino miseri, & eximiè felices, ut Beati, ac Deus: nam primis non vacat aliena mala dolore deplorare: secundi verò minimè putant similibus se malis obnoxios esse. Hinc misericordia Divina quæ toties, & tam magnificè in scripturis, & alibi ubivis proditur, non est hujusmodi affectus; sed sita illa est in charitate, & est volitio sublevandi alienam miseriam ex amore boni alieni, eam relevationem consecuturi. Ad miserandum plurimùm propendent, qui paria sunt experti, quales sunt senes ob prudentiam, & rerum præteritarum memoriam; debiles item, & timidi: etiam eruditi ob rerum & ca-

suum

ſuum humanorum cognitionem: ſimiliter, qui filios, uxorem, parentes ſuperſtites habent. Denique qui temperamento medio conſtant inter iram & timorem. Movent miſericordiam primò mala, quæ dolorem corporis afferunt; deformitas enim ſine mærore riſum procreat. Secundò etiam illa, quæ interitum afferre poſſunt citra doloris ſenſum. Tertiò commiſerationem ſingularem provocat, qui exinde mala crebrò patitur, unde bona ſperare debuerat; ut quoque eadem affectione movemur, cùm bona importunè accidunt. Scilicet quando iîs frui aut juvari nequit. Denique miſericordiam progerminant ficta in tragædijs mala. Ferè ut imago depicta amorem ſuſcitat. Subinde hæc miſeratio plurimam efficit delectationem ex eo, quòd naturam ſuam, & indolem miſericors experimento deprehendat bonam, & humanam eſſe, quam commovet, vel ſola alienæ calamitatis imitatio. Miſericordia ferimur primò in nobis proximè conjunctos cognatione vel amicitia: erga hos enim afficimur, ut in nos ipſos. Secundò hoc affectu proſequimur, quos conditione, & ſtatu æquales cenſemus. Tertiò miſeremur recentibus malis afflictorum: vetuſtior enim ærumna longioris temporis beneficio mitigata creditur. Quòd verò miſericordia dicatur verſari circa miſeriam, quæ indigno accidit, non eò ſpectat, ut negetur miſericordiam tendere poſſe in eum, qui dignè calamitatem ſuſtinet; cùm judex æquum nocenti ſupplicium decernens, nihilominus commiſeratione tangi poſſit: ſed hoc ideò prolatum fuit, quia illuſtrior eſt miſericordiæ materia. Secunda ſpecies, & vitium diabolicum eſt invidia, quæ definitur dolor de alieno bono, exiſtimato, ut proprio malo, quatenus judicamus, nos ab alio ſuperari, bonum noſtrum infuſcari, & minùs ſplendidum reddi. Enaſcitur igitur ex opinione falſiſſima mali præſentis ob proſperitatem æqualium, quos dolet invidus ornatos eſſe. Ad invidendum accommodati ſunt primò plures æquales genere, ætate, eruditione. Secundò qui ferè omnibus bonis innatant, aut magna geſſerunt, aut eximiè honorantur. Cùm enim omnium oculos, & venerationem in ſe convertant, præter modum facilè ſuperbiunt, nolúntque pati, ut quiſpiam alius præter ipſos ſit ſpectabilis. Tertiò, puſillanimes invidia commoventur, vel quòd perſpecta ſui humilitate nollent quempiam eximium eſſe, vel quod exinde ſibi, rebúſque ſuis timeant. Quartò diſcerpitur ſecretis quibuſdam ungulis anima adversùs illos, qui celeriter, & facilè adepti ſunt illa, quæ alter vix tardè, ac laborioſè conſequitur. Quintò torquent bona illa, quibus vel ipſi compotes fuimus, vel nobis convenire credimus, & ita ſenes junioribus invident. Tertium membrum appellatur nemeſis, quæ cum indignatione paſſim per-

miſcetur, & dicitur triſtitia de proſperitate immerentium, eáque malis artibus parta. Si paſſio hæc inter invidiam, & malevolentiam modum teneat, laudem mereri poterit. Indignantur tum viri probi, tum cupidi honorum; viles econtra, & mancipiis ſimiles negligunt, nec triſtantur, ſi videant ordinatam pro meritis bonorum diſtributionem inverti. Accommodati etiam ad indignationem ſunt, qui ſummis bonis digni ijs fruſtrantur; nam privati mali dolor facillimè indignationem quoque ſuſcitabit. Cæterùm non exſurget indignatio, quòd alter bonis virtutum exornetur: neque quòd bona naturæ ampliſſima obtineat, ſicut neque indignamur, ſi bonis fortunæ longo intervallo à majoribus relictis quiſpiam indignus fruatur. Sicut ſuperiùs notavi de malis vetuſtis miſericordiam non reſultare. Sola enim recens à malis & immerentibus poſſeſſa proſperitas ſauciat, quaſi nimirum ſententiæ noſtræ adhuc ſit locus, & ad bonum reipublicæ conferat, recentia mala cum indignatione ſuſcipi, & improbari. Quòd ſi triſtitia aliquando conjuncta eſt cum impoſſibilitate malum declinandi, quod nos vexat; efficitur ſpecies quædam triſtitiæ, quæ nuncupatur anxietas, ſeu anguſtia. Nempe affectus aggravat animum absque ullo aditu refugij, omníque deſtitutus ſpe, & evadendi poſſibilitate. Aliquando verò non ſolùm deeſt triſtitiæ potentia fugiendi, ſed etiam motus membrorum exteriorum, & facultas eadem incitandi usque adeò, ut ne vocem quidem emittere valeat contriſtatus. Et per hoc efficitur triſtitiæ ſpecies, quæ vocari ſolet acedia, cui nec convenit ratio fugæ, nec ſecundùm rationem ſuam differentialem eſt in appetitu, ſed in membris exterioribus cerebri reſidet.

§. III.

Ingeruntur cauſæ triſtitiæ.

AD concipiendam triſtitiam tria concurrere ſolent, ſine quibus nullus unquam dolor elicitur. Primùm eſt malum præſens, & nobis conjunctum: ſecundum eſt ejus notitia: tertium ejus odium & execratio; ſic enim conſtat ex oppoſitis gaudij cauſis de bono præſente, ac conjuncto & amato. Quolibet ex his tribus aucto redundat cæteris paribus augmentum proportionale triſtitiæ: ſimiliter diminutio ejusdem promovebitur ex decremento cujuslibet ex iſtis. Ex quibus colligitur, mala ſpiritualia compungere majori moleſtiâ, quàm bona temporalia; quia videlicet illa incomparabiliter excedunt, utpote nocentia animæ immediatè, æternúmque nocentia ex animæ natura, quàm iſta, quæ corpus im-

immediatè torquent, & intra tempus determinatum habitura ſunt finem. Ingenerat igitur primò dolorem malum, ſed illud duntaxat, ſi ſit conjunctum, & immiſſum nobis, quamvis non adeò ſtricta habitudo. Et connexio ad ſubjectum proprium exquiratur, ut de immiſſo triſtitia concipi poſſit. Ita dolemus de alienis malis, vel ſi alij tituli deeſſent, quia ſunt perſonarum naturæ nobiſcum communione gaudentium. Mali itidem phraſi ſumitur non ſolùm, quod poſitivè nocet, tollendo, vel lædendo convenientem noſtrum ſtatum; ſed etiam privatio boni, orbitas, & anteceſſus noſtrorum. Subinde tamen nulla prorſus apparet cauſa mæroris; non morbi, non damna, non ignominoſæ injuriæ, non amicorum mors, neque ullus omnino rerum talium inopinus rumor, ſed dolendi quædam voluptas mæſtam facit animam. Peſtis hæc eò funeſtior, quo ignotior cauſa, atque difficilior cura ab anima tanquam ſcopulus, omni velorum, ac remorum auxiliô eſt fugienda. Hoc tamen non eſt ita intelligendum, quaſi revera deeſſet malum quodcunque, ſive reipſa, ſive reſpectu potentiæ cognoſcentis, quaſi revera homo amaritie contabeſcere poſſet, nullo malo facultati cognoſcenti obverſante; hoc enim æquè repugnat, ac appetitio absque prævia notitia. Significare ergo ſolùm poteſt, interdum malum illud, quod nos proſternit, non cognoſci reflexè, nec diſtinctè obijci intellectui, quamvis iſte ſatagat perſpicere, ecquam ob cauſam appetitus concipiat triſtitiam, & moroſitatem. Contingere hoc ſolet præſertim, quando objectum triſtitiæ ex multis minutis incommodis partim corporis, partim animi coaleſcit, quorum ſingula non ſufficerent ad obnubilandam animæ ſerenitatem. Unde, quia ſingula phyſico vinculo non copulantur, vix deprehendere poſſumus, quorſum, & unde affligamur. Poteſtas, cui reſiſti non poteſt, eatenus promovet luctum, quatenus per ſe ipſam eſt malum, cùm potentiæ beneficæ non renitamur; & inſuper eſt præſens, licèt nondum noceat, quantum nocet, cùm reducitur ad actum ſecundum. Sicut enim quælibet appropinquatio boni, & diſpoſitio quælibet ad illud inducendum, eſt quoddam bonum præſens; ita quælibet imminentia mali, eſt malum quoddam, quod animum offendit. Denique pœnitentia, ſicut & verecundia conſequens ad delectationes præteritas, præſertim turpes, de quibus Philoſophus lib. 9. Ethicorum cap. 4. *malus triſtatur, quoniam delectatus eſt*, hæ duæ ſpecies non exſurgunt ex delectatione præterita, qua præterita præcisè eſt, ut apparet in beatis, quos, tametſi memores priorum delictorum, delectationis cauſa commiſſorum, nihilominus nec leviſſima pungit triſtitia, ſed potiùs delectantur de voluptatibus illicitis per opera pœnalia compenſatis. Igitur gaudia

præterita solum possunt angorem parere, quatenus memoria illorum conjungitur cum cognitione mali alicujus præsentis, vel saltem præsentis imminentiæ mali, quæ ex delectationibus præteritis resultant. Quam sæpè recedente delectatione remanet infamia, pauperies, morbus corporis per illas inductus! manent etiam, idque præcipuè, habitus vitiosi, qui vel maximè sunt nocivi: manet reatus pœnæ temporalis, & æternæ: manet ira Dei illativa utriusque, nec non vindicta hominum per delicta concitata! horum itaque præsentia malorum animum torquet, quæ ex delectationibus præteritis tanquam ex radice pullulant. Præterita itaque delectatio mala est objectum solius odii: quatenus autem adhuc in aliquo effectu subsistit, eatenus triste tormentum affert.

Intervenit etiam semper ad causandam dolorem, laxato non nihil vocis rigore, prævia cognitio. Repugnat enim, potentiam cæcam, cujusmodi est appetitus, tendere in objectum nulla prælucente notitia. Itaque ne in infante quidem recens è matris utero fuso, appetitio cibi, & potûs fit absque prænotione alimentorum. Nec obstat quod cibum, & potum nullo unquam sensu externo usurpaverit; nam parvulus neque intra uterum, neque extra illum, cùm primùm fame, & siti corripitur, appetit distinctè cibum aliquem, aut potum, ac proinde nulla distincta apprehensione talium objectorum indiget: sed sufficit apprehensio confusa alicujus necessarii, quod sibi deesse sentit, stimulante incommodo, quod famem, & sitim excitat. Quod si subinde malorum imminentium prævisio à sapientibus dicatur, ea imminuere, cùm evenerint juxta paræmiam: *jacula prævisa minùs feriunt*: id non contingit ex eo, quod quomodocunque prævideantur: hoc námque modo præconsiderata magis valent ad augendam tristitiam; qua de causa ejusmodi præmeditatio à Christo Domino reprobatur, dicente Matthæi 6. *Sufficit diei malitia sua*. Solùm igitur juvat ad leniendam mæstitiam in tempore consideratio illa malorum imminentium, per quam vel ponderantur utilitates, & commoda, quæ ex iis malis per prudentiam, aliásque virtutes, maximè verò per patientiam colligi possunt: vel quæ nobis ostendit, ex parvo infortunio magna etiam commoda temporalia provenire posse. Subinde prodest ad mitigandam displicentiam præcogitare mala cum agnitione propriorum meritorum illa subeundi; nec non cauta observatio calamitatum animæ incumbentium ex continuata, & nunquam interrupta prosperitate fortunæ, & abundantiæ delectabilium. Hinc illud Senecæ lib. de providentia: nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. Et iterum paulò infra: miserum te judico, quod non fuisti miser. Transisti sine adversario vitam. Igitur malorum futurorum

rorum prævisio ideo minuit tristitiam, cùm ea occurrunt, quia facit, ut apparentia mali sit minor. Sapiens nimirum præmeditatio efficit, ut ad adventum mali jam præsentis non sola subsequatur cognitio malitiæ secundùm se, sed etiam notitia bonorum, quæ inde so: olescere possunt, nec non circumstantiarum, ob quas ratio nocumenti non est tanta reipsa, quanta primo intuitu apparet sensibus, & videretur intellectui, nisi sapienter esset præmunitus.

Ultimò denique exigitur ante quamcunque tristitiam, & dolorem, odium mali, eò quòd inquietudo illa, & renisus, quibus mæror constituitur, feratur in malum exosum, & invisum. Sufficit tamen ad complendum objectum tristitiæ actus nolendi conditionatus. Ita constat mercatorem, ingruente tempestate, adactum ad proijciendas merces, velle quidem simpliciter eas proijcere, ut evadat imminens naufragium; conditionatè tamen nolle hanc projectionem. De tali autem projectione tantùm conditionaliter rejecta concipit tristitiam. Sancti Apostoli, & Martyrum Chorus verè tristabantur de suppliciis, & calumniis sibi illatis. Cùm tamen in conspectu atrocium tormentorum, aliorúmque malorum temporalium simul considerarent bona æterna, eorúmque spem, & merita, tanquam bona præsentia, horum præponderantia in eis efficit, ut verè prævaleret lætitia. Subinde etiam gratia singularis lenivit supplicia, & ille, qui in fornace succensa Babylonis mutavit flammas in Zephyros, convertit etiam aliorum ærumnas in delicias: aut si ipsi non placuit hanc adhibere methodum, adhuc magìs stupenda ratione impedivit, ne animæ communicarentur corporis pœnæ, & ita orbi ostendit, se Dominum supremum totius naturæ creatæ.

§. IV.

Tetræ hujus passionis proprietates.

SI omnis perturbatio passionis miseria est, tristitia certè erit deterrima ægritudo. Habeat ardorem libido, levitatem lætitia gestiens, humilitatem metus: majora hîs includet tristitia: & quidem ex genere suo, non tantùm ex accidente malus est iste affectus; imò omnium pessimus. Sicut enim delectatio omnes vitæ functiones perficit, ita iste tam corporis quàm animæ operationes vitiat, ut ex inferiùs dicendis clariùs apparebit, & plurima miseranda exempla ostendunt. Horum unum est Niobe, quæ ob angorem in saxum versa fingitur: est etiam Hecuba, quæ,

quòd ejus mæror demum in rabiem, ac desperationem migraverit, in canem mutata dicitur. In hunc numerum, miseris fabulis, referenda est octavia Marcelli mater, quæ in unam semper rem intenta, & totô animô affixa, flendo, & gemendo talis per omnem vitam fuit, qualis in funere apparuit. Non admisit ullas voces salutare aliquid afferentes; non ausa consurgere, allevari insuper recusavit; nullam habere imaginem charissimi filij voluit, nullam sibi fieri de illo mentionem. Tenebris, & solitudini familiarissima, lugubrem vestem nunquam deposuit, & aures adversùs omne solatium clausit. Ut autem ex omnibus passionibus tristitia est maximè virulenta, ita præ omnibus est magis communis, videtúrque illa nobis connaturaliter adhærere, & gaudium è converso tantùm accidentaliter. Omnes corporis partes expositæ sunt doloribus: & paucissimæ numerô gustare possunt voluptates. Calamitatum integræ cohortes in nos insurgunt, & licèt aliàs inter se sint oppositæ, in nostram nihilominus perniciem conspirant, & uniuntur. Gaudia, si sibi invicem occurrant, sese destruunt, & quasi conditioni nostræ inviderent, in adventu unius colliquescit, & desinit alterum. Dolores ætatem ferunt, & quasi natura in nostris suppliciis sibi complaceret, eadem prolongat, dum interim voluptas, cùm maximè delectat, extinguitur; non multum loci habet; citò implet, citò tædio est, & post primum impetum, marcet. Ad persuadendum dolorem nobis magis familiarem esse, quàm gaudium, sufficit intendere oculos in miserum vitæ nostræ statum, in quo inanem lætitiam mille veris emimus doloribus. Non opus est è contra luctum advocare; sponte sua advenit; dolor unus brevi alium subsequentem nuntiat, ubi deliciæ multo sudore sunt quærendæ, & plerumque majori pretio constant, quàm valeant. Denique gaudia semper permiscentur dolore aliquo; non colliguntur hæ rosæ sine spinarum aculeis; non gustantur dulcedines sine afflictionum amaritie, & plerumque vivaciùs molestiæ pungunt, quàm suavitates demulceant. Levissima febris robustissimas prosternit consolationes: modica infirmitas extinguit in belliduce victoriarum saporem, & decreti triumphi splendorem obnubilat.

Denique ex omnibus passionibus nulla est, quæ magis veritate nitatur: omnes aliæ plurimùm à nostra imaginatione dependent, & sine hujus auxilio non adeo vehementem in nostris sensibus impressionem causarent. Desiderium, & spes quoties nobis illudunt? ut ille propiùs naturam illorum descripsisse videatur, qui dixit, esse somnia vigilantium. Amor, & odium occupant animam sine fructûs, & utilitatis perceptione. Timor umbræ non malè assimilatur, & sæpè phantasmata

nos vanis ſpectris terrent. Audaciæ, & iræ victoriam promittit inimicorum imbecillitas. Dolor præ cæteris verum eſt malum, quod animam, & corpus premit, & uno ictu utramque partem ferit. Scio, mærores aliquos omnem vim ſuam contra nobiliorem hominis partem, contra ſpiritum ſcilicet exſerere; ſed ſi violentiores evadant, ad corpus quoque deſcendunt, & occultô contagiô infirmitas dominæ fit etiam morbus ſervi. Tam arctis inter ſeſe vinculis colligantur corpus, & anima, ut omnia ſua bona, & mala ſibi invicem communicent, ita ut anima commodis ſuis contenta medeatur infirmitati corporis, & corpus ægrum affligat animam. Suffert patienter anima in ſuo carcere omnes calamitates ſibi incumbentes, & modò corpus eximatur doloribus, ſemper conſolationum copia abundabit. Magnanimiter ſpernet divitiarum perditarum amiſſionem, & reſtrictis deſideriis paupertate contenta vivet. Contemnet honores, & ſciens, hos ab hominum opinione dependere, felicitatem ſuam tam fragili fulcro non laborabit ſtabilire. Non multùm curabit voluptatum defectum, & pudor, qui eas plerumque comitatur, imminuet dolorem, qui ex perditione naſcitur. At verò quid faciet animus (verba ſunt Auguſt. lib. de gratia novi teſtamenti) ut non doleat, cùm corpus vulneratur, aut uritur, cui tanto implicatur conſortio, ut pati poſſit, non dolere non poſſit? timebit anima mortem, quæ ex ſe eſt immortalis; plagis ſuccumbet, quæ vulnera recipere non poteſt; ſi labra in querelas ſolventur, cogetur lamentari; ſi oculi in fletus, lachrymari, ſi cor in ſingultus erumpet, ſuſpirare. Etſi tota ſit ſpiritus, ſentiet omnia tamen mala ſui carceris, quem animat. Stoicorum quidem Philoſophia nihil glorioſius habuit, quàm efficere, ut commercium inter animam, & corpus tollatur, & conata eſt ſeparare duas partes, ſine quibus totum compoſitum ſubſiſtere non poteſt. Prohibuit ſuis diſcipulis tyrannico imperiô lachrymarum dulcedinem: voluit, ut anima corporis dolores non ſentiret, ſed ut in medio rogo mentem elevaret ad contemplandam virtutum pulchritudinem, & rerum naturalium miracula. Habuit quidem barbara hæc ſecta, qui eam admirarentur; nullum qui ſequeretur: illius præcepta ad deſperationem adigebant omnes illos, qui eadem opere exſequi conabantur.

Hæc tamen non ſunt ita accipienda, quaſi in nulla triſtitia aliquid reperiatur, quod ſit approbandum, & quaſi ab omni mærore tanquam à lue eſſet declinandum. Pro multis calumniis non nihil nunc de illa mereamur, & aliquos uſus ad felicitatem elogiô commendemus. Illa igitur triſtitia miſera non eſt, quæ cum fructu urget; & feliciſſimus mæror illorum malorum, quæ auferri poſſunt, & debent. Non loquor tan-

tùm de triſtitia ſpirituali, per quam deplorantur peccata, & peccatorum cauſæ, ac occaſiones; huic enim opus non eſt remedium adhibere, cùm ipſa ſit remedium; nec mala dici poſſit, quæ ad mala tollenda conſecratur applaudente natura, & cælo. Reperio etiam aliam triſtitiæ laudem, & inſignes moderati ad rectæ rationis præſcriptum mæroris fructus, qui in molliſſimo cæteroquin genere, ſolutiſſima fluxarum rerum irritamenta ſubmovet, & ad frugem reducit. Ubi troſſulus talis aliquem ſuorum amiſerit, continuò velut fulmine tactus aufugiet, & nuſpiam apparebunt diſſolutæ lætitiæ: nuſquam ventris cura, aut ſollicitudo carnis habebitur, ſed acerrimam continentiam introducet Philoſophia. Juges vigiliæ, ſummum ſilentium, humilitas ultima, manſuetudo ineffabilis, miſeratio immenſa. Audientur apud famulos, & omnes domeſticos philoſophici ſermones de mundi contemptu, de rerum mortalium caducitate; dicent omnia hìc in ſcena agi, & nihil inane, aut fluxum celebrabunt. Tunc verè miſeræ, probroſæque apparebunt divitiæ: tunc fæda videbitur jactantia: invidia verò, & ira, ac libido ne ad extremas quidem lugentis januas accedent; ſed hæc omnia extinguentur, ita ut ne odor quidem ullus horum occurrat. O fortunatum luctum, quo multi deſinunt eſſe lamentabiles! O ſalubrem ægrimoniam, quo ſani fiunt. Ad levandas quoque alienos mærores noſter prodeſt. Sic enim inter plures onus diviſum nulli eſt tam grave onus, & conſortium aliorum erit malorum ſolatium. Quemadmodum enim meticuloſi, ſi ſoli ſint in aliquo loco, trepidant; ſi cum ſociis, remittunt timorem, quòd putent plures eſſe, qui reſiſtere malis poſſint, & periculum aut minus, aut languidius futurum multis obſiſtentibus: ita qui mæret, communitate languentium ſperat majorem reſiſtentiam, minùs pertinax malum, nec diu durare poſſe, cui tot repugnant. Ad hæc ex compaſſione aliena præſumit ſe amari, lachrymæque ipſi ſunt gratiſſima amoris cæremonia: amori autem lætitiam expromet, & ſic feſtivitas benevolentiæ mærorem extenuat.

§. V.

Quinam ad triſtitiam opportuniores?

TRiſtitiæ magis obnoxii ſunt, qui contrariis ægriùs reſiſtunt, & ad læta obeunda non ſunt diſpoſiti. Itaque ſenes, & ægros, ac illos qui valetudinem nondum confirmârunt, quia pauci caloris ſunt, & exan-

exangues, ac debiles, ægréque contrariis obsistunt, facilè mæstitia vulnerabit. Nec aliter statuendum de iis, in quibus atra bilis, melancholia, & amarior sanguis abundat. Sunt enim isti à jocis prorsus alieni, ac sol ipse, & hujus aëris perspicua natura impedimento videtur esse taliter affectis, ac illorum luctus profundissimam noctem imitari, imò tenebræ noctis tam atræ non sunt, quales mæroris nox in multis procreat. Colliguntur ex cogitationum obscuritate, formidabiles quædam imagines, ac intoleranda crux circumfertur. Iracundi etiam ad hanc tabem procliviores sunt, quòd ira adjunctam semper, & admistam habeat tristitiam, ratione malè offendentis, quod iram concivit.

Subinde etiam prævalet novus aliquis humor, aut dispositio corporalis peculiariter nociva, ratione cujus, aut apparentia bonorum extinguitur, vel extenuatur; aut è contra apparentia malorum nova inducitur, vel ob perturbatam, aut confortatam phantasiam augetur. Cùm enim species materiales bonorum, & malorum insideant subjecto corporeo, atque hoc sit dilatabile per rarefactionem, & constringibile per condensationem; fieri planè poterit, ut tam bona, quàm mala sortiantur novam in phantasia, atque inde etiam in intellectu apparentiam, aut novum præexistentis apparentiæ augmentum, & intensionem, nulla licèt novitas superveniat ipsorum aut bonorum, aut malorum.

§. VI.

De effectibus tristitiæ.

TRistitiæ effectus planè sapiunt parentem, súntque tales, ut à nullo affectu plus homini creetur molestiæ. Cùm enim hominis maximum bonum, sicut & cujuslibet alterius creaturæ situm sit in operatione, & tristitia maximè omnium hanc retardet, ac impediat: eadem procul dubio præ cæteris nocebit. Et primò quidem perturbat operationem rationis, & intelligentiæ, si modum excesserit. Quid enim mens intelliget, vel addiscet, vel rectè concipere animus poterit, ubi eam cruciatus occupat? ubi doloris objectum totam ad se trahit vim intelligendi, spiritus absumit, & cor aggravat? excitatâ autem procellâ tetricarum cogitationum, & ubi confusa mens naucleri manum ad navis gubernaculum admovet, appetitum submergi est necesse; & secum in interitum etiam trahere voluntatem. Fatigato appetitu, debilitato corpore, nulla virtus placere poterit. Infliget vulnus avaritia, quæ ex tristitia de

inopia naſcitur: ſervandæ caſtitatis mæror ad libidinem, & voluptates fœdè armabit: illatæ ſibi injuriæ amara, & ſolitaria cogitatio, intus iracundiam, & vindictæ furorem accendet: in gloriæ, & privatæ vitæ dolorofa impatientia fomitem tumidæ ambitionis, & auræ evanidæ eriget, qua animus turgens tandem diſrumpetur. Ecce quomodo ab unica hac paſſione omnis in animo plaga exurgat; ecce quomodo unicus in homine mæror ſeminarium, & ſcaturigo ſit putrida omnium vitiorum, quapropter monet Siracides Ecclef. 30. *Triſtitiam ne des animæ tuæ, & non affligas temet ipſum in conſilio tuo.* Ulterius progreſſus D. Thomas quæſt. 39. art. 1. & 2. docet, triſtitiam per ſe non eſſe expetibilem, neque proſecutioni, aut electioni ejus liberæ ullam poſſe convenire honeſtatem, præterquam per accidens, & ex ſuppoſitione: atque honeſtum, & laudabile per ſe eſſe vitare triſtitiam, ad eum modum, quo eſt honeſtum per ſe vitare occiſionem hominis, inhoneſtam per ſe, ac turpem, ſolúmque honeſtam, ac laudabilem ex accidentali aliqua ſuppoſitione, & circumſtantia.

Omnium maximè vim ſuam exerit ad contrahendum cor, venas, & arterias, imò & omnia viſcera, atque adeò ipſum etiam cerebrum, quæ partium ſeſe colligentium arctatio fit non ſecùs, ac in vermium corporibus, dum calcantur. Hinc porum ſanguinis arterioſi in carnes effunditur, contractis ſcilicet meatibus; hinc pallor, vultus, & frigus; ruborem enim, & calorem ſanguis arterioſus affuſus conciliat. Hinc ſubſidit caro, naſus acuitur, genæ cadunt: frons evadit auſtera, & aſpera, ipſóſque ſuper oculos videtur decidere: oculi ex abſentia ſpirituum hiant, ac obſcurati, hebetes, languidi, flaccidi, & quaſi defatigati maximam pœnam in ſui defatigatione, videntur ſubire: ſupercilia, cùm abjectioni animæ conformentur, ſe penitus etiam occludunt: labra etiam in hac paſſione albeſcere, tremere, ac ſemet contrahere cernimus; præſertim advertitur ſingularis quædam levis depreſſio exteriorum partium in labiis, ut ad plorandum ſe expeditum oſtendat.

Amant autem dolentes ſilentium; quod ſi ad loquendum adigantur, voce depreſſa utuntur, magìs tamen acutâ ob guttur contractius, caput ipſum vel antrorſum modicè inclinatur, vel brachiis cubito fulcitis innititur, denique etiam paululum in humerum dextrum deprimitur: ipſæ quoque manus, ubi aliquantulum elevatæ fuerint, ſubitaneo quodam impetu in ipſa femora demittuntur, quaſi anima easdem elevando ſe vellet malo opponere; quia verò ſe impotentem intuetur inopinati mali magnitudine perterrita ſpem omnem abjicit. Ubi progredi neceſſe erit, ſequetur inceſſus lentus, atque incertus, propenſio inſuper ubique con-

confidendi, vel cubandi; facilis somnus, quia contracti meatus facilè obstruuntur; modica cibi appetentia; quòd, sicut in morbo, cibus difficiliùs deglutiatur propter fibras impeditas; & quòd contractiora viscera novum cibum respuant: denique languor in omnibus actionibus elucens nihil nisi manifesta ingentis debilitatis signa prodit.

Singularis effectus luctûs sunt longa, & grandia suspiria, quæ anima sibi vendicat, ut iis aliquantum defectum refrigerationis, quem ob contractos capillarium meatus in pulmonibus, & interceptos fuligines patitur, compensare satagit. Solent etiam in lamenta resolvi tristitiâ oppressi, ut hac specie languidi, & miserabilis clamoris magnitudinem sui doloris aliis participent, & se insuper exonerent aliquantulum ægritudine, qua premuntur: tum denique ut hoc medio aliorum auxilium implorent. Et verò omnia ferè animalia præ dolore ejulant, queruntur lamentantur aperto ore, & lamentabili vocis sonô dolorem suum testantur, ut vel ipsos homines ad commiserationem commoveant. Ubi diminuta molestia mediocrem statum observat, permittitur lachrymis libertas, quæ in se frigidiores sunt iis, quas gaudium exprimit. Ratio est, quia hæ à nimia sanguinis arteriosi copia, quo cerebrum per nimiam lætitiam turget, ortum trahunt; hinc multum caloris inesse opportet; illæ verò per expressionem puri quasi humoris, seu phlegmatis distillantur: hinc parùm ignis continent. Quia tamen in dolore ex spirituum subtractione facies frigida remansit, calidæ apparent, non secus, ac aqua in se tepida sentitur calida, cùm manu frigida tangitur.

Porrò lachrymarum fontem Cartesius censet esse vapores oculorum in aquam resolutos, aítque nullam esse corporis partem, è qua plures emittantur vapores. Sed tria huic opinioni videntur obstare. Et primò quidem exterior oculi tunica, scilicet sclerotis, duritie, crassitie, ac densitate superat omnes corporis membranas, ut in animum induci non possit, alias partes, puæ decuplo calidiores, humidiores, ac porosiores sunt oculis, non plus evaporare. Secundò quomodo tanta vis halituum confluere posset ad delicatissimum organum absque notabili damno, tumore, vel luminis jactura? denique non apparet, quomodo modicissimo temporis spatio colligatur ea vaporum multitudo, quæ liquari possit in continuum, & horarium fletum. Meliùs statuitur cum Isbrando, & aliis compluribus, lachrymas esse serosum cerebri excrementum, quod per ossis cribrosi angustias, aut alios meatus in fungosas narium partes, ac inde per lateralia foramina in oculorum canthos delabitur. Convenienter enim ad hanc hypothesim exsplicantur omnia, quæ circa lachrymas occurrunt. Sic in tristitia cerebrum nimiùm comprimi-

tur; hinc plus humoris in pelvim ex ventriculis exprimitur; inde per ductus ad nares, & oculos descendit. Sic flentes coguntur emungere frequentiùs nares; emunctione verò narium non raró sistuntur lachrymæ: serum nimirum compressione cerebri propellitur ad ossa spongiosa narium, ibique crassiores particulæ diutiùs nasum obstruunt, tenuiores verò, vel magis serosæ tamdiu per latera defluunt ad oculos, donec oblatis crassioribus via referetur in nares. Sic pueri, senes, & mulieres ad fletum pronissimi; quia nempe præ cæteris ex tædio, amore, vel ira tristantur, ac in cerebro copiosô abundant phlegmate. Omitto alia plurima, quæ hanc sententiam reliquis probabiliorem reddunt. Si tamen velis subinde colligi quasdam guttas ex sero per arterias oculorum allato, non habebis me invitum; modò non omnem serosum humorem in glandulis ocularibus ex arterioso sanguine derivare contendas; in tristitia enim nimis comprimuntur arteriæ tenuissimæ, ut fontem lachrymarum in multas horas suppeditare possint. Quia verò longiori fletu mitigatur tristitia, vulgaris ratio redditur, quòd unà cùm lachrymis pars doloris quasi exhilaretur idcirco Ovidius lib. 4. tristrium.

Est quædam flere voluptas,
Expletur lachrymis, egeritúrque dolor.

Alii potiùs credunt, expresso humore partes calidi, vel ignis colligi; hinc calor, & novus vigor succrescit. Quòd si tamen tristitia ad summum ascenderit, tunc etiam fletus coercetur, quod ideo evenit, quia ipsi quoque ductus, qui à glande pelvi subjecta versùs oculos eunt, ita contrahuntur, ut humor traduci non ampliùs valeat. Insuper anima nimio doloris sensu abrepta obliviscitur suum dolorem his mediis prodere. Ubi tamen vinô refocillabitur corpus, & mitiùs sæviet dolor, uberrimus iterum lachrymarum fons scaturiet. Nonnulli ex nimia tristitia etiam statu mentis dejecti leguntur, quod commotio nimia in spiritu causata ipsius imaginationis organa alteraverit, ordinémque specierum intentionalium immutaverit, quo facto tum cogitationes, tum verba ipsa prorsus inepta prosilire necesse est. Interdum doloris introrsum conclusio spiritum illico intercludit, unáque vitam eripit. Ita Rutilius referente Plinio lib. 7. cap. 36. auditâ fratris consulatum ambientis repulsâ, illico egit animam. Sic scribit Jovius Rusiacum Suevum, cùm relatum filii à turcis cæsi cadaver conspexisset, præ dolore mortuum concidisse. Ingruente enim nimium sanguine in cor, impeditur illius motus, & animal suffocatur, non aliter ac in lampade contingere videmus. Sicut enim nimia olei affusione flamma extinguitur; ita per spirituum, & sanguinis exuberantiam, obstructis meatibus, sanguis in corde stagnare incipiet.



Fulmina cessabunt: lucet Spes certa sereni.

M. I. Milldorffer del. Œnip.   B. F. Lutz sc.

cipiet. Unde non rarò post mortem magna vis coagulati sanguinis in cordis ventriculis reperitur. Subinde quod de Pirrho memorant, cor omnino nigrum, & quasi tostum apparet; quia sanguis nimius ad cor congestus humidas, & pinguiores partes absumit. Ob tam multos igitur, & tam tetros effectus homo laborat omni ope tristitiam à se excludere, & quoniam semper aliquem patitur dolorem, idcirco continuò appetit voluptatem quasi remedium.

DISSERTATIO VII.

De spe prima passione appetitûs concupiscibilis.

§. I.

Discutitur natura spei.

ELucidatis iis passionibus, quæ ad appetitum concupiscibilem reducuntur, examinandæ supersunt illæ, quæ irascibilem facultatem pro parente agnoscunt. Inter has primo loco se offert spes, quam aliqui cum Arriaga in complexo ex actu cognitionis, & appetitionis constituunt, inducti hac ratione, quod deficiente solo actu potentiæ cognoscitivæ, id est omni penitùs probabilitate obtinendi bonum, etiam spes corruat. At quare non etiam gaudium in cognitione constituunt? æquè enim deficit gaudium, ubi nulla cognitio boni possessi prælucet. Dicendum igitur spem consistere in actu appetitivo, præsupponente cognitionem de practica possibilitate obtinendi rem, licèt arduam. Appetitio enim boni præsupponens cognitionem arduitatis, nec non futuritionis illius boni, si per appetentem non stet, vel est possibilis, vel non? si secundum: unde ejus repugnantia? si primum: appetitionem istam spem appello. Non enim est actus simplex amoris stricti, aut puræ complacentiæ; nam hæc à consecutione boni præscindit: non gaudium; nam hoc supponit cognitionem boni ut jam possessi; ille autem conatus, in quo spem stare assero, quamvìs supponat cognitionem de boni adeptione, si non stet per ipsam personam sperantem, non tamen supponit cognitionem absolutam de boni futuritione: non item desiderium merè tale; nam hoc non prærequirit, ut bonum cognoscatur esse arduum, vel futurum, Quamvis enim ipsa spes sit aliqua concupiscentia, seu appeti-

tus in bonum, ut bonum ipsi speranti; non tamen pertinet hic affectus ad concupiscibilem, sed irascibilem facultatem, cùm boni ardui consecutio indigeat robore animi, opúsque sit adhortatione simili Æneid. 6.

Nunc animis opus Ænea, nunc pectore firmo.

Igitur aliud non est super, quàm ut illa appetitio præsupponens cognitionem arduitatis, & fruitionis, dicatur esse spes. Ex quibus liquet, spem esse quasi affectum compositum ex desiderio, atque ex opposita abominatione, & æquivalere simultati utriusque, ita tamen, ut prævaleat in ejus conceptu adæquato ratio concupiscentiæ, seu desiderii. Sicut enim sensus provocari solet non tantùm dulcedine, suavitate, & similibus lenociniis palati; verùm etiam mixtura quadam ex dulcedine, & amaritudine, ex suavitate, & asperitate; & sicut auditus non tantùm rapitur voce suavi, & quasi argentea; sed musica composita ex heterogeneis, atque discordibus vocibus; & oculus non modo pascitur coloribus, sed etiam umbris colori admixtis: ita spes fertur ad bonum absens, atque per hoc coincidit cum desiderio. Convenit verò similiter cum fuga, quatenus tendit in bonum sub ratione difficultatis, & ardui, & omnis difficultas, & arduitas in bono offendit, sicut facilitas expetitur. Unde sperant simul, & indivisim ex una parte amplectitur bonum speratum, & tendit ad conjunctionem cum illo atque ad ejus possessionem: ex altera verò parte avertitur ab ipsius boni arduitate, & difficultate, eámque conatur superare, atque funditùs evertere per præsentiam boni. Prævalet nihilominus ratio desiderii, cùm ob affectum, & adhæsionem ad bonum contemnatur omnis amaritudo, quæ illi immiscetur, atque intenditur ejus victoria, & extirpatio; non quidem per purum recessum, quod convenit propriè abominationi; sed per congressum cum difficultate & arduitate.

§. II.

De objecto spei.

OBjectum spei esse bonum nemo est, qui dubitat. Hoc queri potest, an etiam in bonum non amissibile possit conatus spei tendere. In qua controversia censeo contra Arriagam etiam illum sperare posse, qui metaphysicè certus est de futuritione boni. Non affirmo quidem objectum simpliciter, & antecedenter necessarium posse esse objectum spei; quis enim prudens seriò, & efficaciter speret, hominem futurum esse

ani-

animal, Deum esse omnipotentem, aut similia prorsus necessaria? sed sermo mihi est de illo, quod non potest non dari consequenter ad cognitionem spei directricem, licèt antecedenter fuerit res merè contingens. Sic communiter dicitur in sanctis animabus purgantibus flammis detentis vigere spem æternæ beatitudinis consequendæ, & tamen hæc non potest ab eis amitti, cùm noverint cognitione infallibili se aliquando avolaturas ad recipiendum præmium beatitudinis. Nec obstat; hanc cognitionem esse obscuram, & sua obscuritate æquivalere defectibilitati; quia nihilominus redduntur illæ animæ certæ de absoluta beatitudine futura, utpote innixæ promissioni divinæ, & dubitarent potiùs de quibusvis aliis evidentiis merè naturalibus, quàm de gloria ventura. Fulcitur hoc exemplum à purgatorio erutum ratione à priori dicta. Quamquam enim affulgeat infallibilis evidentia obtinendi boni, possunt tamen in objecto concurrere omnes conditiones requisitæ ad hoc, ut sit materia spei, scilicet *bonitas*, *arduitas*, *& futuritio*, potéstque nullum intervenire impedimentum ex parte potentiæ. De bonitate non est ullum dubium. Arduitas vel consistit in ipsa excellentia boni sperati, vel in eo, quòd dependeat ab alterius arbitrio, vel quòd obtinendum sit magno laboris pretio, vel in dubia anxietate sperantis. At edic Sodes, quare evidentia illa componi non potest cum bono ingentis excellentiæ, cum eo, quòd donandum sit ab aliena libertate, cum eo, quòd acquiri debeat profuso sperantis sudore? cur his illa evidentia adversatur? dubia animi anxietas abesse potest perseverante adhuc arduitate, ut contingit in animabus purgatorii, quæ dubia anxietate non vexantur, & tamen adhuc ardua ipsis accidit cœlestis visio, quam non elicient, nisi difficilibus priùs exantlatis laboribus. An ex parte potentiæ impedit evidentia præfata? at non video, quomodo id, quod spe maximè acuit potentiam ad sperandum, spei obicem ponere possit: sed quemadmodum cognitio de non adeptione boni facultatem retardat maximè à sperando, ita clara repræsentatio maximè invitat potentiam ad sperandum, ut docet experientia: igitur alacriores erimus ad sperandum, si evidentior claritas prælucebit. Secundò nihil evinces contra doctrinam datã hac paritate, quòd sicut cognitio alliciens ad amorem liberum, potest crescere ad talem gradum, ut dari nequeat amor liber, sed sit necessarius, ita spes exposcat cognitionem adeptionis in certo, & determinato gradu, quem si excedat, subsequetur alius prorsus affectus. Nam quamvis crescere possit cognitio alliciens, ut nulla libertas perseveret; hoc tamen nonnisi arbitrariè affirmatur de spe, cùm hæc possit esse non libera. Hinc sicut cognitio alliciens, licèt interdum impediat libertatem amoris, attamen non perimit

mit amorem ipsum secundùm se præscindendo à libertate, quin imò potiùs urget potentiam ad ipsum: ita cognitio acquisitionis, alliciens ad spem, quamvis progrediatur ad clarissimam evidentiam, non tamen opponetur cum spe ipsa secundùm se spectata, sed potiùs eam stimulabit, & ad summum pugnabit cum ejus libertate. Neque me terrent, quæ habet Sanctus Thomas 1. 2. q. 67. art. 4. ad 3. in hæc verba: *bonum, cujus jam inevitabilem causam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui. Verè enim propriè dicitur aliquis, quia habet argentum, sperare se habiturum vestem, quod statim in potestate ejus est, ut emat.* Aliud enim est inevitabilem habere causam, quæ nulla mediante difficultate assequetur effectum: aliud, quæ arduitate interveniente illum sortietur. De primo sermo est sancto Doctori, ut ex verbis allegatis apparet: & nos de secundo disputamus, ubi licèt causa inevitabilis adsit, potest ea non nisi post plurimos exhaustos sperantis labores terminum attingere, ut contingit in animabus purgatorii sine hæsione credentibus futuram aliquando gloriam, nec non in animabus priscorum Patrum in limbo quondam detentorum sperantium pretium suæ redemptionis, quod sine ambiguitate credebant, & denique in Christo Domino certissimè sciente gloriosam corporis sui Anastasim, & tamen illam sperante.

Ex his infero, affectum, qui tendit in malum infallibiliter venturum, non esse sollam tristitiam, sicut spes de bono certissimè acquirendo non est solum gaudium, cùm Divinissimus Salvator noster fruitus sit infallibili scientia suæ necis, & tamen timore ejusdem non caruerit; nam attestante D. Marco cap. 14. *cœpit pavere;* pavor autem, & timor in quo differunt? quòd verò cùm hoc timore detur tristitia, non repugnat, cùm idem Dominus utrumque habuerit affectum, & cœperit *pavere, & tædere*, & dixerit: tristis est anima mea &c. Interea tamen duo fateor, unum est: quòd, sicut eadem cognitio bonitatis finis potest impellere ad duos actus diversos, unum qui simplex complacentia, alterum, qui sit efficax intentio finis: ita eadem certa cognitio venturi boni excitare potest duos affectus diversos, unum, qui sit gaudium, & alterum, qui sit spes. Erit gaudium in hoc casu quasi actus reflexus, non de eo, quòd objectum erit, sed de eo, quòd *certò erit.* Spes è converso non est de eo, quod objectum *certò erit*, sed de eo, quod suo tempore erit: & quamvis idem sit à parte rei *erit, & suo tempore certò erit;* diversi tamen sunt modi exprimendi, quæ diversitas sufficit ad actus diversificandos, ut frequentissimè accidit, cùm circa easdem res soleamus elicere actus valdè diversos. Alterum, quod concedo est, non posse

posse nos sperare *bonum ut conjunctum cum infallibili cognitione*, quia sic est prorsus necessarium: nec etiam possumus illud sperare conatu absolutè efficiente ipsum. Interea tamen malè concluditur non posse nos sperare bonum spe ex se, & in actu secundo causatura bonum, si, ut fieri posset, abesset infallibilis ea præcognitio. Quòd si intuleris spem illam saltem fore inefficacem, utpote supponentem bonum aliunde exstiturum, concedam de inefficacia effectiva, absolutè in actu secundo; sed abnuentem me habebis de inefficacia affectiva, & causativa sub hypothesi, quòd non præfulserit infallibilis ea cognitio, ut poterat pro priori abesse ad alium actum spei, qui esset ejusdem moraliter speciei cum isto, quamvis pro priori debeat dari ad actum istum individuum, utpote directum per infallibilem illam cognitionem.

§. III.

An, & quæ arduitas requiratur ad spem?

Arduum in præsenti idem est, quod altum, excelsum, accessúque difficile juxta versus illius, qui de Poliphemo 3. Æneid. canebat:

Ipse arduus, altáque pulsat
sydera.

De hac jam pronuntio arduitatem quidem requiri ad objectum formale spei, quatenus illud non movet ad affectum pugnacem prosecutivum, nisi objecti, in quo illa reperitur: sed hinc non colligitur illam esse adæquatè, vel inadæquatè objectum formale spei, sed tantùm esse conditionem requisitam ab hac in objecto materiali. Sic tametsi quantitas neque adæquatè, nec inadæquatè sit objectum formale visûs, cùm hoc sit solus color, & lux; nequeunt tamen movere ad videndum, nisi objectum sit quantum. Et ideo scripsit S. Thomas 1. 2. q. 25. art. 3. *Dicendum, quòd arduum non est ratio appetendi, vel accedendi potiùs bonum.* Ratio hujus eruitur ex eo, quòd objectum motivum affectûs prosecutivi, ut distincti ab aversativo debeat ad illum affectum movere: sed arduitas non potest incitare ad affectum prosecutivum, sed suapte natura potiùs ab eo retrahit, cùm ipsa non sit bona, & ipsam bonitatem potiùs asperitate aliqua inficiat: solùm igitur requiritur, quatenus novum decus, nováque jucunditas accrescit ipsi ex arduitate debellata. Hinc phrases illæ, quòd magnitudo ipsa bellici conflictus acuat martiales animos, ut se illi ingerant, quòd arduitas actionis gloriosæ animo-

 rum

rum generosorum excitet voluntatem ad actus heroicos; hæ, inquam, & similes phrases pulchræ sunt tantùm Oratoribus concessæ: Philosophis verò non est licitum iisdem uti, quia denotatur per illas, quòd difficultates per se formaliter, & immediatè, atque in sensu positivo alliciant, inviténtque animum fortem, & gloriæ avidum, cùm tamen in sensu solùm negativo & mediato moveant, quatenus nimirum illorum absentia prohiberet victoriæ jucunditatem, & quatenus necessariæ sunt ad aliud, quod per se immediatè allicit ad jucunditatem obstacula triumphandi. Si tamen in ipsa spe velis ingredi latissimos campos formalitatum, & distinguere inter tendentiam prosecutivam, & aversativam, dabo tibi, quòd arduitas possit esse objectum formale spei, quatenus est tendentia aversativa, & contemptiva ardui sui obicis; sed plerumque solis actibus prosecutivis attenditur, atque idcirco solemus dicere objectum formale actuum esse id, quod movet ad illos. Necessaria nihilominus est in spei passione arduitas, ut colligitur ex Aristotele 2. Rhetor. cap. 5. in quam etiam doctrinam frequentissimè eunt reliqui, qui non student nova comminisci vocabularia. Eruitur hoc ex eo, quòd omnis actus participans rationem fortitudinis tendat in arduum, cùm propria fortitudinis materia sit difficultatem vincere: omnis autem nisus spei habet aliquid de fortitudine. Quemadmodum enim desperatio est pusillanimitas quædam, vel difficultatibus cedens, vel minora bona eò quòd facilia sint, præponens majoribus: ita spes est generosus quidam impetus repellens difficultates, nec non blanda bona minora, quæ majoribus adversantur. Et certè qui in corde interno legere posset hujus affectûs naturam, inveniret, differri bonum, quod efficaciter anhelamus, sine dubio cruciare animum. Ideo Angeli in statu viæ, & homines in statu innocentiæ poterant sperare beatitudinem, quia utriusque incerta, nec illico danda; Deiparæ verò etiam ardua fuit, tum propter dilationem, tum quia dependens à magnis angoribus priùs exantlandis. Cùm igitur omnis res futura secum trahat dilationem, hoc ipso bonum à spe vehementer exoptatum reddet illud obtentu difficile. Notissima est Salomonis sententia Prov. 14. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Eandem torturam desiderij efficacis dilati in posterum exsplicat etiam David Psal. 12. his verbis: *Usquequo Domine oblivisceris me in finem?* & alii &c. Hæc autem arduitas, quam spes requirit, non est quæcunque, sed consistit illa in certis quibusdam gradibus, qui soli Deo innotescunt, quique sufficiunt ad reddendum vigorosum affectum, non autem ad ipsum prorsus extingendum; sicut propinquitas objecti, quam requirunt oculi, non est quæcunque; nam summa certè officit; sed media quædam & proportionata.

At

At verò video jam diu exſpectari, ut tandem exſplicem, in quonam prædicta arduitas conſiſtat. Aio igitur, eam nec determinatè conſiſtere in eo, quòd bonum obtinendum ſit auxilio, vel beneplacito alterius: neque determinatè in eo, quòd bonum hoc ſit in ſe ipſo excelſum; ſed conſiſtit vagè in quovis inducente dolorem, laborem, timorem, anxietatem, vel dilationem in adeptione boni prædicti. Non nego, dependentiam ab alieno arbitrio eſſe interdum obicem ſufficientem, quippe quæ incertitudinem, torturámque gignere poteſt; ſolùm oſtendo non eſſe determinatè requiſitam. Vel enim arduitas eatenus conſiſteret in iſta dependentia, quatenus hæc redderet bonum incertum propter indifferentiam, quam habet arbitrium alienum? at poteſt dari iſta dependentia absque incertitudine, quandoquidem animarum, quæ ignibus emendatoriis eluunt maculas in hac vita contractas, felicitas pendet ex arbitrio divino, & tamen illæ non torquentur incertitudine. Vel quatenus dependentia ab aliena ope reddit objectum arduum? ſed hoc repugnat veritati; quis enim dicat, inflammationem pulveris nitrati admoto igne rem eſſe arduam, & materiam ſpei, licèt hæc pendeat abſolutè ex aliquo concurſu alieno, nempe ex generali Numinis ſupremi concurſu? vel quatenus ſola dependentia ab alieno *ſpeciali* auxilio ſit talis, quæ arduum reddat objectum? ſed neque hoc poteſt admitti; tum quia non ſolùm poſſumus ſperare ea, quæ pendent ex auxilio Dei ſpeciali; ſed etiam ea, quæ ſolam noſtram induſtriam requirunt, uti eſt victoria de hoſte inſigniter valido, adeptio doctrinæ præſtantis &c. tum quia, ſi Deus in primo inſtanti promitteret, ſe in ſecundo largiturum felicitatem omnino liberaliter, absque minimo onere, gloria non haberet arduitatem ſufficientem ad ſperandum, & tamen penderet ex ſpecialiſſimo Numinis auxilio: igitur arduitas non conſiſtit univerſim in dependentia ab alieno auxilio. Sed neque conſiſtit arduitas in ſola boni excellentia, quamquam hæc ad ſpem requiratur, cùm ſpes non poſſit eſſe de bonis leviſſimis, ſicut timor non eſt de malis exiguis. Evincitur hoc ex duplici capite, tum quia etiam bona, quæ in ſe, ac in noſtra æſtimatione ſunt levia, poſſunt eſſe obtentu difficilia, atque idcirco deſeruntur, quòd pluris ſtare ſoleant, quàm valent: tum quia bonum valde eximium poteſt eſſe non arduum. Ita ſi quis tibi in primo inſtanti promitteret, ſe in ſecundo largiturum maximas divitias absque ullo onere ſubeundo; divitiæ non eſſent laborioſæ conſecutionis, nec aptum ſpei objectum, & tamen nemo inficiabitur eſſe ingens bonum: igitur arduitas neque ſemper in excellentia boni conſiſtit, ſed potiùs dicendum, omne illud rem aſperitate obſepire, quodcunque inducit laborem, dolorem,

lorem, timorem, anxietatem vel dilationem boni, quia hæc omnia reddunt objectum non nisi caro pretio, & laborioso conflictu assequibile. Ideo interdum objectum est arduum ratione solius laboris physici, ut victoria de hoste robusto, acquisitio profundissimæ doctrinæ &c. interdum ratione pœnalis doloris, & timoris, ut beatitudo respectu hominum extra patriam constitutorum: interdum ratione solius dilationis, ut redemptio animarum olim in limbo degentium post peccata diluta: interdum ratione anxietatis, atque incertitudinis, ut extractio sortis inter multas inclusas. Hæc incertitudo rursus profert copiosam arduitatis segetem subinde enim oritur ex eo, quòd res raro accidat; vel quòd plures sint modi illam remorandi, quàm inducendi, ut primi senarii in luto talorum; vel ex eo, quòd res prorsus dependeat ab alieno arbitrio.

§. IV.

Qua ratione objectum spei debeat esse futurum?

OBjectum spei aliquo modo futurum esse oportere ex eo clarescit, quòd spes ex propriis terminis denotet viam, & conatum appetitûs ad bonum consequendum, qui motus, ne sit præposterus, apertè probat, acquisitionem aliquo modo esse futuram. Sed labor non modicus insurgit in ipsa futuritione explananda. Terminus iste complexus duo involvit; præsentem nimirum absentiam, & existentiam venturam; unde duplex modus insurgit, unus contra absentiam, alter contra existentiam, quam habere debet objectum spei. Absentia dupliciter accidere potest: primò physicè ex parte rerum, quatenus non existit objectum à parte rei, in quo spes datur. Secundò intentionaliter, quatenus sive reperiatur à parte rei, sive non, in mente tamen sperantis non existit, & hæc iterum vel potest esse positiva consistens in cognitione vera vel falsa affirmante non existere objectum spei: vel potest esse intentionalis absentia merè negativa consistens in sola carentia cognitionis enuntiantis existere illud objectum. Istis positis aio, ad objectum materiale spei non requiri, ut indispensabiliter secum trahat absentiam physicam objecti. Permoveor ad hoc sentiendum ex eo, quia supposita invincibili ignorantiâ circa rei absentiam possum actu prudente, & irascibili erigere animum ad colluctandum cum molestiis tenaciter apprehensis, sicut Trojanus Æneid. 6. corripuit ferrum adversùs inanes umbras:

Strictámque aciem venientibus offert.

Et

Et actu quidem prudente ita ferri possum, tum quia prudentiæ humanæ non repugnat ignorantia veritatis alicujus re ipsa existentis; tum quia eodem tempore, quo existit motus in rem, potest res ipsa existere, ut ultima dispositio ad formam cum ipsa forma, actio creata cum suo termino &c. Irascibili autem actu, sive forti tendere possum, quia ad fortitudinem spectat non tantùm lucta absoluta, & effectiva cum obstaculis, sed etiam affectiva, vel ut magis scholasticè loquar, sollicitatio subjectivè absoluta, & terminativè conditionata contra ipsa, si fortè occurrant. Neque ad spem requiritur futuritio intentionalis positiva, quatenus enuntietur non existere objectum; sed sufficit purè negativa consistens in carentia cognitionis proponentis objectum ut præsens. Non requiritur prior, quia ineptum esset anhelare seriò in consecutionem illius, quod antecedenter prævides existens independenter à tuo conatu: & sufficit posterior, quia eo ipso, quod objectum proponatur ut obtinibile, & pro priori non ostendatur ut existens independenter ab illa, possumus ferri in ipsum actu forti, si cætera non desiderentur requisita.

Et ista de prima futuritionis parte, scilicet de absentia objecti: descendendum nunc ad secundam, nimirum existentiam ipsam futuram, ubi iterum difficultas insurgit in assignatione futuritionis, quænam nimirum sufficiat, & requiratur in objecto. Judico inprimis futuritionem non debere esse physicam ex parte rerum; nam quamvis objectum à parte rei neutiquam sit futurum, v. g. ut omnes omnino culpas, quamvis minutas, evitemus per totam vitam, potest invincibiliter cognosci ut futurum, & eo ipso reliquis suppositis poterit sperari. Neque requiritur cognitio absolutè certa enuntians futuram rei existentiam; fac enim hoc esse necessarium; fieret igitur, ut beatitudinem æternam sperare non possemus, ad quod tamen tenemur, cùm juxta Scripturæ C. Tridenti, & patrum testimonia non præluceat sine speciali revelatione tale judicium. Similiter hæc futuritio neque consistit in cognitione dictante probabiliter futuram rei existentiam, quòd ita tenderet: *probabile est, me adepturum tale bonum;* quia sine hoc potest dari sufficiens futuritio in objecto spei. Ponamus enim, quòd Deus in pœnam scelerum revelet Petro absolutam suam damnationem, & illa credatur per actum fidei; in hoc casu non potest dari judicium illud verè, & simpliciter enuntians probabilitatem futuræ beatitudinis; & tamen datur sufficiens futuritio in objecto spei. At, inquies, in quo tandem constituenda erit hæc futuritio? assero in hoc complexo, partim, quòd homo cognoscat sibi concessam esse plenam, & sufficientem potestatem adi-

piſcendi bonum ſperatum, & partim in eo, quòd non habeat cognitionem abſolutè enuntiantem tale objectum nunquam exſtiturum. Qui enim caret hac cognitione, & ex altera parte agnoſcit in ſua manu eſſe conſecutionem boni, cur nequibit illud ſperare? ſi autem tale bonum ſperare poterit, hoc ipſo dabitur futuritio, quam ſpes in ſuo objecto exigit. Hinc etiam poteſt quis prudenter, & efficaciter intendere finem, quin prius expendat, ſit, nec ne probabiliter ille aſſequibilis; ſed ſufficit expendere, ſit, nec ne in ſuis viribus adipiſci illum finem, nec dari certam cognitionem de non conſecutione ejusdem independenter à poteſtate illum intendendi. Quo circa inter hanc cognitionem: *poſſibilis eſt victoria tentationis*, & hanc: *probabile eſt, me eam ſuperaturum*, mediat hæc: *ſufficientem habeo poteſtatem triumphandi ſuper eam, ſi voluero.* Primam reijcio ut imparem ad ſpem concipiendam: ſecunda neceſſariò non requiritur, quamvis ſufficiat: tertia, quæ major eſt, quàm prima, & minor, quàm ſecunda ſufficit, & requiritur. Nam oſtendat mihi aliquis, quidnam ex capite futuritionis deſit homini illi, qui ex una parte certus eſt de plena poteſtate aquirendi bonum, & ex altera non habet firmum antecedentem aſſenſum de eo, quòd ſit abuſurus ea poteſtate; aſſenſum aſſero independentem ab ipſa libertate ad ſperandum. Si enim eum habuerit pendentem ab ea libertate, nihil obeſſe poterit, quoniam hujusmodi aſſenſus non poteſt perimere futuritionem, quam ſupponit eo ipſo, quòd præſupponat proximam ſperandi libertatem. Solum dubium ſupereſt, an revelatio abſolutæ damnationis facta cum evidentia in atteſtante ſtare poſſit cum libertate ad ſpem futuræ beatitudinis, ad quod affirmativa reſponſio eſt reponenda. Libertas enim eſt plena poteſtas, ne exiſtat actus ſpei: igitur eſt poteſtas efficiendi, ne unquam in Deo fuerit viſio illius: igitur faciendi, ne unquam in Deo fuerit decretum ad ſingularem hanc revelationem, quod prærequirit viſionem illius ſpei: ergo faciendi, ne unquam fuerit illa revelatio externa derivata ex illo decreto: ergo à primo ad ultimum hæc evidentia eſt antecedenter vitalibilis per libertatem creatam, & ideo ſolum eſt neceſſitas conſequens, quæ libero arbitrio non opponitur.

§. V.

De accommodis ad ſperandum ſubjectis.

AD ſperandum idonei ſunt, qui facilè ſibi perſuadent, non defore ſubſidia

ſidia adipiſcendæ rei neceſſaria, vel rem eſſe venturam. Propterea notavit Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 2. Juvenes eſſe bonæ ſpei. Eadem nempe ratione natura juventuti providit de bona ſpe, bonáque nutritione; ſicut enim indiget augmento machinæ corporeæ, ita opus eſt ipſi adeptione plurimorum bonorum, quibus naſcitur ſpoliata. Utrumque autem conſecuta eſt providentia per eadem adminicula, largiendo ſcilicet juvenibus maximam caloris abundantiam, quæ ſicuti confert ad digeſtionem nutritivam optimè peragendam, ita pariter prodeſt ad ſpei ardorem accendendum. Obtinet verò hunc ſecundum finem duplici methodo. Primò, quia magnitudo caloris diffuſi per totum corpus vegetiora reddit omnia ejus membra, robuſtiúsque diſpoſita ad amolienda obſtacula in opere intercurrentia, quæ diſpoſitio cauſæ operantis non poteſt non plurimum conferre ad ſpem fulciendam. Deinde idem exceſſus caloris vitalis conducit ad majorem bonitatis rerum appetibilium apparentiam. Quatenus rarefactis ſpiritibus, & organo, impreſſæ appetibilium ſpecies illi inſidentes diffunduntur & ipſæ in majus ſpatium, ideóque quodammodo augentur, reddúntque majorem objectorum ſuorum apparentiam. Nihilominus quia ob experientiæ defectum prælucet juvenibus minor obſtaculorum apprehenſio ante operis executionem, ita quàm celeriter in illis ſpes exurgit ante operis aggreſſionem, tam facilè torpeſcit in ipſo operis progreſſu ejusdem efficacia usque ad completam difficultatum victoriam, & boni ſperati præſentiam. Quippe ſicut bonitas rei deſideratæ movet appetitum ad proſecutionem, & ad perſeverantiam, ita arduitas, quantum eſt de ſe labefactat appetitum, quo minùs ad bonum aſpiret,& quo minùs proſecutioni inhæreat. Ubi igitur ad initium parva aſperitatis apprehenſio affulgebit, ſpes facilè ingruet; ſed deponetur inde pari cum facilitate, quando in ipſa operis executione laborioſæ moleſtiæ per experientiam magìs innoteſcent. Ubi verò ab initio præivit æſtimatio juſtè impedimentis commenſurata, ſpes in operis exequutione conſtantiſſimè firmabitur, nulla nimirum ſuperveniente apprehenſione, quæ in progreſſu operis à ſpe præponderante deijciat. Quod de juvenibus, hoc idem ſtatuit Philoſophus de ebriis 3. Ethic. c. 8. ob eandem caloris abundantiam, quam in eos inducit vini copia, eóque majorem, quo potentius hoc eſt, atque calidius. Suffragatur Flaccus lib. 1. epiſt. ad Torquatum, ubi ſic ait de ebrietate:

Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.

Intercedit tamen hæc differentia inter ebrios, & juvenes, quòd poſteriores in ipſa operatione advertant difficultatem ab initio abſconditam; ebrius verò ne dum quidem ad eam attendat. In ſenibus maximè deplo-

randus est stultus conatus, quo longiùs vitam protrahere allaborant, etsi mors illorum vultus jam occupet. Deperdunt quotidie usum alicujus membri; non vident objecta, nisi ope perspiciliorum; non audiunt, nisi subobscurè; non moventur sine dolore, & omni suo motu impingunt in nova signa inevitabilis ruinæ; & tamen, quia primi patrum nostrorum vitam in plura sæcula extenderunt, ideo etiam ipsi credunt se posse innumeris cautelis adhibitis mortem effugere: sperant gavisuros se privilegio concesso paucissimis ab innocentiæ statu non tam longè remotis. Desiderant longiorem vitam, ac si incommoda senectuti infallibiliter annexa non cognoscerent. Omnia reliqua mortis genera qualicunque spe permiscentur: desinit febris post aliquos paroxysmos: maria in littus eijciunt, incolumes quos hauserant: miles pietate commotus ab ipsa perituri cervice gladium revocat, veniámque inimico largitur. Solus nihil habet, quod speret, quem senectus ad mortem ducit, & reges, qui reis vitæ usum largiuntur, eundem senibus concedere non possunt.

§. VI.

Quinam succrescant effectus ex spe?

SPes effectus adeò insignes numerat, ut Philosophi aliqui Græcis Elpistici dicti, vitam spe potissimum contineri affirmaverint; eáque & oblectatione illam consequente abscissa vitam negabant fore tolerabilem. Et primò quidem spes est universalis stimulus, & condimentum cujusvis boni; sine hac nemo quidquam illustre susciperet, quilibet labores defugeret. Hæc Alexandrum magnum impulit, ut se ad universum orbem armis subigendum accingeret. Hanc Cæsar consuluit, quando apud se constituit, Reipublicæ Romanæ statum immutare, & prosternere potentissimam illam dominam, quæ omnibus terræ populis pro arbitrio reges præfecit. Hac Æneas apud Virgil. Socios animo dejectos inter decumanos fluctus iterum erexit, ubi egregiè exclamavit:

O Socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora: dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penitúsque sonantes
Accêstis scopulos: vos & Cyclopea saxa
Experti; revocate animos, mæstúmque timorem
Mittite: forsan & hæc olim meminisse juvabit.

Per

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.

Omnes duces sunt spei mancipia, & ambitio, quæ plura scelera imperavit, vires suas, sua consilia ab alio non recipit, nisi à spe incitante. Neque ita propria est hæc passio principibus, ut non in subditis quoque dominetur, & favores suos diffundat etiam in infimam, & infelicissimam hominum conditionem. Spe messis agricola agrum excolit, spe lucri mercator æstuantia traijcit maria, spe prædæ miles sollicitatus cruenta subit prælia. Etsi eventus dubius, etsi promissa sint incerta, omnes tamen spei imperiis obediunt, numerátque illa plures subditos, quàm omnes Monarchæ simul sumpti, cùm æque isti ac plebei homines à nutibus spei dependeant, & eundem successum exspectare cogantur. Id quòd magis obstupescendum est, creditur ipsi, postquam sæpissimè mendaciis decepit: tam nervosè proponit nova promissa, ut omnino commoveant ad novos labores suscipiendos, ad nova pericula spernenda. Etsi hoc anno infelix ager proventum non tulerit, conatur agricola indefesso sudore sterilitatem illius sequenti superare: conscendunt naucleri post naufragium easdem naves, & spe decepti obliviscuntur perfidiæ aquarum, & tempestatum: restaurant milites certamina, postquam per agros fuerunt gregatim dispersi, & inimicos de novo aggrediuntur, fiduciâ pleni, lassandam fore fortunam in hoc, ut eidem semper parti faveat. Subinde tamen contingit bonum speratum usque adeò esse propinquum consecutioni, & ejus possessioni, ut parùm necesse sit operari pro ejus adeptione; & tunc sequetur spes magna, & modica operatio, non ex defectu spei, aut inefficacia ad operandum; sed quia necesse non est multùm vires atterere, atque ideo sortitur magna spes apparentiam negligentis. Re ipsa tamen eò quisque efficaciùs, ac intensiùs incumbit operationi necessariæ ad consecutionem finis, quo ejus præsentia magis appropinquat, juxta illud, motus in fine velocior.

Alter effectus internus est, quod labores ratione boni desiderati susceptos suavissima consolatione recreet. Sicut enim tristes amæno, & spatioso camporum, vel pulcherrimarum rerum prospectu demulcentur, & eriguntur: ita qui ærumnarum cumulô afflicti lugent, cùm per spem futura contemplantur, animum consolatione mirificè levant. Ad illustrandum hoc non ineptè quadrat collatio spei, cum lapide pretioso. Sicut enim margarita, vel gemma pellucida est; sic spes est quodammodo diaphana, & per eam videntur meliora, & ideo scribitur proverb. 17. gemma gratissima exspectatio præstolantis. Sicut ergo olim solemne

fuit per lapides pretiosos, perlucidos, & grati coloris alia spectare, (tradit enim S. Isidorus Neronem gladiatorum pugnas interposito virenti smaragdo spectare solitum) ex quo fiebat, ut cuncta eodem colore imbuta oculis sese offerrent, & jucundiùs spectaculum redderetur: ita spes est instar lapidis pretiosi, pulchri, & perlucentis, qui objectus oculis bona ventura ostendit, & cor ingenti lætitia afficit. Unde Sapientia de ipsis etiam Martyribus dicit: *Spes illorum immortalitate plena est*, id est bene tincta, seu imbuta viridi immortalitatis colore, quo viridia etiam, gratíque aspectûs ipsa redduntur tormenta. Alii dicunt non ineleganter spei vim ad boni possessionem se habere, non secus ac odoratus ad gustum. Quemadmodum enim odoratus gustui præpositus esculenta, & poculenta fermè præjudicat; ita spes etiam à liberalissima Numinis manu comparata videtur, ut futurum bonum quasi prægustet, idque animo commendet. Scimus, autem, quòd cùm quis in itinere conficiendo fame, vel siti correptus est, si repentè fontes viderit, aut arbores, omnis generis suavibus onustas fructibus, tametsi nihil hauserit, talem tamen ipsa fruitionis spe impleri. Et censebimus, nos corporis quidem alimentis ante usum pasci posse, mentis verò cibos idoneos non esse ad nos exhilarandos? rectè ergo de superstite hac semper in quibusvis ærumnis dulcedine scripsit poëta l. 2. eleg. 5.

Spes etiam valida solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro, sed canit inter opes.

Exteriorem corporis transmutationem spes non adeò magnam procreat; cùm enim spes sit affectus compositus ex bono, & malo, transmutatio proveniens ex passione circa bonum opponetur transmutationi, quæ provenit ex connisu circa malum, & sic una alterius motus de se inducendos impediet. Verùm quia nihilominus ratio boni prævalet in objecto, & quia in spe delectatio præponderat tristitiæ, vel timori; ideo inducet transmutationem similem transmutationi, quæ consequitur ad delectationem. Diffundentur nempe spiritus vitales, & sanguis per omnes corporis partes, quas proinde fortiores reddunt ad operandum cum majori vigore. Hinc in illa erigitur corpus, caput attollitur, assurgunt supercilia, vox firmior evadit, fit certus, ac minimè vacillans aspectus cum magna palpebrarum apertura, vivacitate, quiete, & firmitate, ut meliùs scilicet & bonum desideratum, & difficultates obstantes perspiciantur. Ne autem aliquis existimet, animam magnitudine difficultatum perculsam esse, solitò magis palpebras diducit, suúmque obtutum firmat. Pulsus firmus quidem, sed minimè præceps: hinc demum facultas ad agendum vegetior, ac robustior. Ut enim humores plus æquo agi-



Una Salus miseris nullam sperare Salutem.

M. I. Milldorffer del. Œnip. Henr. Schifflen sc

agitati vires frangunt, ac diſſipant, fibrásque organorum ad obeunda ſua munera minùs aptas relinquunt; ita etiam nimia fibrarum contractio, & ut ſic loquar, humorum concentratio vim omnem animalis extinguit, atque proſternit. At ſpei motus medium tenet, ac proinde humores nec plùs æquo agitat, nec fibras nimiùm tendit, aut vaſa contrahit; ſed omnia aptum ſitum obtinent ad hoc, ut iis motibus deſerviant, ad quos ciendos à natura ſunt deſtinata. Vultus tum dulcedine, tum ſeveritate quadam perfundi ſolet propterea, quòd eodem tempore & bonum, & malum ſimul anima videat. Oculi vivacitate pleni huc illuc contorquentur, quòd ſperantes tum deſideriô, tum timore urgeantur. Credulitas, quæ etiam multa promittit, magnam cauſat loquacitatem, & ſuſpiria crebriora videmus elici, effectus ſcilicet amoris, & deſiderij.

DISSERTATIO VIII.

De Deſperatione.

§. I.

Excutitur natura deſperationis.

NAtura hujus paſſionis obſcuriſſima eſſe videtur, cùm perſpici ſatis non poſſit, quid ſit appetitum deſperatione frangi. Vulgaris exiſtimatio cum aliquibus doctis nominatim Almaino confundit deſperationem cum judicio de non conſequenda bonitate, quod ita tenderet: non poſſum abſolutè conſequi hanc felicitatem. Vel in hac: non conſequar prudenter felicitatem. At aliter vulgus, aliter Philoſophi res inſpiciunt. Non poteſt deſperatio conſiſtere in ſecundo judicio; nam ſic deſperatio non foret peccatum: neque in primo; licèt enim ex illo oriri poſſit actus appetitus, qui eſt formaliter deſperatio, ille tamen in ſe ipſo non eſt deſperatio, ſed hæreſis, inducens ad deſperationem: ſicut judicium de practica poſſibilitate obtinendi beatitudinem non eſt in ſe ipſo ſpes, ſed aliquid ad hanc alliciens. Sed neque conſiſtit deſperatio in omiſſione ſpei, aut in quavis reflexa nolitione ſperandi. Quemadmodum enim hæreſis formalis non conſiſtit immediatè vel in ſola omiſſione aſſensûs præcepti, aut in poſitiva nolitione eliciendi hunc aſſenſum; cùm fieri poſſit, ut homo nulli articulo fidei diſſentiens omittat aſſen-

ſum, vel poſitivè hic & nunc eum nolit elicere, non quòd in eo deprehendat falſitatem; ſed propter voluntariam diſtractionem ad alia objecta, vel ob alia motiva: ita contingere poteſt, ut homo minimè deſperans bonum, omittat hic, & nunc ſpem, aut eam elicere poſitivè nolit, non quidem propter arduitatem, diffidentiam, aut minorem æſtimabilitatem; ſed quia alio vult diſtrahere animum. Tertiò natura deſperationis non bene conſtituitur in nolitione, & fuga boni, de quo deſperatur; nam objectum illud poteſt intenſiſſimè amari à deſperante, qui, ſi interrogaretur, velletne, ſi poſſet, bonum illud obtinere, haud dubiè annueret, quod non cohæret cum efficaci repudio illius. Hoc præſertim videtur manifeſtum in iis, qui præ vehementiſſima boni alicujus cupiditate, præcluſum ſibi aditum ad illud deprehendentes à reſti petunt remedium, & levamen triſtitiæ, qua opprimuntur. Ea enim triſtitia pullulat ex amore boni, cujus aſſecutio deſperatur, ac proinde bonum illud non habetur odio à deſperante. Quid, quod poteſt quis deſperare aſſecutionem boni, quod odiſſe non poteſt? nemo enim odiſſe poteſt æternam beatitudinem, quamvis de ea conſequenda multi deſperent. Quare, ſi in probabiliori ſenſu nolitio ardui, receſſúsque ab eo dici poteſt deſperatio, tunc hoc contingeret, quod appetitus negligat uſurpare media, eo quòd prænoſcantur fore inutilia ob nunquam ſecuturam boni adeptionem. Quò minùs tamen exiſtimem plenè hac ratione exponi naturam deſperationis, facit in primis, quòd actus iſte non verſetur immediatè circa bonum, de quo eſt deſperatio, ſed circa electionem mediorum ad ejus aſſecutionem tendentium, vel circa actum ſpei de eo in poſterum eliciendum, cùm tamen deſperatio æquè, ac ſpes debeat eſſe directè de bono. Deinde poteſt aliquis deſperare, quamvis nolitionem fruſtra ſe fatigandi non eliciat, ut conſtat ex caſu, quo quis deſperat de bono, quod prius confidebat ſibi obventurum ex merá alterius voluntate, nullis per ſe ipſum interpoſitis mediis. Igitur concludendum, deſperationem eſſe actum aliquem appetitûs, quo refugit bonum, ut ſibi impoſſibile, vel ut difficile obtentu, & quaſi dicat:

Non eſt tam magno digna labore ſalus.

In hac deſcriptione habetur proſecutio boni, quæ in deſperante quæritur, & bonitas rei conſtituet objectum materiale: objectum autem formale illius eſt vel impoſſibilitas, vel difficultas illius boni ſuperans vires proprias.

Ex quibus infertur differentia inter ſpem, & deſperationem. Quando enim ratio bonitatis arduæ, ac difficilis prædominatur laborioſæ difficultati, tunc exurgit in appetitu ſenſitivo ſpes, & acceſſus; quan-

do

do autem apparet idem bonum ut obnoxium summis difficultatibus, & defectus prævalet ad inducendum bonum speratum, tunc deprimitur idem appetitus & exusta spe, insultabit desperatio. Sicut enim in affectibus spectantibus ad appetitum concupiscibilem ad affectum prosecutionis necessaria est prævia propositio, & ad affectum fugæ prævia mali ostensio: ita pariter in affectibus facultatis irascibilis prælucere debet bonitas præeminens asperitati, ut procreetur affectus accedendi, sive talis, in quo præcellat ratio prosecutionis; ut verò proliciatur affectus recedendi, seu in quo præemineat ratio fugæ, similiter necessarium est, ut prævia propositio malitiæ obsequentis exsuperet bonitatem rei desideratæ, aut bonæ dispositionis in eadem causa. Cùm igitur in affectu spei prædominetur ratio prosecutionis, & in desperatione ratio abominationis, & repudii, oportet, ut cognitio dirigens affectum desperationis repræsentet arduitatem delectabilis, ut præponderantem bonitati ejusdem delectabilis. A simplici autem fuga differt, quòd hæc avertat à malo absente, & imminente; desperatio autem à bono obtentu minimè probabili.

§. II.

Qui ad despernadum maximè accommodati sunt?

AD desperationem maximè opportuni sunt, qui ob pectoris angustiam, & animi dejectionem facilè adducuntur, ut bonum propositum impossibile judicent, vel certò impediendam ejus assecutionem. Hoc autem facilè accidit atrabilariis, & melancholicis; his enim omnia quasi tenebrescunt, & vix assurgunt ad grande aliquid, sed facilè consideratione difficultatum concidunt, animóque linquuntur, vel à mali gravitate, & pondere opressi à resti remedium, & levamen petendum judicant. Advertit hoc Philosophum, qui sect. 3. problem. q. 1. ita atræ bilis habitum expressit: causam verò tam variæ potestatis ipse habitus dat, scilicet prout frigidus, calidúsque constiterit. Nam si ultra modum frigidus sit, molestiæ anxietatésque sponte sine ulla ratione nascentur, ex quo mortem laqueô sibi consciscunt, maximè quidem juniores; interdum tamen & seniores. Et paulò infra ita prosequitur: non desunt, quos angor inter potandum eadem illa de causa comprehendat, qua etiam post potum non nullos occupat. Quibus igitur calore emarcescente, oritur ægritudo, ii sibi laqueum potiùs petunt. Quare juvenes potiùs, quàm senes laqueo se interimunt. Alteris enim calor per ætatem mar-

 cescit,

cefcit, quod naturæ agitur ordine: alteris per vim ipfius affectus, quod contra naturam eft. Quibus autem calor extinctus fubitò eft, ij repente fe interficiunt, ut omnes mirentur, eò quòd nullum indicium præceſſerit. Cùm igitur atra bilis perfriget, ut dictum eft, varias animi moleſtias, & anxietates gignit. Calidior autem cùm eft, fecuritatem, & lætitiam præftat. Quocirca pueri lætiores; fenes triftiores effe confueverunt: alteri enim calidi, alteri frigidi funt, quippe cùm non nifi refrigeratio quædam fit ipfa fenectus. Accidit verò, ut calor fubitò caufis quoque externis extinguatur; quemadmodum quæ præter fuam naturam candent, ceu carbones aqua fuperinfufa extinguuntur. Facilè etiam animi dejectionem fentiunt, quos crebræ anteriores calamitates animo elumbes reddiderunt, quia facilè perfuadentur, eundem fore exitum cæterorum negotiorum. Abjectiorem etiam animum gerunt, qui ardentiori procuratione anhelant ad bonum aliquod v. g. ad gloriam, vel famam, ad quod fpectat, quod fcribitur de Palatino, cui Boleslaus Tertius Poloniæ Rex leporis pellem, colum, fufum ad ignaviæ exprobrationem tranfmifit. Cùm enim vir gloriæ cupidiffimus eam ignominiam non concoqueret, laqueô vitam abrupit. Franguntur etiam facilè ignavi, quia facilè apprehendunt fupra vires fuas effe, quod infrà jacet. Quamquam defperatio ita ab ignavia exoriatur tanquam radice, & matre, ut fimul ignaviæ pabulum fubminiftret. Quemadmodum enim in cadavere tabes parturit vermiculos, quæ ab iisdem iterum augetur: ita ignavia defperationem fodicat, & ab illa mutuò nutritur, adeóque dum fervant inter fe vices dandi, accipiendique confirmantur in potentiam haud mediocrem.

§. III.

Defenditur defperatio à calumniis.

EX omnibus affectibus nullus majoribus laudibus fuit elatus, nullus pluribus oneratus ignominiis ab antiquitate, quàm defperatio. Judicatum eft, eandem effe extremum virium conatum in arduis illis hominibus, qui fibimetipfis violentas intulerunt manus, ut libertatem confervarent; qui ferro aut venenô ufi funt, ut fe à moleftia victoris inimici liberarent. Poëtæ, & Oratores omnes eloquentiæ fuæ thefauros adhibent ad defcribendam Catonis mortem, & deformitatem hujus actionis adeò extollunt, ut nifi religio nobis eandem oftenderet tanquam fcelus

exe-

execrabile, facilè inter actiones heroicas collocaretur. Nunquam Seneca ita virtutem encomiis ornavit, prout hanc temeritatem pro qua videtur contendere tam eximiis elogiis, ut omnes homines quasi ad desperationem incitare velit, & omnes infelices obligare ad homicidia perpetranda. Audi illum lib. de prov. cap. 2. *Liquet mihi cum magno spectâsse gaudio Deos, cùm vir ille acerrimus sui vindex gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit, & animam manu educit.* Miror, stoicum hunc voluisse ex homicidio facere Sacrificium, & commendare lib. de tranq. animi cap. 15. ebrietatem tanquam virtutem, ne Catonem suum vituperare deberet. Alii econtra desperationis passionem absolutè condemnârunt, & quia inventi sunt aliqui, qui furore incitati manus proprio commaculârunt sanguine, ideo judicârunt eandem ex anima nostra perpetuò exulare debere, nec vitæ nostræ casum accidere posse, ubi hujus affectûs impulsum sequi foret permissum.

Ambæ hæ decisiones pariter sunt reprobandæ, & ambæ intentioni naturæ adversantur. Quæcumque crudelia minitetur sinistra fortuna, quæcumque infausta capitibus nostris immineant, nunquam persuadere nobis debent, ut vitæ nostræ insidiemur. Nativitas, & mors nostra non dependent, nisi à supremo universi gubernatore, qui uti solus ingressum in orbem terrarum nobis indulsit, ita exitum ex illo imperare potest. Permittit nobis dispositionem omnium statuum nostræ vitæ, nec sibi reservat nisi principium, & finem: nascimur, quando ipsi placet, & morimur, quando ipse constituit. Velle igitur accelerare necis horam, est involare in jus omnipotentis, cujus juris se tam tenacem subinde ostendit, ut miracula adhibuerit, ut nos doceret, se absolutum esse vitæ dominum. Sed uti desperatio in his circumstantiis est prohibita, ita multæ aliæ occurrunt, in quibus eadem est permissa, videturque mihi, quòd natura nunquam magis curam suam erga hominem demonstraverit, quàm ubi eundem abormavit passione sufficiente ad ipsum liberandum ab omnibus malis, pro quibus philosophia nunquam efficacia sciret invenire remedia. Quamvis bonum omne sit objectum amabile, quod suis suavitatibus potentissimè attrahit appetitum, nihilominus sæpè tot obseptum est difficultatibus, ut ille appropinquare non possit. Pulchritudo objecti facit, ut anima langueat, ut se desideriis consumat, ut spe incitata inutiles connisus incessanter adhibeat. Quantò bonum concupitum est excellentius, tanto anima erit in illius privatione miserabilior; quanto magis amore accenditur, tantò majorem experietur dolorem; quod quietem offerre deberet, causabit molestiam, & ut paucis absolvam, erit anima ideo infelix, quia nescit cor abstrahere ab objecto, ad

cujus

cujus consecutionem non potest pervenire. Tormentum hoc tam longo cruciaret tempore, quàm est vita, nisi desperatio in auxilium veniret, & prudenti dictamine animal constringeret ad inutiles labores deserendos, & ad desideria comprimenda, quæ ad aliud non prosunt, quam ad afflictiones ingerendas. Cùm igitur officium hujus passionis sit detorquere animum à bono difficili, & vires nostras superante, poterit illa in mille occasionibus adhiberi, nec erit invenire in mundo tam sublimem hominum conditionem, quæ ipsâ non indigeat, cùm omnium hominum vires limitentur, & major mortalium pars intentionibus suis vix non ad impossibilia properet. Spes, & audacia, quæ promovent, plus habent ardoris, quàm consilii: sub his ducibus in præcipitia caderemus, si desperatio nos non retineret, & nisi cognitione nostræ debilitatis à temerariis aggressionibus nos averteret. Magis ergo lamentari deberemus de spe, utpote quæ nos nimiùm facilè commiscet periculis, quàm de desperatione, quæ ut fidelis consiliarius sæpè nos iisdem liberat. Hinc summos sæpissimè pœnituit principes, non exaudivisse illius imperia, qui si ante belli initium proprias mensi fuissent vires, non coacti fuissent adeò propudiosam inire pacem, & accipere imperia triumphantis inimici. Sed hoc est vitium illorum, quòd ad hanc passionem tunc solùm recurrant, quando omnia ad summas jam sunt redacta angustias. Poterit nihilominus etiam tunc prodesse salutari admonitione, & non rarò vidimus integros exercitus periculis exemptos recessu in tempore imperato, Princeps, qui se viribus, & nervo belli inferiorem agnoscit hoste suo, mediante desperatione prudenter cedit; curat cum ipsa resarcire defectus spei, & audaciæ, differtque proposita usque ad tempus, in quo secura promittitur victoria.

§. IV.

Qui desperationem consequantur effectus?

DEsperatio alia est totalis, ac universalis, alia partialis de aliquo tantùm particulari bono. Desperatio universalis præcidit vires omnes operandi, & omne opus impedit, quia qui ex animi ægritudine renunciavit fini, eatenus nec quidquam operatur, ut tenet Aristoteles lib. 2. Rhet. cap. 2. præter animi mærorem & angorem amori bonitatis propositæ idoneum vix aliud sentietur, ac si nihil posset accedere ad eum cumulum, quo desperatio animum obruit. Hinc abjectio mediorum, &

ple-

plerumque retorsio appetitûs in contrariam partem, & qui boni alicujus assecutionem desperant, ut famem appetitivæ potentiæ quoquo modo exsatient, & ventrem animæ, sin minùs pabulo congruente, at saltem siliquis expleant: alia bona piscantur, quantumvis graviter prohibita. Hinc illud Episcopi Hipponens. lib. de natur. & gratia. cap. 5. quidam in peccata prolapsi, desperatione plus pereunt: nec solùm pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta, & nefaria desideria, servi libidinum, & scleratarum cupiditatum fiunt. Ideo adversùs hanc exitialem pestem providentia Dei nobis in divinis codicibus reliquit lapsus eorum, qui post casum resurrexerunt. Suffragatur Plutarchus, qui de Antonio post Actiacam cladem profugo, prodit, eum se totum omnis generis voluptatibus immersisse, si quo modo posset inflictam sopire tristitiam.

Quod si desperatio tantùm sit partialis, tunc illa vel est furiosa, vel timida? si furiosa, tunc uterque oculus ignem evomet, spumabunt labra, obserabuntur, & stridebunt dentes, extolletur clamosus ululatus, ut illius Æneidos. 2.

Venit summa dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum, ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe &c.

feriet gladius huc, & illuc, projicientur in omnem partem manus, & brachia, evelletur coma, impingetur caput parieti: omnes obvii arripientur, onerabuntur injuriis, & si vel modicè resistant, jugulabuntur, quibus actionibus tandem defatigati in terram decident, humum mordebunt, & priùs anima corpus deseret, quàm desperati animi signa exanimatos vultus destituant. Qui verò timida desperatione percelluntur, eò quòd suis viribus uti ulteriùs renuant, ex incuria sinunt destituta robore brachia defluere, aut manus in modum crucis decussatas ad stomachum. Os, & labia habent semiclusa, funestis, & tristibus exagitantur in somniis, patiuntur languorem, & mollitiem pulsus, omniúmque virium diminutionem. Quemadmodum remissæ chordæ non ampliùs sonant, ita laxatæ vires corporis animositate, & vivaci agendi facultate destituentur. Hinc facies apparet tristis, dejecta, & pallida: demittuntur caput, frons, supercilia, marcescunt oculi, & fracti hac passione vix ampliùs pedibus consistere valent.

Subinde tamen frigefactus mœrore sanguis connisu desperationis, & per antiperistasim ita accenditur, ut animos sæpè supra vires suggerat. Dum enim perditis, uti putabant, rebus suis omne sui servandi consilium

abjiciunt, in solam intenti ultionem, & illud sollicitè satagentes, ne inulti pereant; adeò strenuè, & tam alacri impetu feruntur ad agendum, ut cladem inferant iis, à quibus in desperationem sunt conjecti. Sic ignavissima animalia, quæ natura ad fugam genuit, ubi exitus non patet, tentant fugam imbecilli corpore. Hinc belli ducibus inconsultum videtur victos ita concludere, ut præcluso omni effugio, & desperata prorsus sorte agantur. Permittunt hosti, ut torrentis instar per medios fundatur agros, ne propter obstacula nimis in tumescens prosternat obices, quibus impetus coerceri debebat. Et in hoc mirabilis est natura hujus passionis, quæ ex pavore nascitur, & tamen ex timiditate majores acquirit vires, in bono sibi proposito considerat difficultates, quæ magis absterrent, quàm gloria alliciat, & sive ex innato frigore, sive ex modica spe minùs se reflectit ad bonos, quàm deteriores eventus. Et tamen ubi extrema imminet ruina, & periculum, quæ vitari non possit, necessitatem vertit in virtutem, & aggreditur inimicos, cum quibus ipsamet spes confligere non fuisset ausa, ac victorum è manibus extorquet palmas, & lauros.

DISSERTATIO IX.

De Audacia.

§. I.

In quo sita sit audacia?

Audacia est impetus, & incitatio ad expugnanda, & adeunda terribilia impedimenta, quibus prohibetur consecutio boni exinde summopere ardui. Terribile autem est, quod vel adducit interitum, vel insignem dolorem procreat juxta mentem Philosophi lib. 3. ethic. cap. 5. ubi distinguit malum, quod est objectum timoris oppositi audaciæ ab aliis timoribus his verbis: *Non enim cuncta timemus mala, ut si erit injustus, aut tardus: sed quæcunque vel magnos dolores, vel corruptiones adducunt.* Et iterum: *si ergo id timor est, necesse est, ea terribilia, timendáque esse, quæcunque ingentes videntur habere vires corrumpendi, aut ita nocendi, ut nocumentum ad ingentem tendat dolorem.* Quia verò hoc terribile, quod juxta relata philosophi verba est objectum timoris, etiam est objectum audaciæ, ideo opportet,



Dum petit infirmis nimium Sublimia pennis,
Icarus Icarias nomine fecit aquas. Ovid.

F. Lutz sc.

ut aliquid ſuperaddatur, per quod objectum audaciæ propriè diſcriminetur. Hoc autem ſingulare conſiſtit in evitabilitate horribilis imminentis non qualicunque; ſi quis enim declinaverit mortem intentatam ab hoſte vel per celerem fugam per fallacem induſtriam, aut per preces ſupplices, quibus vel inimici ira placetur, vel eidem opponantur amici potentiores, aut clausâ januâ, nemo profectò hoc pro audaci facto habebit, ſed magis timiditati accenſebit. Igitur ad audaciæ munus pertinet *adire*, & *expugnare*, per vim invadere, atque perrumpere obſtacula, ideóque eſt compoſitum ex bonitate operis vincentis, inductivi victoriæ, & ex aſperitate periculi adjacentis operi; ac demum iſta commixtio proponi debet audenti cum præponderantia bonitatis ſupra malitiam, hoc eſt propriæ virtutis idoneæ ad vincendum ſupra vires cauſæ renitentis, quo minùs perveniatur ad finem deſideratum. Ex quo apparet primò, quòd ſi declinatio appareat facilior, & malum imminens minus, tunc exſurgat in audaci affectus intenſior. Verùm adhæſio appretiativa ad potentiam aptam vincere, & ad bonitatem operationis victricis eò è converſo eſt major, quò majus eſt malum imminens, majórque vis cauſæ, ex qua illud dependet. Apparet ſecundò quare terribilibus occurrentibus derepentè audaciùs reſiſtatur. Occurſus nempe repentinus plurimùm confert ad majorem mali apparentiam, minorémque declinationis vitationem; quæ enim prævidentur, ipſa ſui prænotione animant ad quærenda remedia, diſponendámque remotionem, atque per hujusmodi providentiam expugnatio redditur facilior, ipsúmque malum apparet minus propter adjunctam circumſtantiarum conſiderationem, quibus imminuitur ratio malitiæ, & quæ in aggreſſione repentina terribilium nullô modô conſiderari poſſunt. Apparet denique tertiò, quòd ſicut difficultates, quæ virtutes comitantur, easdémque magis reddunt illuſtres quibus vivaciora ingruunt certamina: ita fatendum eſt, inter omnes paſſiones audaciam magis glorioſam eſſe æſtimandam, utpote quæ manus conſerit cum omni ferocitate.

§. II.

Diſtinctio audaciæ à ſpe ſtabilitur.

AMbigi ſolùm poſſet de diſtinctione audaciæ à ſpe, cùm utraque circa arduum verſetur. At quamvis audacia ſubſerviat ſpei tanquam inſtrumentum ad conſecutionem boni ardui intenti per ſpem, ſuperando

nimirum difficultates, si quæ terribiles occurant, & adeptioni bonorum contradicant, ita ut, ubi audacia est, ibi quoque spes regnet: nihilominus in primis non semper terribilia impedimenta, sed subinde minùs retardantia interveniunt, quæ affectui spei vincenda relinquuntur. Deinde conatus spei tendit adversùs ardua, quatenus provenientia ab extrinseco, nec auferibilia per opus solius sperantis proprium: audacia econtra progreditur ad bonum, quatenus adeptio illius dependet à viribus propriis, & à bona dispositione ipsius audacis ad calcanda & proterenda pericula impedientia. Dicitur enim miles sperare victoriam, & non audere ratione sui immediatè: econtra dicitur idem audere luctam, & non dicitur sperare, quòd sit pugnaturus. Certare autem spectat ad ipsum militem, qui sperat, inque ejus operatione consistit; nec dependet ex magnitudine, aut parvitate virtutis in hoste. At triumphus dependet ex magnitudine virtutis in vincente, & ex ejusdem parvitate in victo. Similiter in nauclero, quòd dirigat navem mugiente tempestate, est opus ipsius naucleri proprium, idque spectat ad audaciam. Quòd verò incolumis ad portum attingat, & contrariorum ventorum, ac fluctuum turbinem felicissimè superet, hoc insuper dependet ex magnitudine moderata ventorum, & maris sævientis, ideóque hoc ad spei pathema reduci debet. Denique quamvis etiam spes heroicis passionibus annumeretur, nec ipsius fructus maturi satis, & dulces videantur, nisi periculis condiantur; attamen semper vel à bonitate objecti invitatur ad sufferendas molestias, vel dignitas ipsi auget vires ad easdem perrumpendas. Verùm audacia hôc auxiliô destituitur, & non considerat objectum, nisi ut diversis circumseptum nocumentis: in hæc insilit non aliter, ac ursa & leæna, ut raptos catulos recuperet, irruit in armatos, in venabula, & hastis *interrita* se induit amore charorum pignorum. Defixa in terram oculorum acie, ne venabula expavescat. Igitur ambæ hæ passiones respiciunt diversa objecta, ita ut spei terminus sit bonum, quod concupiscitur, audacia verò versatur circa periculum, quo boni consecutio implicatur; prosequitur una bonitatem; altera impugnat arduitatem; & nihilominus tam diversis viis ambæ tendunt ad eandem metam; ambæ ad animæ quietem properant. Hoc est verum, quòd conditio unius dulcior sit, quàm alterius, quia spes non respicit aliud, nisi bonum concupitum, & si aliquando oculos ad molestias detorqueat, & cum periculis luctetur, hoc magis facit ex necessitate, quàm electione, & non tam ut gloriam, quàm ut consequatur utilitatem. Audacia non intuetur aliud nisi discrimina, & confidentiâ quadam mirabili sibi persuadet, se propriis lacertis omnia prostraturam. Spes levioris indolis est, & facilè

cilè aggreditur bellicoſos conflictus, quos vanè judicat glorioſos, & poſſibiles; ſed aliud non referret, quàm inſignem confuſionem, niſi audacia auxiliaretur, & heroica ſua magnanimitate finiret illud, quod collega temerariè incœpit. Spes aſſimilari poteſt tympanotribæ, qui ad certamina animat, ſed ipſe prælio non commiſcetur: audacia è contra comparari poteſt militi, qui in ſilentio conſervat vigorem.

§. III.

Suggeruntur audaciæ proprietates.

IN primis contrahit audacia cum fortitudine tantam affinitatem, ut una ab altera ſeparata vix poſſit ſubſiſtere. Habent idem objectum, & ambarum inclinationes adeò aſſimilantur, ut dici poſſit fortitudinem eſſe audaciam ratione præditam, & audaciam fortitudinem naturalem. Ambas remorantur iidem hoſtes; & ambæ impelluntur iisdem motivis, ut unitæ inimicos provocent. Languet fortitudo ſine audacia, & niſi hæc generoſa paſſio in multorum Chriſtianorum corde fuiſſet accenſa, fortitudo non tam illuſtres reportâſſet victorias: econtra ipſa etiam audacia ſine fortitudine degenerat in temeritatem, ut adeò paſſio hæc indigeat directione virtutis, & virtus expoſcat auxilium paſſionis: audacia eſt initium fortitudinis, & fortitudo perfectio audaciæ; vel ſi vis aliis terminis rem exſplicare, audacia eſt virtus truncata, & fortitudo eſt paſſio intra debitos limites coercita. Plerumque tamen audax modum excedit, & in præcipitem degenerat. Origo hujus rei eſt, quòd omnis affectus ſenſibilis incapax ſit diſcursûs formandi, & nudè ſolùm ſine circumſtantiis adjacentibus objectum apprehendat, & inde cœco impetu illud vel amplectatur, vel fugiat. Sed ex omnibus pathematis infeliciſſima eſt audacia, quia manus conſerit cum potentiſſimis hoſtibus; exercitia illius ordinariè conſperguntur ſanguine, & ſæpiſſimè cũ horribilibus monſtris, & cum ipſa morte eſt congrediendum. Interea illa nec conſilia, nec auxilia aliunde recipit, niſi à ſpe, quæ ordinaria eſt cauſa audaciæ; ſicut enim pharmacum inſuave nemo hauriret, niſi ſpes recuperandæ ſanitatis impelleret, ita periculi denuntiatio appetitum avocaret, niſi boni ſpes accederet, quaſi condimentum, acuens periculi appetentiam. At ubi ſpes audaciam armavit, & vanis promiſſis in extrema protruſit pericula, plerumque eam deſerit, unde illa Ariſtotelis ſententia lib. 3. ethic. cap. 2. *Audaces temeritate provecti ante cupiunt adire pericula, quàm in-*

instant: cùm adsunt, ea defugiunt. Infelix iste eventus non alteri est adscribendus, quàm quòd se sensibus, cæcis nempe ductoribus, manuducendam commiserit: sensus autem minus apprehendunt ea, quàm quæ coram adsunt. Unde periculum apparet minùs in principio aggressionis, quàm in ipso conflictu & pugna cum malo. Subinde tamen accedente majori cognitione periculi in progressu, perseverat nihilominus affectus audaciæ, nec succedit timor succumbens apprehensioni periculi, & tunc consurget commotio audaciæ appretiativè major, quàm ab initio fuisset. Sic vulnerati intrepidè magis aleam subire tentant, & ex ore Philosophi lib. 3. Ethic cap. 8. habemus, *bestias quoque esse audaciores, cum percutiuntur.* Ob superadditam enim continuò iram apprehensio bonitatis in opere excrescit, quatenus eo ipso opus superandum concipitur, ut subserviens non solùm appetitui, & inclinationi naturali respectu vitæ, sed etiam appetitui elicito, & inclinationi iræ ad vindictam. Duplicatur igitur ratio bonitatis, & æstimabilitatis in eodem opere, atque in propriis viribus idoneis ad illud, & apprehensis ut prævalentibus adversùs vim causæ nocivæ, atque ita augmentatur affectus audaciæ ex percussione, licèt ipse vulneratus reddatur in se debilior, minúsque potens ad resistendum, & mortem vitandam. Denique audacia in rebus humanis plurimùm valet; cùm namque homines plerique ducantur passione, non ratione, sensu non intellectu; audacia cùm magnum sui sensum præsentibus imprimat, usui est ad excitandas, vel premendas aliorum passiones. Præterea in exequendo commodissima est; perniciosa tamen in deliberando; militibus conveniens, & ducem dedecens.

§. IV.

Quinam avidiùs ferantur ad audendum?

AD audendum accommodatiores sunt, qui spem firmiorem, ac vegetiorem concipiunt, & minoris ducunt pericula. Ita sentit Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 8. Ex priore capite *ij sunt audaciores, qui rectè se habent erga divina*, ut exprimit Philosophus lib. 2. Rhet. cap. 5. Istorum enim animis insidet, se propitio numine uti, & se ejus potentiâ, & viribus adjuvandos, atque ita judicant, nihil admodum occurrere posse, quod meritò vereantur; sed potiùs exclamant cum Psalmista, *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Psal. 26. quia verò Deus duplici ratione auxiliari potest; primò nimirum impediendo, & avertendo

per se solùm mala nobis imminentia, atque si hoc modo creditur nobis propitius, non excitabitur passio audaciæ, sed affectus solius spei. Secundò auxiliari nobis potest exposcendo cooperationem nostram, & conflictum cum nocumentis, in quo casu locum habet audacia, quia hîc intervenire potest operatio victrix periculorum, eritque quoad appretiationem eò major, quò existimatum fuerit plus à nobis, nostra virtute, & resistentia exigere Deum. Ob hanc ipsam causam subjungit ibidem Philosophus, *eos, qui injuriam aliquam acceperunt, audaciores reddi, quia nimirum Deus injuriâ vexatis opitulari creditur.* Tum quòd ex alieno scelere oboriatur ira, unde vires sumit audacia. Ex posteriore capite sive ex periculi contemptu firmum muninem ad audendum concipiunt inexperti; experimentô enim quotidianô deprehendere licet, nihil in pronuntiando promptius esse, nihil in damnandis aliorum placitis, sensisve magis præceps, quàm eos, qui attendentes ad pauca, facilè pronuntiant; nimirum ruditate, & imperitia audaciam ingenerante. Ex eodem capite proclives ad audendum sunt, qui sive per ætatem, sive ob incensum multo mero calorem præcipites aguntur, non satis considerato discrimine, quod adeunt, segniùs progressuri, si perviderent, in quos casses se induant. Cùm enim optima corporis dispositio ad agendum, & resistendum sit ea, quæ plurimo abundat sanguine; ideo facilè contingit, tales minùs esse intrepidos: ita ut quamvis pars sanguinis, & spirituum intro subeat, multi tamen spiritus remaneant, quibus tremor, & pallor depellatur. Ex eo etiam assequimur, cur bruta, quæ angusto sunt corde, & arteriis, ac pariter homines simili vasorum conformatione præditi, magis erecti adversùs pericula animi sint; eam enim idoneitatis rationem affert Aristoteles lib. 3. de partibus animal. cap. 4. hisce: *pavida etiam sunt, quibus cor grandius: audentiora, fidentioráque, quibus minus, aut mediocre. Affectus enim, qui accidit ex metu, jam in ijs praest, quoniam calorem proportione cordis non habent, sed parum caloris in magno conceptaculo exolescat: itaque sanguis frigidior fit. Cor magnum proportione lepori, cervo, muri, hyænæ, asino, panthera, mustela, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida sunt, aut propter metum malefica. Simile in venis, atque in ventriculis cordis evenit. Sunt enim frigidioribus, & venæ ampliores, & ventriculi ampliores. Nam ut in parvo, & in magno domicilio tantundem ignis non æquè calefacit, sed minùs in magno, sic in iis calor non pariter agit. Vas enim tam vena, quàm ventriculus est.* Sic etiam animalia duros pilos habentia sunt audaciora, quia tales pili ordinati sunt oer calorem, & per choleram: hæc autem plurimùm acuunt ad pugnandum, ut vide-

re est in urso, & apro. Ex opposito animalia molles crines habentia sunt timida, quia frigida, ut lepus & cervus. Præter ista audaciam promovebunt boni successus, & belliduces favente fortuna, etsi copiis sint inferiores inimicis, eosdem aggrediuntur, credentes, solum nomen posse timorem incutere, suntque quasi certi de victoria, quia vincere assueti. Confert etiam ad hanc passionem plurimùm potentia principis, cui si multæ, & amplæ provinciæ provideant de exercitibus, cui nervus belli ad multos annos extenditur, qui solùm, si in campum moveat, vicinos populos terrefacit, talis levi negotio classicum insonabit. Denique audaciæ vires suppedidabit opinio, quòd mala terribilia ejusmodi sint, quæ tametsi evenerint, nihilominus reparari, & resarciri possunt. Ubi tamen modum excesserit, irridebitur audacia. Nam deformitatem citra dolorem præseferet, ubi audax spe decidit, & ubi summô infortuniô non obruetur, inde cum voluptate spectabitur gloriosus suis frustratus votis, & exinde confusus. Hoc ut evitetur, plurimùm conferet, perspectam habere propriam potentiam, nec illam pluris facere, quam revera fieri debeat juxta illud Flacci, puod ad plurima humana valet:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

§. V.

Quos audacia pariat effectus?

Affectûs hujus summa vis ad agendum in utramque partem, tam ad bonum, quàm malum inducendum manifestior est, quàm ut multarum paginarum exsplicatione egeat. Et ad bonum quidem plurimùm conducit; cùm enim virtus in arduo posita esse ab Ethicis demonstretur, hócque ipsum experientiâ nimiùm quàm sæpè compertum habeamus ob rationis & sensus in nobis conjugium, & raram boni honesti, ac delectabilis mixturam, facilè accidit, ut prosecutioni honestatis periculum nocumenti ingrati facultati appetitivæ repræsentetur. Quare nisi tunc audacia prosternendum alioqui animum erigat, & tædium ex ostentata acerbitate abstergat, magna sterilitas generosorum operum consequetur. Quòd si verò alacris animositas hominem trudat, sequetur inprimis magna securitas, quæ est actus judicii, quo cum magna certitudine censemus nos esse securos, & discrimine exemptos. Secundò comitatur

hanc

hanc paſſionem reſolutio tum ſine aliqua anxia ponderatione, & examine motivorum, tum abſterrentium, tum allicientium ſtatim nos reſolvimus ad hoſtem aggrediendum. Et ultimò ſeſe offert confidentia, quæ eſt quaſi conſummatio, & ſumma perfectio ſpei; dum enim ſpem concepimus de acquiſitione boni, vel debellatione mali, nóſque contra omnes caſus venturos obfirmavimus, eò adducimur, ut nobis perſuadeamus non defutura nobis valida præſidia vel ad malum ſuperandum, vel ad bonum acquirendum. Hinc modeſtia in loquendo, amæna, & jucunda affabilitas erga victos, ſuperſtitionis odium, cùm debiles potiſſimùm, quales ſunt fæminæ, & pueri, ſuperſtitioni, prophetiis, & revelationibus fidem adſtruere videantur. Ex altera tamen parte audacia non repreſſa effectus procreat admodum lugubres; nam quod in una vel altera occaſione feliciter evenit, non ita ſemper ſuccedet, nec cælum eodem ſemper modo favebit temeritati audacium. Tunc verò incendium tam promptè extinguetur, quàm citò ab initio exarſit, & furor in meram abibit ſpumam. Animoſitas degenerabit in vilem animi abjectionem, & ex tot auſis nihil remanebit, niſi pudenda fuga, timor, deſperatio, & extrema triſtitia. Præterea quòd bonam de ſuis dotibus opinionem audaces concipiant, dominari aliis, non autem ſubeſſe appetunt.

In transmutatione corporali, quæ ex hac paſſione ſoboleſcere ſolet, duo ſunt diſtinguenda, hoc ipſo, quod objectum audaciæ compoſitum ſit ex bono, & malo cum præponderantia boni. Hinc, quia ſimul non poteſt provocare utriusque motus contrarios, ideo eosdem inducit ſucceſſivè. Et primo quidem inducet mutationem contractivam, & tremulam, propterea, quòd cauſa nocumentum minitans objiciatur ut præſens; ratio verò boni in principio aggreſſionis concipitur ut abſens, & magis remota, quàm in progreſſu. Hinc revocabitur ſanguis ab exterioribus partibus,tanquam fugiat & ipſe terribile juxta naturam affectûs exiſtentis in vi appetitiva, cui præ cæteris conformatur motus ſanguinis, & ſpirituum. Revocato autem ſanguine, & calore ab exterioribus ad interiora frigent partes exteriores, eóque magis, quo plùs diſtant à corde; unde manus, & pedes ea de cauſa præſertim contremiſcere incipient. Tremit etiam labrum inferius præ ſuperiore, quod inferius teneatur ſurſum vi caloris, ideóque facilè concidit diminuto ſanguine, cùm labrum ſuperius ſuo ipſo pondere firmiter in loco connaturali teneatur. At tremor iſte, & ineptitudo operandi illi conjuncta citò commutantur in animoſam firmitatem affectu audaciæ prævalente in progreſſu adversùs impreſſionem terribilis. Et quia audacia nititur viribus audentis, earúmque præponderantia ſupra pericula, atque ideo participat naturam delectatio-

ctationis circa bonum præſens, ut præeminens malo imminenti, ideò conſurget mutatio corporis dilativa, & diffuſiva ſanguinis per totum corpus, tametſi remiſſior ob adjunctum reſpectum ad malum. Hinc aſpectus audacium fixus, cùm ipſi malo progrediantur obviam. Accedit magna palpebrarum apertio, ſicut in animalibus rapacibus, ita ut hæc ad videndum enucleatiùs hoſtem inſerviat, & oſtendat, ſe mali imminentis rigorem non perhorreſcere. Formantur inſuper diverſi contuitus, ſeveritate quadam animati; cùm enim audaces ſint in ſtatu confligendi cum altero conſtituti, lumina ſua cum quadam vehementia versùs hoſtem ſuum torquebunt, & eodem momento caput in adverſam partem deflectent, ut conceptam de illo averſionem manifeſtent, & prodant, indignum à ſe cenſeri hoſtem, ad quem infringendum omnes ſuas vires impendant. In illis, qui non puerili, & fæminea, ſed nobiliori, & maſcula feruntur audacia, characteres vultus ſunt majeſtas quædam veneranda, non inamæna ferocitas, & generoſa moderatio. Conſideramus etiam in audacibus pilos erigi, quod in brutis evenit ex muſculis immediatè cuti ſubnexis, qui fortiter à ſpiritibus tenſi cutem conſtringunt: in hominibus verò tribuitur avocationi ſpirituum, qui periculo urgente colliguntur in brachia, & alias partes defenſioni neceſſarias. Cutis his deſtituta contrahitur, quæ ubi rugoſa evaſerit, pili ſe neceſſariò erigunt. Nares in hac paſſione apertæ deprehenduntur, cùm internus calor ſit intenſiſſimus, adeoque ad majorem reſpirationem peragendam opus erit, ut partes, per quas fit reſpiratio, amplientur. Obſervamus etiam in ipſis ſilentium arrogans, vel quia anima ſe ipſam totam colligit, vel quia ex deſpectu hoſtis cum eo ſermonem miſcere dedignatur, vel quia nimia garrulitas debilitatem indicare ſolet. Ubi alios ad hunc affectum excitabunt, perbrevi, ſed penetrante voce animabunt, qua Turnus uſus eſt apud Virgil. 9. Æneid.

Sed vos O lecti, ferro quis ſcindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros: addant ſe protinus omnes
Etruſci ſocios; tenebras, & inertia furta
Palladii, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis
Ne timeant: neque equi cæca condemur in alvo:
Luce palam certum eſt igni circumdare muros.

Laconicè hæc conſtrinxit Leonidas, quando milites fortiter ita eſt allocutus: *Sic commilitones prandete, tanquam apud inferos cœnaturi.* Fretus etiam animus ſuarum virium erectum caput retinet, labia premit,

den-



Et totum nutu tremefecit Olympum. Virgil.

M. I. Milldorfer del. & sculp.

dentésque ſtringit. Reſpiratio fit cum impetu aliquo ; nam dum ad tempus halitus retinetur, tandem homo cogitur majorem prodere, ut hac intenſiore exſufflatione fumoſi cordis halitus ob compreſſionem ante collecti diſſipentur. Denique inceſſus eſt magnificus, & leonibus proprius, cum grandi quodam, & gravi paſſu : terram pedibus ſæpè quatit, ut ſuas prodat vires: ſubſilit leviter, ut hoc motu tum vires, tum ardor incrementum accipiat. Denique plura alia præſtat, quæ cuivis ſunt obvia.

DISSERTATIO X.
De Timore.

§. I.

Expoſitio timoris.

NOn eſt hic ſermo de timore intellectuali, qui tam in ſacra, quam in profana litteratura ſignificat dubium, aut ſuſpicionem latentis alicujus mali : ſed diſputamus de timore affectivo, cui competunt hæc attributa, quòd ſit *fuga efficax ſaltem affectivè à malo futuro, magno, & arduo.* Dicitur primò *fuga* contra quod reclamant quidem Carmelitæ in ſuo curſu diſput. 4. de ſpe, aientes actum timoris ſufficienter ſalvari per puram proſecutionem : at impugnantur claris textibus deſumptis ex Doctore Doctorum, qui 1. 2. q. 42. art. 9. ad 2. ita differit : *proprium ac principale objectum timoris eſt malum, quod quis refugit.* Et paulò poſt : *timor autem principaliter reſpicit malum, cujus fugam importat.* Non negamus, quod timor ſit etiam aliquis actus proſecutionis, qua in eminentem cauſam tendimus, quæ malum nobis poteſt infligere : ſed quod ratione noſtra primariò dicat fugam mali, hoc eſt, quod defendimus. Nec immeritò hoc facimus, quia poteſt dari pura proſecutio ſubjectionis, & reverentiæ erga cauſam præcellentem, v. g. Dei deficiente omni prorſus timore. Cur enim non poſſit dari actus religionis vel humilitatis ex ſolo motivo reverendi eminentiam Divinam, ut diſtinctam à malo, quod nobis poteſt infligere? an illa ſecundùm ſe non eſt digna, cui nos totos ſubijciamus? atque ex his colligitur, quàm ſæpè timorem cum reverentia, & veneratione confundamus. Sic dicitur privatus homo timere, quando Principem allo-

quitur, etiamsi nullum ab eo sibi immineat malum; sic Divus Petrus apud Luc. cap. 5. ait: *Exi à me, quia homo peccator sum.* Sic ibidem, qui paralyticum viderunt sanatum, *repleti sunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.* In his enim, & similibus modis loquendi non utimur, exacto, rigido, & severo modo loquendi, sed vulgari, laxo, & figuratis scatente locutionibus, prout denotatur veneratio majoris dignitatis, ut de Jove Deastrorum supremo cecinit Virgil. 10. Æneid.

Et totum nutu tremefecit Olympum.

Potest tamen subinde hanc admirationem, venerationémque timor verè talis subsequi, ubi nempe ex violata majestate, quæ nobis præsens est, suspicamur malum aliquod in nos resilire. In homine privato timente Regem alloqui sæpè intervenit strictus timor, tum excitandi regiam displicentiam, tum gerendi se in verbis, actionibus, & toto corporis habitu minùs decenter: si pura est reverentia, tunc potest eosdem causare effectus, quos ipse timor, scilicet pallorem, tremorem, cordis contractionem &c.

Additur, quòd timor sit fuga *efficax* non tamen effectivè semper. Nam efficacia effectivè talis vel consisteret in connexione infallibili ipsius mali, vel saltem cum mediis ad illud vitandum? non primum; ut constat ex reprobis: non secundum; quia fieri potest, ut in primo instanti vehementissimo replear timore ob mortem imminentem, & ideo efficaciter proponam adhibere media ad eam evitandam; & tamen evanescente timore in altero instanti, media adhibere negligam. Ergo sicut contritio duntaxat connectitur negativè cum mediis ad vitandum malum, quatenus in instanti, in quo ipsa datur, repugnat volitio peccati, aut nolitio efficax ponendi illa media; ita poterit se res circa timorem habere. Clariùs rem intelliges ex damnatis spiritibus, qui vehementer timent longam durationum seriem, in quibus sunt cruciandi, quin tamen timor ipsos urgeat, ut media inquirant ad fugiendum illum tormentorum cumulum, utpote independentem ab ipsorum libertate. Cæterùm sicut spes ita debet esse affectivè efficax, ut non conjungatur cum nolitione sui objecti effectivè efficaci, ac proinde, qui metu tempestatis projicit merces in mare non elicit spem fruendi illis, quia, licèt habeat voluntatem illarum affectivè efficacem, hæc tamen enervatur per oppositam nolitionem effectivè efficacem vitandi illud malum: ita timor debet esse ita affectivè efficax, ut non conjungatur cum volitione effectivè efficaci sui objecti.

Dicitur item à malo futuro; quia si malum præsens est, vel præteritum non cadet illud sub objectum timoris, sed doloris potiùs, & mæstitiæ.

ſtitiæ. Sunt qui præterea velint malum debere proximè imminere, ita ut ſi malum nondum poſitum proſpiciatur valde procul abeſſe, non timeatur, ſed tantùm cùm non procul abeſt. Ita notavit Ariſtotel. 12. Rhet. c. 5. aſſerens: *Non enim cuncta timemus mala, remota namque non timentur; omnes enim ſciunt ſe morituros, verùm quia non propè, ideò non curant.* At tametſi dubitari non poſſit, quin malum, quò vicinius eſt, eò intenſius timeatur; tamen fatendum eſt etiam malum procul poſitum timeri poſſe, quamvis languidiùs, eò quòd mali diſtantia minùs acrem ejus repræſentationem ingerat. Fundamentum Ariſtotelem deſerendi eſt ſacra Scriptura & PP., quibus, ſi adhæremus firmiùs, bene facimus. Hi autem incutiunt nobis timorem tum pœnarum infernalium, tum capitalis ſententiæ definitivè ferendæ in extremo mundi die, quamvis hæc non immineant nobis proximè. Dicitur etiam *magno*; quamvis enim nemo diffiteri poſſit etiam malum non terribile poſſe in nobis concitare timorem: attamen ſicut ſpes non eſt de minimis, ita neque timor. Adjungitur denique arduo; nam ſicut illa, quæ facilè obtineri poſſunt non ſunt materia digna ſpei: ita neque illa, quæ facilè poſſunt declinari, ſunt materia digna timoris.

Ex his facilè erit conijcere, quomodo timor differat ab aliis paſſionibus; differt nempe ab amore, deſiderio, gaudio, atque ſpe, quòd iſtæ pro ſuo objecto habeant bonum, timor verò malum. Deinde malum dupliciter conſiderari poteſt, nempe ſecundum ſe præciſè, vel prout eſt conjunctum cum aliqua bonitatis ratione, atque ut concipitur adhuc vitabile. Quòd ſi malum conſideretur ſecundùm ſe præciſè, tunc ſpectabit ad appetitum concupiſcibilem, nempe vel odium, vel abominationem, vel triſtitiam. Si ſpectetur ut conjunctum cum bono, & vitabile, excitatur fuga appetitûs iraſcibilis; & ſiquidem bonum vitabile præponderet arduitati procreabitur ſpes, vel audacia: ſi autem econtra præponderet malum difficultatis, bono irrepet timor.

§. II.

Sejungitur timor in ſuas ſpecies.

SOlliciti hîc ſunt multi, ut naturam timori propriam, qui audaciæ opponitur inveniant, & ideo paſſionem hanc in timorem diffidentiæ, & timorem ignaviæ diſtribuunt, illum ſpei, hunc audaciæ contrarium. Utriusque diſcrimen hôc exemplô diſces: timet nauta, ne inſtante tempeſtate

pestate mergatur; timet miles ne occidatur à singulari aggressore: scilicet primus timet malum difficile, à quo suis viribus eripi nequit: timet alter id mali, quod ipse audendo, & fortiter pugnando cavere potest. Primus timor, seu diffidentiæ opponitur spei, potéstque ex natura suâ procreare desperationem: alter verò contrarius est audaciæ. Utrumque autem in eo differre volunt, quòd timor diffidentiæ sit metus mali imminentis, ut difficulter evitabilis ope, atque actione aliorum à se distinctorum: ignaviæ autem sit timor imminentis mali, quatenus difficulter evitabilis per operationem victricem illius, provenientem ab eo, cui malum imminet. Cùm enim affectus specificentur ab objecto, ubi hoc fuerit diversum, diversa erit etiam passio: quod cum in utroque casu sit diversum, etiam passiones circa hæc versantes erunt diversæ. Porrò quia in spe attenditur bonum arduum ut consequibile virtute aliena, in audacia ut virtute propria, hinc passio, quæ attendit ad malum arduum, & ope aliena difficulter obtinibile, & cum diffidentia quadam de aliorum virtute, opposita erit spei: audaciæ verò, quæ respicit malum ut difficulter evitabile viribus propriis cum diffidentia de istis. Hinc patet, quam ob rem spes consistere possit cum timore diffidentiæ: secùs audacia cum timore ignaviæ. Nam spes locum obtinere potest habita ratione plurium ex causis extrinsecis, quarum operâ difficultas interposita submoveatur; simúlque timor adesse potest, ne aliqua ex iisdem effectu frustretur. At ubi audacia vim exserit adversùs pericula obstantia, abesse debet ignavia, quæ vires comprimat, animúmque despondeat. Cæterùm neque spes consistere potest cum ignavia, quoniam hæc à mediis etiam non terribilibus adhibendis deterret: potest tamen audacia sociari cum timore diffidentiæ; quamvis enim miles audeat pugnam, victoriam tamen aliis ex causis impeditam nosse potest.

Præter dicta creduntur timori subesse sex aliæ species, nempe segnities, pudor, verecundia, admiratio, stupor, & agonia. Segnities oritur ex apprehensione laboris gravantis naturam, & excedentis vires operantis, unde quis ex metu nimiæ defatigationis refugit ab opere. Pudor seu erubescentia est timor labendi, ac famæ, & bonæ opinionis læsionem promerendi. Verecundia est infamiæ ob scelus jam admissum: hæc enim duo, quæ sæpe confunduntur, tamen in rigore ita secerni debent, ut pudor sit timor de admittendo dedecore aliquo, cui justè rependatur vituperatio: verecundia autem sit metus probri ob admissam turpitudinem. Causæ pudoris possunt esse vel actiones, vel perpessiones, vel alii defectus, quibus adjuncta est infamiæ nota vel ex ipsa natura, vel ex reipublicæ consensu, vel ex privata agentis opinione. Quod

verò

verò ſcribatur lib. 4. Ethic. cap. 9. verecundiam eſſe ſolùm de iis, quæ ſponte agimus, cum veritate non congruit; nam ob plura, quæ prorſus nolentibus accidunt, pudore ſuffundimur. Sanguis in hoc pathemate effunditur in faciem; unde rubor, ad quod alludit Poëta, dum canit:

Heu quàm difficile eſt, crimen non prodere vultu!

Quamvis enim reliqui timores ſanguinem, & ſpiritus revocent ad cor: hic tamen, qui rationalis eſt, & in brutis vix obſervatur, ad caput illos propellit, ubi imaginatio, & opinio reſidet, in quibus tanquam in arce ſuperbè locata tota ratio bonæ famæ, aut infamiæ continetur. Alia verò mala adverſantur vitæ, quæ ſedem in corde figit. Alii fortè meliùs ita de hac rubedine philoſophantur: cùm in pudore facies ob conſpectum alterius, qui gravat deprehenſum in probro, & ob receſſum illum ſpirituum, laboret, & cæteroquin pudor modicus ſit metus, natura non adeò eſt ſollicita de corde firmando; hinc poſt aliqualem ſpirituum revocationem à facie, uberem ſanguinis copiam eodem transmittit ad opitulandum parti laboranti. Ea fere ratione, qua iis, qui frigidiſſima quædam contrectant, v. g. glaciem, aut nivem, initio quidem frigeſcunt manus; mox tamen cùm primùm natura ſollicita de partis laborantis incolumitate transmiſit ad eam magnas ſanguinis ſuppetias, non tantùm frigoris vehementia depellitur, ſed etiam fervidæ evadunt. Admiratio eſt timor magni mali, cujus non poſſit facilè reperiri exitus. Non tamen huc omnis admiratio pertinet; nam plerumque admiratio ſumitur pro deſiderio rei ſciendæ latentem effectûs noti cauſam, de qua 1. metaph. c. 2. dicitur, quòd fuerit mater philoſophiæ. Subinde etiam ſumitur pro ſuſpectione, & laudatione rei magnæ, tametſi cauſa ejus non lateat, quæ admiratio ex parte intellectûs involvit, quòd res verè ſit magna, ex parte autem voluntatis complectitur affectum delectationis in illo objecto. Hac ratione, qui intuetur aquam arte deductam in locum aliquem, ſi deductio ſit magnæ artis, concipit admirationem, non hæſitans, quomodo res fieri potuerit, cum cauſam habeat optimè perſpectam, ſed laudans rei raritatem, & opificis induſtriam. Stupor eſt timor mali quod propter novitatem, & nullam habitam experientiam ingens videtur, retrahítque intellectum ab applicatione conſiderationis talis objecti. Agonia ab aliquibus dicitur timor improviſi mali, cui proſpici non poteſt, ut ſunt ſpectra, telluris tremor, aſſultus latronum &c.; vel timor, ne quòd aggreſſi ſumus, non cadat ex ſententia. Addunt Chriſtiani Doctores alia adhuc diviſionis membra timoris ſcilicet mundani, ſervilis, & filialis, quæ tamen magìs Cathedram Theologicam, quàm philoſophicam ſapiunt.

§. III.

§. III.

Pergitur ad causas timoris.

IN digerendis ijs, quæ metum incutere possunt, principaliter causa est malum futurum, ubi statim monendum, ne falsa mali specie delusi, affectum timoris usurpemus improvidè, & sicut pueri larvas extimescamus, ac interea manus ad flammam intrepidè admoveamus. Ex eo autem, quòd malum sit causa timoris inferre videtur Seneca epist. 75. Deum non esse timendum, cùm malus non sit. At cùm nihil magis ingeminetur in scriptura, quàm Deum esse timendum, ideo statuendum est primò Deum esse objectum ut *quo* timoris, id est principium, à quo mala magna nociva timere debemus, si ipsi pervicaciter restiterimus. Est item Deus objectum ut *quod* timoris, non quidem secundùm se præcisè inspectus, quia in se noxius non est; sed ut à nobis amittendus, quoniam eadem bonitas, quæ possessa exhilarat animum, amissa torquet ut talis bonitas. Sicut enim dolor est immediatè non de amissione utcunque, sed de amissione determinata talis boni: ita licèt Deus secundùm se præcisè spectatus non sit bonum, aut malum nostrum, attamen ut possessus per beatitudinem est bonum nostrum, & ut amissus est summum nostrum malum. Non est igitur audiendus Seneca, quando lib. 2. de ira. c. 27. disertè hæc tradit: *Quædam sunt, quæ nocere non possunt, nullámque vim, nisi beneficam, & salutarem habent, ut Dij immortales, qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura enim illis mitis, & placida est, tam longè remota ab aliena injuria, quàm à sua.*

Malum culpæ posse esse causam timoris negat absolutè Aristoteles 2. Rhet. cap. 5. inquiens. *Non enim cuncta timemus mala, ut si erit injustus, tardus &c.* placet magis aliorum discretio, qui tenent, quòd licèt malum culpæ non sit causa timoris secundùm nudam rationem utilitatis, voluptatis, aut voluntarietatis; neque etiam secundùm præcisam rationem malitiæ: verùm absolutè loquendo, omnibúsque pensatis malum culpæ formaliter tale potest esse objectum timoris. Ratio primi est, quia culpa secundùm rationem utilitatis, voluptatis, aut voluntarietatis non proponitur ut positivè mala, & hæ proprietates reperiri possunt in re undequaque bona, cùm tamen objectum timoris debeat esse magnum malum futurum, difficulter evitabile. Ob hoc ipsum etiam culpa secundùm nudam rationem malitiæ, transgressionísque legis, tametsi concipiatur ut ingens malum, si tamen præscindat ab ar-

duitate

duitate cavendi, non replebit animam timore, cùm ratio nuda malitiæ reperiri possit etiam in re, quæ facilè potest eludi, ut primi parentes facilè potuissent manum temperare à fructu prohibito. Restat tamen ultimus titulus, ut cum Augustino lib. de Doct. Christiana. c. 2. dicere possim: *Illud potiùs time, quod sine nobis non erit, quid? peccare; peccare time.* Ideo enim malum culpæ non posset inducere timorem, quia non est malum terribile, & hoc ideo, quia non provenit ab extrinseco, sed ab intrinseco, cùm ex propria natura sit voluntarium cujus character est esse à principio intrinseco; hoc tamen absolutè non evincit, malum culpæ non posse timorem procreare. Námque edic, cur res voluntaria potest contingere sufficientem arduitatem ad animandam spem juxta phrasim Apostoli ad Rom. 15. dicentis, *cùm in Hispaniam proficisci cæpero, spero, quòd præteriens videam vos*, quod utique erat liberum Apostolo; & cur ipsum voluntarium non etiam possit sufficientem complecti terribilitatem ad suscitandum timorem? quemadmodum igitur ut aliquid dicatur verè calidum, sufficit, quòd verè afficiatur calore, sive ille oriatur ex natura ignis, sive contra suam naturam, ut aqua: ita ut aliquid sit capax accelerandi metum, plùs non requiritur, quàm ut involvat magnum nocumentum, imminens, & superatu difficile, sive illud oriatur per se ab intrinseco, sive ab extrinseco. Atqui malum culpæ sæpè includit gravem malitiam, futuritionem, & arduitatem, ut patet ex omnibus illis criminibus, quæ ægrè admodum, & non nisi cum speciali auxilio Dei debellari possunt ratione fragilitatis, inveteratæ consuetudinis, vehementis tentationis, & aliarum circumstantiarum passim volitantium: ergo malum culpæ potest instigare ad timorem, licèt sit ab intrinseco.

Timentur etiam, qui possunt, & volunt nobis male facere, cujusmodi sunt potentes irati, & inimici; jam enim in periculo versamur. Magis tamen timentur, qui sunt astuti, & tardi ad iram, quàm qui sunt iræ præcipitis; nam iracundi produnt vultu, aliisque manifestis indiciis malum, cui, & quando imminet, adeóque prævideri facilè poterit, & sic opportunis remediis vel imminui, vel repelli. At astuti, & lentioris iræ non significant, cui, & quando calamitatem sint allaturi, utpote naturâ suâ occulti; hinc malum ab ipsis imminens accommodis præsidiis nec imminui, nec vinci potest. Solent etiam lenti, & astuti diutiùs retinere iram utpote indolis magis terreæ: præcipiti verò irâ feroces magis ignea constant naturâ, adeóque ira magis mobilis citiùs evanescet. Nec ira tantùm potentum, sed etiam ipse metus ipsorum metuendus est. Da enim principem sibi ab aliquo timere; facilè

 con-

cóntinget, ut, quod potest, velit, & alterum malefactis præveniat. Sollicitantur quoque timore, qui injuriam à nobis acceperunt, aut accepisse sibi videntur: item adversùm nos injuriosi, cùm periculum ingruat, ne par pari referatur. Incidit verò quæstio, utrùm fugiendi magìs sint, qui nos læserunt, aut quos læsimus? sensus communis hominum videtur judicare, passum injuriam esse magìs formidandum juxta illud:

Pulvere, qui lædit, scribit: sed marmore, læsus.

Sed Tacitus, & Aristoteles timendum magìs facit lædentem. Videtur controversia componi posse distinctione propensionis rationalis ab irrationali: prima, quæ ratiociniô & ingeniô abutitur videtur lædentes potissimùm stimulare, ut ampliùs affligant ad sui securitatem, quos semel læserunt. At irrationalis altera proclivitas, quæ sensuum apprehensione nititur, & homini cum brutis communis est, læsos vehementiùs exagitat, quia ille habet objectum sensibile, quo irritatur ad vindictam, quo alter caret. Præter causas hactenus allatas suppetit denique amor; priùs enim naturâ, quàm actum mali eliciamus, necesse est generari actum boni prosecutivum, qui sit ratio aversandi malum. Nam

Res est solliciti plena timoris amor.

§. IV.

Quinam magìs timori obnoxij?

Meticulosi magìs esse solent inprimis, qui omnia mala magna arbitrantur sive ob modicam experientiam, sive ob judicii imbecillitatem, cujusmodi præsertim sunt pueri, & mulieres ob ætatis, & sexus infirmitatem. Item, qui parum habent calidi sanguinis, & ob atræ bilis ubertatem enerves, omnique vigore extincto torpent. Ita suô calculô Aristoteles 2. de part. c. 4. *Timidiora sunt animalia, quibus sanguis dilutus nimiùm est; metus enim refrigerat. Atque ea, quibus ejusmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni sunt opportuniora: aqua enim frigore congelascit.* Præterea meticulosi sunt, qui oppressi jacent malorum exspectatione, quæ omnia existimant gravia, & intoleranda ob corruptum judicium. Quin etiam prudentes, quia justis momentis pericula æstimant, & prospiciunt, quo res devenire possit, ac plerumque reformidant, in quibus alii minùs oculati minorem trepidandi occasionem deprehendunt. Hinc accidit, ut noctam-

noctambulis periculosa sit solutio somni, quòd per somnum non æstimantes discrimina, liberrimi, & intrepidi incedant; somnô autem solutô, agnoscuntur præcipitia: unde metus, ac plerumque casus, aut exitium. Improbi quoque malè sibi semper conscii, & ab irato numine nihil sperantes opis, ac subsidii, facilè timore corripiuntur, præsertim noctu in tenebris, si soli sint, & nigrore permoti, dæmonum sibi species objiciant. Annotavit hoc etiam Tullius, *magna*, inquiens, *vis est conscientiæ, ut neque timeant, qui nihil commiserunt; & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverunt.* In senibus pleræque ex prædictis causis adunantur, ut adeò mirum non sit eos timore, & omnibus formidinis adjunctis, suspicione scilicet, diffidentia, pusillanimitate, & querimoniis abundare.

§. V.

Quos effectus invehat timor?

Symptomata eorum, qui timore corripiuntur, singularem promerentur considerationem. Et primò quidem, sicut spes dicitur lætitia lætitiæ prænuncia: ita timor, qui spei è diametro opponitur, est tristitia tristitiæ prævia, hoc est, prægustatio molestiarum, ac tædii, quæ malorum præsentia expromet. Unde illud D. Hieronymi in Malcho, O multò gravior exspectata, quàm illata mors. Confirmant hoc majus tormentum ex timore, quàm ex perpessione, qui opus præoccupaverunt: hi scilicet in navibus tempestate pressi, non exspectaverunt navis submersionem. Sed semet priùs interfecerunt: alii ab hostibus comprehensi, licèt manifestè scirent, se nihil gravius passuros, animam in auras effuderunt. Ob hanc ipsam etiam rationem sentit Philosophus sect. 5. probl. quæst. 25. cur longior esse via videatur, majúsque pariat fastidium, cùm quanta sit ignoramus. Timemus enim, ne major fortè sit, quàm sit re vera, quæ causa est, cur majori suppliciô afficiantur homines timendo, quàm angantur patiendo. Degenerat timor etiam facilè in odium, & in desperationem. Non amamus multùm, quod timemus; liber amor est, coactionem non patitur; nobilis est, violentiam non sustinet; quidquid amorem exterret, irritat, & omnem illius suavitatem in amaram iram, & aversionem convertet. Hinc oritur, nullum tyrannum posse veris gaudere amicis; cùm enim cogatur subditos pavidos reddere, nunquam sibi conciliabit amorem. Videns au-

tem talis infelicem ſtatûs ſui conditionem, ſucceſſivè contemnet amorem ſubditorum, nec multùm curabit odium illorum, modò terribilis evadat, & ſic crudelitatem induet. Sunt nihilominus quædam perſonæ, quas vereri tenemur, nec tamen poſſumus odio proſequi: ſublimitas illarum incitat ad reverentiam, & æquitas prohibet averſionem: majeſtas, quæ ipſas circumdat, advocat timorem, & tutela, quam nobis impendunt, obligat ad dilectionem. Et hæc duo præcipuè unit ſupremum numen, qui & conſternationem incutere poteſt iis, à quibus amatur, & amorem provocare ab iis, à quibus timetur. Convertitur etiam facilè in deſperationem, cùm pericula adeò atrocia depingat, ut ſpes generoſa ampliùs vigorem retinere non valeat. Sed ex omnibus timoris effectibus magìs periculoſus eſt torpor, qui ex eo procedit. Quamvis enim non polleat tanta activitate, ut alia vitia, & ex natura ſua langueat ad ſeditionem contra virtutem: nihilominus reus agitur omnium calamitatum, quas ipſa patitur, & videtur omnibus intervenire conſiliis, quæ in illius damnum conſpirant. Quia torpor abhorret à laboribus, ideo innocentiam non patitur, quæ ſine ſudore non conſervatur. Ille nutrit impudicitiam, & amor viribus deſtitueretur, niſi ab infami hac quiete vires acciperet: ille cohibet voluntatem, ne glorioſa moliatur facta, quibus homines illuſtres redduntur; ille corrumpit mores, producítque omnia vitia, quæ umbris occultantur, ad hoc autem vitium naturaliter inclinat timor atteſtante Scriptura Prov. 18. *pigrum deijcit timor.* Excuſat ſe formidoloſus ſua debilitate: credit omne exercitium vires illius ſuperare: difficultates ſomniat ad eximendum ſe ab omni laudabili occupatione, dicítque *piger, leo eſt in via, & leæna in itineribus: ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Ut iterum ſacer codex accuratè advertit Prov. 26. ſubinde tantopere creſcit mali timor, ut in inſaniam vertatur. Quis enim Artemonem è ſtultorum ſyllabo eximat, cùm legerit, eum præ metu, etiam cùm domi contineretur, clypeum æneum à duobus ſervis capiti ſuperimpoſitum ut haberet, ſemper curâſſe, ne quo fortè decidente gravi malè afficeretur? imò etiam minor animi conſternatio, quamvis animum minùs percellat, attamen, proportione ſervata, nocet etiam ipſe ſapientiæ juxta illud Ennij:

Pavor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat.

Ex ea verò ſapientiæ diſſipatione frequentiſſimè accidit, ut malum, quod exhorremus, & ſecluſo timore potuiſſet declinari, revera eveniat juxta illa Martialis:

Fran-

Frangere dum metuis, frangis chrystallina, peccant
Secura nimiùm, sollicitaq; manus.

Intendit quidem natura, ut hæc passio serviret prudentiæ, quæ sapienter prospiceret malis venturis: nihilominus ob perversum abusum, quæ deberet nos periculis liberare, magis sæpè nos ijsdem implicat: deberet quidem timor nos inducere, ut maturè deliberaremus de modo, & mediis ad nos defendendos ab inimicis nostris: & tamen ille animam nostram tanta subinde replet confusione, ut incapaces ad consultationes reddamur, & pericula adeò formidolosè apprehendamus, ut desertâ prudentiâ desperationi nos committamus.

Porro motus, quos corpori hic affectus imprimit, dicit talem vasorum contractionem, nervorum deliquium, viscerum, & omnium ferè membrorum defectionem, qualem victus irato, & implacabili hosti succumbens præferre solet. Et omnium primò quidem oritur spirituum, & sanguinis recursus ad partes interiores; nam passio proveniens ex apprehensione terribilis imminentis ea ratione commovet corpus, qua turbaret malum ipsum, si physicè illud afficeret: atqui malum corruptivum vitæ (ad cujus mali similitudinem apprehendit sensus omne aliud malum animalis sentientis) cùm adest, revocat sanguinem, & spiritus ab exterioribus ad interiora, ut constat ex moribundis, quibus frigent omnes exterioris corporis partes: ergo etiam affectus consequens ad imaginationem mali imminentis retrahet sanguinem, & spiritus ab exterioribus ad interiora. Unde sequitur tristis, & omnino pallida facies, ita tamen, ut hic pallor pro diversitate temperamenti in diversis diversùs sese offerat. In biliosis ad flavum, & viridem quemdam colorem accedet: in melancholicis plumbeus ad lividum declinabit: in aliis erit coloris in albidum lutei. Oculi turbantur ex defectu caloris, & humoris; cùm enim minùs tendantur tunicæ, quid mirum, si ad lucem reflectendam oculi minùs sint idonei, & minùs splendeant? imò res distinctè non vident, cum species laboranti retinæ difficiliùs imprimatur, & per corrugatas tunicas, ac minùs tersas radii lucis modificati minùs ordinatè in ultimam bassim proijciantur. Ex caloris abscessu sequitur frigus, tremórque in reliquo corpore, præsertim in manibus, genibus, voce, & labio inferiore. Sudor frigidus, quem magnus timor interdum exprimit, ex eadem fibrarum compressione ortum ducit, qua fit, ut per capillares arterias humor subtilior in carnes, & ex carnibus per poros foras erumpat. In summo timore, cùm inciditur vena, sanguis non effluit ob contractionem meatuum: emittitur autem sanguis post insolitum terrorem, ut, quod propter caloris defectum extra vasa com-

putruit, vel in vasis abiit in grumos, educatur. Pulsus timentis est parvus; cùm enim contrahantur arteriæ, sanguinis motus impeditur, & minùs emittitur; hinc minor pulsus, qui tamen est frequens, ut vel ipsa frequentia compenset parvitatem; nempe illa sanguinis portio, quæ in ventriculis cordis remanet, quamque major systoles motus extruderet, ad frequentem motum cor sollicitat. Vox raucescit, quia trahæa nimiùm corrugatur, imò quandoque vox omnis intercluditur; quia laryngis musculi spirituum præsidio destituuntur, vel immodicâ vicinarum partium compressione impediuntur. Observatum tamen fuit ad initium hujus passionis magnum edi clamorem, effectum scilicet audaciæ, & extremum conatum, quo se animal malo opponit. Arriguntur etiam capilli, quia cutis ex absentia spirituum, aut sanguinis riget, pori clauduntur, & radices pilorum compressæ non ampliùs jacent. Uterque hic postremus affectus exprimitur à Virgil. hoc versu:

Obstupui, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit.

aliquos præ timore obiisse, historiarum monumentis proditum est, valida nimirum contractione cor ipsum præfocante: item aliquos incanuisse. Sic Laurentius Sannutus Patritius Venetus cum classe à Gallis captus, involutúsque velis, ut mergeretur, dum longa mortis exspectatione cruciatur per horas quatuor, planè canus evasit; indeque solutus periculo, per reliquam vitam ita permansit.

DISSERTATIO XI.

De Ira.

§. I.

Investigatur natura iræ, ejusque differentia ab alijs passionibus.

HUjus passionis naturam aliter exponunt physicæ amatores, aliter Dialectici, ut habemus ex philosopho; de anima t. 16. physici definiunt iram, fervorem sanguinis circa cor, qui potiùs est effectus iræ; non enim ebullitio sanguinis est causa iræ, sed potiùs ira est causa effervescentiæ sanguinis circa cor. Altera Dialectica, in qua potiùs sistendum, ita ad mentem Aristotelis exprimi potest. Agitatio ex dolo-



Nunc face Supposita fervescit Sanguis, et ira.

M. I. Mildorfer del. Oenip. M. Bock sc.

dolore, & audacia coalescens, determinata ab actione aliena, nobis, aut nostris incommoda, & cum nostri contemptu conjuncta, incitans ad vindictam sumendam. Contra datam hanc definitionem urget non leviter, quòd irascamur sæpissimè adversùs inanimata, quæ certè neque nos contemnunt, neque injuriâ afficiunt. Ita iræ motus irrepit contra calamum, cum aut grossitudo illius, aut exilitas displicet; tontra scalpellum, cùm incidenda hebeti acie segniter exsecat; contra silicem, si fortè, nobis festinantibus, tardiùs scintilla emicuerit. Patet hoc maximè in cane, ex affectu iræ mordente lapidem adversùs ipsum projectum. Nec valet universaliter dicere cum Seneca, quòd nos offendant, qui talia fecerunt; nam plerumque nos ipsi sumus, à quibus res iram conciliantes sunt profectæ: nemo autem se ipsum despicere voluisse putatur. Quare meliùs asseritur, veram ulciscendi appetitionem, & quasi umbram retributionis intervenire, & quòd homo eodem modo se gerat, ac si retribuisset personæ sensûs, & rationis capaci, à qua se læsum existimat, vel à qua censet incommodum, vel actionis impedimentum emanâsse. Fatendum tamen, cùm ineptissimus, & valde ridiculus sit hujusmodi affectus, ac talis, de quo meritò erubescere debeat, qui ita operatur, nec quidquam respondere possit, interroganti, quid mali fecit? cùm hoc ita se habeat, fatendum, inquam, est, cognitionem directivam talis indignationis esse valde distortam, atque omnino dissonantem naturæ rei, circa quam versatur. Apprehendit nimirum rem inanimatam ad modum animatæ,& sentientis, atque illudentis domino suo cum contemptu, nec aliter, quàm pueri, qui si ceciderunt, terram verberari volunt tanquam læsionis ream. Ex ineptitudine autem talis cognitionis præviæ, mirum non est, si oriatur adeò inepta passio.

Ex quibus colligitur, iram quodamodo participem esse reliquarum ferè omnium passionum tanquam effectum ex earum confluxu redundantem, ea ferè ratione, qua amor est principium, & radix omnium reliquorum pathematum. Namque necessarius est in primis ad iram influxus amoris, quatenus ira dicitur appetitus quidam specialis. Requiritur item affectus desiderii, quatenus ira anhelat satisfactionem tanquam lenimentum, quódque est bonum nondum habitum. Quia verò compensatio desideratur ab ira cum dolore; hinc opportet etiam aliquam intervenire tristitiam de malo præsenti, cujus deletio per vindictam inquiritur. Cùm autem nemo per affectum aliquem stimuletur ad aggredienda impossibilia, debebit iræ etiam prælucere spes aliqua ultionis, quod optimè insedit animo philosophi lib. 2. Rhet. cap. 2. unde si is, qui injuriam intulit valde excellat patientem, non orietur ira in ipso læso, sed solùm

lùm contriſtabitur ob abſentiam nimirum ſpei ad retributionem conſequendam. Porrò cùm omnis ſpes ex ſua natura uniatur cum aliqua delectatione, hic quoque affectus ad iram inducendam concurret juxta vulgare illud: *Ira multò dulcior melle diſtillante in pectoribus virorum gliſcit.* Idcirco etiam immoramur in cogitatione ulciſcendi, quæ imaginatio voluptatem ſimilem ei generat, quæ ſomniantibus accidit. Omnium tamen maximè paſſio odii, & audaciæ interveniet: odii quidem, quia in ſe involvit averſionem ab eo, de quo ultionem concupiſcit ſumere, ac proinde duplicem mali rationem ſibi ob oculos ponet. Averſabitur enim eum, à quo fuit contemptus, tanquam à malo ſuæ perſonæ, eidemque ſtudebit rependere malum, per quam illationem vindicta completur, quod eſt proprium odii. Participat etiam multum de audacia, non ſolùm quòd utriusque objectum ſpiret aliquam arduitatem, cùm circa levia, & facilia non procreetur ira ad mentem Ariſtotelis eodem loco, ſed etiam quòd ira attendat malum ſibi illatum per operationem propriam vel phyſicè, vel moraliter repellendum. Quare oportet ut iram antecedat affectus audaciæ parvipendens malum terribile. Quomodo enim fieri poterit, ut iraſcatur, qui lædentem formidat? quomodo ſubſidente animo per tremorem fieri poterit, ut erigatur idem ad reponendam offenſionem?

Ut tamen natura iræ accuratiùs conſtet, obſervo diſcrimen inter odium & iram. Odium excitari poteſt citra ullam actionem injurioſam, & moleſtam; dùm ſæpe antipathia, aut alterius generis odium adversùs inviſum hominem concipiatur, qui nunquam læſit, & tamen hujusmodi ſit, ut eum averſemur, & longiſſimè ſejuncti ab illo eſſe velimus: ſecùs de ira eſt diſcurrendum. Secundò odium exurgere poteſt adversùs communitatem integram, imò adversùs integrum hominum genus, quale fuit Simonis Miſanthropi: non verò ira, ut obſervat Philoſophus 2. Rhet. cap. 2. contingit tamen ſubinde, ut quando quis læſus fuerit ab aliquo certæ nationis, aut ordinis, contra reliquos ejusdem claſſis non ſolùm odiô inſurgat, verùm etiam irâ impellatur. At ſtudium iſtud vindictæ in quemlibet occurrentem ex eodem ordine plerumque ſolùm durat ab initio, quando recens eſt injuria, tunc enim conjunctio, & ſatietas cum lædente ſat eſſe videtur ad explendam vindictam: elapsô verò temporis ſpatiô ira non niſi in offendentem deſæviet, & nudum odium perſeverabit contra ſingulos ejusdem ordinis. At cur odium pertinaciùs adhæret, quàm ira? aio, quia ex malo perſeverante, ſcilicet ex merito velut inhærente qualitate ipſi inimica, non verò ex actione, quæ fluat, & abeat, proficiſcitur. Tertiò odium eò usque incremen-

men-

mentum sumit, ut impellat ad interitum inimico volendum: ita verò urget ad damnum ejusmodi inferendum, ut ægrimoniam, & tristitiam lædenti inferat, ut sentiat calamitatem, ut noscat, quis malum intulerit, ut apud Homerum Ulysses Polyphemo enarrat, quis eum excæcaverit. Scilicet eò ex natura sua tendit, ut contristet læsum eúmque pænitentia subeat, quòd primus offenderit. Quartò, ira cum amore componitur, non tamen potest odium cum amore consistere. Ita Augustinus humil. 5. ex 50. inter iram, & odium, ait: *Vultus videre, quantum intersit? sæpè invenimus irasci patrem filio; patrem odisse filium difficilè invenies. Filio, quem diligit, irasci potest pater. Irascitur, & amat, potest dici: odit, & amat, non potest dici.* Desiderium etiam universè acceptum aliquatenus ab ira secerni, ambigi non potest. Nam ira est affectus efficax, cujusmodi non est semper desiderium. Ita item prærequirit dolorem, quatenus ejus objectum est malum compensans tristitiam irrogatam; desiderium verò ad dolorem nullam dicit habitudinem. Si tamen inspiciamus id, quod ira directè dicit, fateor, iram esse desiderium quoddam, cum dicatur esse appetitus vindictæ de offendente sumendæ. Neque tamen omnis, qui appetit inferri alteri vindictam, dicendus est irasci, cùm interdum solùm attendat ad communitatis incolumitatem, & improbitatis exilium per cohibitionem facinorosorum, quæ vindicta non est propria redintegratio contemptûs, atque adeò neque ira: sed cum vindicta suscipitur ad retribuendam mæstitiam, vindicanti ingeneratam, tunc talis propriè irasci dicitur.

§. II.

Elucidantur causæ iræ.

CAusas iræ omnes revocandas esse ad injuriam, seu contemptum, tanquam ad causam remotam communis fert sententia; quia licèt tres sint veluti partes contemptûs propriè dicti, despectus, detractio, & contumelia: quælibet tamen injuria ad iram concitat, tametsi nulla sit, quæ generosum animum magis fodicet, stimulétque, quàm injuria damnosa. Nempe in qualibet damni irrogatione potest agnosci, quædam materialis, & interpretativa despicientia, quantùm est ex vi actionis, qua damnum infertur, licèt ille, qui lædit suum præcipuè commodum intendat, & fortè libentiùs quæsiturus, si absque læsione alterius id fieri

possset. Quòd si tamen nocumentum injustè inferatur ex intentione nocendi, & absque alio emolumento offendentis, ut cùm quis cùm Samsone alterius segetes comburit, in hujusmodi casu intenditur directè depressio, & contemptus patientis, atque in ejusmodi parvi pensione constituit bonum, & voluptatem suam, qui lædit, non facturus idem, nisi displiceret, & alteri minor æstimatio conciliaretur. Hinc accidit, ut magis excandescamus adversùs despectum directum, & quos ex industria putamus nocuisse, quàm ubi ex ignorantia, vel ex ira, aut alia passione injuriam exortam esse suspicamur: magis displicet, quòd coram, quàm quòd clam, & in absentia molestiæ ansam præbet. Itaque causa remota iræ est læsio injusta, quatenus hæc in se involvit injustam parvipensionem, ita ut magnitudo commotionis ad iram commensuretur non tam magnitudine nocumenti injusti, quàm magnitudine parvipensionis, cujus patiens non est dignus. Quamvis autem animalia bruta honorem formaliter apprehendere non possint, nec etiam jacturam honoris: nihilominus excellere appetunt, & ægrè ferunt, quòd indignè dejiciantur ab excellentiæ gradu, qui ipsis conveniens apparet, ut docet Angelicus 1. 2. quæst. 47. art. 2. ad 2. Sed restat difficultas, quomodo bruta sine ullo discursu appetant vindictam, quæ à D. Thoma non exsplicatur. Dici poterit, eò ipso, quod canis mordeatur ab alio, vel ab homine percutiatur, deprehendere alterum canem, aut hominem, ut malum, & contrarium sibi, idcòque insurgere in illum ut sibi inimicum, sicut ursus sine ulla prævia læsione insurgit in hominem, quem ut inimicum sibi apprehendit, & canis in cattum, & sic in aliis animantibus sibi invicem infestis sine ulla discursus apparentia. Erit tamen affectus iste proprius vindictæ, cùm sit appetitus nocendi alteri, eò quòd sibi nocuerit, nec oportet intervenire aliam comparationem inter quantitatem mali accepti, & pœnæ infligendæ. Provocat autem magis ad iram amicus contemnens, quàm inimicus, tametsi offensio sit æqualis juxta illud Psal. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.* Causa est in aprico; nam eò major est injuria quævis, quò magis contradicit debito: major autem incumbit obligatio amico ad colendum amicum, quàm aliis, cæteris paribus: unde eadem depressio magis exprimet iram adversùs amicum ejus authorem, quàm adversùs extraneum. Hinc etiam sola amicorum, & consanguineorum oblivio censetur offensiva, quatenus oppositam eorum memoriam censemus debitam. Præterquam quòd eadem oblivio specialiter denotet contemptum, quem plerumque comitari solet, cùm difficulter memoriâ excidant, quæ magni facimus. Similiter hilaris exultatio in infortuniis

pro-

propriis, aut prompta denuntiatio eventûs improſperi paſſionem iræ adducit, quia nihil horum fieri ſolet circa illos, quos plurimùm magnifacimus.

Opportet autem ad concipiendam iram, ut offenſionis morſus videatur vindicabilis ab ipſo patiente. Finge enim, vindictam, ſeu retorſionem deſpicientiæ apprehendi ut impoſſibilem; certè non emerget ira, ſed affectus triſtitiæ, cùm nemo expetat, quod vires ſuas ſuperat. Vult etiam ira ultionem procurandam ab ipſo irato, & læſo; non verò ab alio. Fertur enim ira ad hoc, ut reſarciat exceſſum deprimentis ſupra depreſſum, ita ut magnitudo compenſationis commenſuretur ex æquo magnitudini deſpicientiæ; aliàs non apparebit obtenta reparatio, neque videbitur detruſus emergere ſufficienter à vilitate contracta, quidquid aliunde accidat ad diminuendam lædentis æſtimationem. Quamdiu enim non imminuitur excellentia ab illo ipſo, quem vilipendit, & ſicut vilipendit, tam diu nihilominus alter manebit ſuperior in hujus comparatione. Sed amabo, inquiet aliquis, cur ad vindictam adeò anhelat iratus, cùm hac via malum præſens, quod actu patitur, amoliri nequeat? quid intendit, dum adeo ad ultionem pergit? ut dubio huic ſatisfaciamus, ſtatuendum, quòd ira in malum præteritum, quale in ſe ipſo eſt, directè non tendat, ſed in illud feratur, quod ex illius energia, & noxia efficacitate etiamnum ſupereſt. Cùm aut ex contemptu, licèt præterito pars potiſſima perſeveret, & malum merè morale ſit, ac in opinione, & fama poſitum, ac proinde perſtans moraliter, poſtquam etiam phyſicè præteriit, inde eſt, quòd præ cæteris aliis malis, illud quod adverſatur honori, & exiſtimationi, ſcilicet contemptus ipſe, tolli, & reparari poſſit vindicta: qua de contemptore ſumpta perinde moraliter ſit, ac ſi nunquam deſpectum ille exercuiſſet. Et hæc quidem de cauſa remota iræ; proxima enim ſtatuitur dolor ex deſpicientia conceptus. Ubi nolo intelligi cauſalitatem phyſicam in genere cauſæ efficientis; ſed intrinſecam, ita ut ira aliud non ſit, quàm dolor, & deſiderium vindictæ, ſive illi ſint duo actus realiter diſtincti, ſive unus realiter æquivalens duobus.

§. III.

De propenſis ad iracundiam.

IN quadruplici differentia proclives ad iracundiam ſtatuo. Vel enim pri-

primò effervefcunt ex natura, & temperamento? & hoc ex eo contingit, quòd affiduè doleant interno, & minuto quodam dolore. Vel tanguntur irâ ob mutatum, & malè affectum corporis habitum? & causa iterum non difcrepabit à priori. Suppono namque, ut manifeftiffimum eft, homines certis diei horis, certis animi menfibus, certa aëris, & cœli temperie, certa etiam vitæ ætate, cùm ægrotant, cùm efuriunt, promptiores effe ad excandefcendum. Horum quidem poftremorum propenfio ad irafcendum paffim refunditur in bilem à fanguine fecretam, nec obrutam, aut dilutam ingeftis ciborum humoribus, aut vaporibus, quod quidem ita fe habet; fed præterea patentiori adhuc caufæ effectus ille eft adfcribendus, nempe dolori copiam, ex cujus impreffione famelici ad irafcendum provocantur. Hi enim jam ex fenfu doloris à fame procreari, quo tenuiffimæ ventriculi fibræ irritantur, ad triftem inftigantur impatientiam. Hinc de novo irruente vel tenuiffima læfione iram illico parturiunt, & egerunt, quæ fuavis, & melle dulcior, ac proinde dolorem priftinum fedare poteft, & priori moleftiæ mederi. Quod hîc de famis, & fitis doloribus edicimus, id ipfum ftatuendum eft de fingulis, qui ob mutatum corporis habitum malè afficiuntur. Quo etiam ex capite, qui laffi funt corpore facilè fuccenfent, juxta vetus dictum: à laffo rixam quæri. Ideo quibus ftomachus fufpectus eft, proceffuri ad res agendas majoris momenti, bilem cibô temperant. Quòd fi corporis ftatus fit ritè conftitutus, animus verò cæteris paffionibus indulgeat, iterum facilè iracundia pedem figet. Sic qui fub triftitiæ jugo gemit, facilè fuccenfet: nec non ille, qui cupiditate aliqua agitur, cùm omnis cupiditas dolore permixta fit. Quare etiam mora juxta Plautum *bilem in nafum concit*. Prout etiam difcurrendum de follicitudine in rebus amiffis quærendis. Denique ad iracundorum claffem referuntur, qui ex vitiofa animæ rationalis indole facilè inflammantur. Hinc ad hanc paffionem promptiores cenfentur viri principes, divites, eloquentes &c: quippe cùm fe admirentur, & magnifaciant, nifi fumma veneratio ipfis exhibeatur, neglectos fe reputant, ac inde ocyùs dolent, dolorémque recens incuffum laborant per iram fugare. Ea de caufa, qui eximiè excellunt, aut fibi videntur excellere in aliqua difciplina, frequenter exafperantur; præfertim fi putent, fe ex doctrina, & præftantia fua eum non capere fructum, & emolumentum ex hominum incuria, vel injuria, quod fibi deberi pro certiffimo præfumunt. Propondent etiam in hunc affectum, qui feverioribus difciplinis operam navant. Effectus refertur eò, quòd puriffimos fpiritus confumant, & ùt plurimùm atrum fibi fanguinem procreent, unde enafcitur

tur

tur ſtomachoſitas, & facilis in iram prolapſio. Quòd autem melancholici citò in iram prorumpant, reijcitur in id, quia teter humor abundans infigit in iis, augétque cogitationem, ac ſenſum deſpicientiæ, & alioqui diſpellit humorem hilaritati accommodatum, ſpiritúsque exſugit; unde obnubilatio animi, & conſequenter acrior ille morſus, ex deſpicientia, hujúsque amplificatio. Quia verò iracundi à philoſopho alii dicuntur acuti, alii amari, & alii difficiles, ideo de his quoque pauca ſunt audienda. Iracundi acuti vocantur ex abundantia humoris cholerici, qui, utpote naturâ ſuâ igneus, facit, ut facilè, ac citiſſimè inflammentur, quamvis modico iterum temporis intervallo eadem mitigetur. Amarulenti ſunt, qui exulcerantur lentè, ſed difficiliùs placantur ob inhærentem animo pertinaciter offenſionis memoriam, longóque tempore affectum illum occultant, quouſque tempus opportunum vindictæ ſuperveniat. Adſcribitur hoc prædominio complexionis terreæ, quæ non admittit mobilitatem vagam ſpirituum vitalium, nec inducit tranſpirationem copioſam, adeóque ſpecies impreſſæ longiori tempore poſſunt in ſuo vigore præteritam vilipenſionem conſervare. Ira demum difficilis ex intenſione magna ita dicitur, quòd triſtitia ex offenſa illata non deponatur, niſi dolor ultionis voluptate placetur, quæ & proprio ſubjecto, & aliis impensè eſt moleſta.

§. IV.

An aſsignanda ſit paſsio iræ contraria?

OMnes reliqui affectus oppoſitum ſibi habent, amor quidem odium; deſiderium fugam; delectatio triſtitiam; ſpes deſperationem; audacia metum: an autem iræ ſuus ſit adverſarius, an verò lenitas, placabilitas, manſuetudo ſint pura iræ privatio, paucis hîc diſputabitur. Perſtandum eſſe videtur in ſententia D. Aquinatis, negandúmque, ullam eſſe paſſionem iræ adverſantem. Vel enim vacuitas iræ, ſive manſuetudo ſumitur negativè pro carentia omnimoda affectus iræ, vel poſitivè pro actu iræ remiſſo, vel languido? ſi primum: patet manifeſtè, nullum eſſe affectum iræ oppoſitum, ſiquidem ea ceſſatio, & quies ab impetu iræ non eſt affectus poſitivus, qui poſſit iræ contrarius ſtatui, ſed eſt tantùm negatio affectûs poſitivi. Si placeat ſecundum, & lenitatis nomine tibi tantùm veniat ira, quæ non pertingat ad debitam menſuram: ſic paſſio illa non differt ab ira, neque erit verè ei oppoſita, ſed

tantùm ſecernetur ab ea penes intenſionem, & remiſſionem, quod diſcrimen non continet oppoſitionem, ſicut furor, & ira non opponuntur, quamvis furor ſit aliquid inflamatius, & turbidius. Videtur quidem aſſertio prima fronte oppoſita eſſe Ariſtoteli 2. Ethic. cap. 7. *circa iram, exceſſus, & defectus, & mediocritas quoque eſt: ſed cùm nominibus ferè careant: medium manſuetum, mediocritatem manſuetudinem vocabimus. Ex extremis verò, ille qui excedit iracundus ſit, & vitium iracundia: qui deficit ira vacuus, & defectus ira, vacuitas appelletur.* Similia ingerit 4. Ethic. c. 5. ubi addit nomen extremi oppoſiti iræ tributum eſſe virtuti inter utrumque mediæ, nomine alioqui deſtitutæ, quòd ea virtus magis accedat ad extremum ſibi oppoſitum per defectum, quàm ad iram oppoſitam per exceſſum. At ex his tantùm evincitur, Philoſophum admiſiſſe vitium aliquod circa nimiam placabilitatem, oppoſitum mediocritati manſuetudinis, & adverſans iracundiæ per exceſſum cum manſuetudine pugnanti. tametſi autem nullus ponatur in voluntate actus poſitivus circa omiſſionem iræ, mera tamen ejus carentia interpretativè volita, vitio vertitur, cùm certos denique fines excedit. Non affirmo, eam carentiam effecturam habitum vitii poſitivum, quod per meram ceſſationem contingere non poteſt: tantùm cenſeo, eam quietem, cùm iraſci oporteret, eſſe culpabilem, & hoc tantùm intendiſſe Ariſtotelem.

§. V.

Quàm horridiſsimos ſecum trahat effectus hæc paſsio?

QUemadmodum fabulæ, per medicamentorum quandam potionem in brutorum animalium ſpecies naturam transmutari fingunt: ita virum repentè videre licebit aprum, canem, aut pantheram, aut aliam quampiam ſimilium ferarum ab ira factum eſſe. Et interiùs quidem tranquilitatem mentis ita dilaniat, ut ſibimet non congruat, ut deperdatur ſapientia, ut quid, quóve ordine agendum neſciatur, ſicut ſcriptum eſt: *ira in ſinu ſtulti requieſcit*, quia nimirum intelligentiæ lumen ſubtrahit, cùm mentem permovendo confundit. Relinquitur juſtitia; quia dum perturbata mens judicium ſuæ rationis exaſperat, omne, quod furor ſuggerit, rectum putat. Amittitur gratia vitæ ſocialis, quia qui

ſe

se ex humana ratione non temperat, oportet, ut bestialiter solus vivat. Quod physicas affectiones attinet, motus cordis altus, magnus, frequens, & vehemens, tum ab impressa affectione, tum ab affusæ bilis aculeis, quo acri humore natura utitur, ad vellicandas organi fibras. Nec dictu adeò difficile est, quomodo educatur, aut affundatur. Quis enim nescit ex cystide fellis duci, & patere meatus, tum in duodenum, tum in jecoris cellulas eodem succo turgentes? quis nescit multos arteriarum surculos per duodenum, & cystim sparsos, qui cùm facilè imbui possint bilioso succo, hic facilè in reliquas arterias diffunditur. Idem de venis potiori jure dictum sit, utpote quorum officium est humorem sugere. Adde, si vis reliquam bilem sanguini admixtam, quæ fibras tali modo affectas altiùs subibit, ac penetrabit. Denique ex vehementi humorum agitatione, ac propter suam uliginem partes bilis colligentur, & mirum quantum fibras sollicitabunt ac vellicabunt. Analogiam habes in intestinis, quæ affusa bilis ad egestionem sollicitat, & ventriculum ad vomitum; imo summos aliquando dolores intestinis conciliat. Non nunquam tanta vis bilis per summum æstum congregatur, & in carnes effunditur, ut ictericus inde morbus contrahatur, & cutis toto corpore flavescat. Ex cordis motu sanguis, ac spiritus effunduntur ad exteriora: sed quia ira tristitiam habet adjunctam, sæpiùs eundem ad cor revocat, non ut ibi quiescat sicut in mærore; sed ut cum accensus in corde efferbuit ad exteriores partes regrediatur, quasi ad repulsionem mali, quò vindictæ appetitio illum evocat. Ex hoc undoso sanguinis motu oculorum venæ turgere, ac rubere incipiunt. Scintillant præterea tum ob affluxum copiosiorem spirituum, tum ob vapores, quos ebullientes humores ad illas partes emittunt: hi enim, cùm membranam magis distendunt hanc magis coadunant, poliunt, aptiorémq; ad refringendos incidentes solis radios efficiunt. Quia autem hic splendor spirituum se cum sanguinis rubedine ad oculare corpus delati permiscet, flammeus quidam rubor ibidem apparet, quod & Homerus advertit hoc versu:

Instar ei ardentis candebant lumina flammæ.

Turgent præterea, & suis sedibus exire volunt, quòd sanguinis influentis copia inflati urgeantur, quasi ad ampliùs spatium inquirendum. Non nihil tamen tristitiæ iratis oculis aspersum esse videtur, defectu scilicet cujusdam serenitatis, quam lætitia præferre solet in oculis. Quod si subinde lachrymari furore insanientes videamus, procreat illas lachrymas dolor ab injuria illata exortus, vel etiam indignatio ex eo enata, quòd desideratam de inimico vindictam à se sumi posse desperent. Quorum omnium manifestum signum præbent tum fæminæ, tum pueris, qui ubi

ubi irâ æſtuârint, in lachrymas ut plurimùm prorumpunt. Supercilia comprimuntur, & deprimuntur. In fronte congregatur ingens rugarum nubes. Labra craſſeſcunt, & ſpongioſa hæc ſubſtantia affuſo ſanguine turget; aliquantulum ſunt inverſa ob aliqualem convulſionem; hinc etiam tremor, niſi fortè iſte oriatur ex affuſa, & ſtomachum lancinante bile, cum labro inferiori magna cum ſtomacho ſympathia intercedat, quod probant ægroti, quorum labra tremula ſubſequentem vomitum certò indicant. Alii inferius labrum, aut digitum mordent. In furore retrahuntur labra, dentèsque denudantur, ut irati iſtis tanquam ſuis armis inimicum terreant, vel ut eos magis expeditos ad nocendum habeant. Lingua blæſa, ac tremula, quia fibræ bilis aculeis vellicatæ ordinatorum motuum minùs ſunt patientes, vel quia nimia quantitas ſanguinis eandem gravem reddit. Loquela ipſa præceps, ſubſultim exprompta, quòd motus ad linguam, & ad cerebrum pertingat, & ſicut ex nimio impetu cogitationes, ita & verba præcipitat. Vox producitur acuta, & vehemens ob corrugatas orangi ſibras, & aërem in pulmonibus contentum cum ſumma violentia ejectum. Reliqui corporis geſtus incompoſiti, nullus amicorum conſiliis, nullus majorum monitis, nullus parentum lachrymis locus. Inceſſus præces, venarum, & colli inflammatio. Brachia nunc huc, nunc illuc diſtorquentur, terram pedes quatiunt Inſurgit, inſilit, precutit, per tela, per ignes, in media ruit pericula, ut commodè Perſius Satyr. 3.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & irâ
Scintillant oculi, dicíſque, facíſque, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Et hæc in re vaſtiſſima ob temporis anguſtias ſufficiant, pro rei ſubtilitate non utique dignè tractata. Promerebimur etiam non mediocrem ſuggillationem eo ex capite, quòd morborum animi naturam, cauſas, & effectus oſtendere conati, interim generalia morborum alexipharmaca tradere omnino prætermiſerimus. Sed qui meminerit moralis philoſophi curam debere eſſe præcipuam, ut remedia ſuppeditet, quibus ad plenam animæ ſanitatem perveniatur, retruſa vehementia, quæ ſymmetriam illi neceſſariam peſſundat; me verò phyſiognomum agere, etiam hac in parte non difficulter veniam largietur.

FINIS.



Theſes ex univerſa Philoſophia.

Ex Logica.

1. Logica eſt virtus intellectualis, & ſcientia ſimpliciter practica.
2. Cum quo tamen ſtat eandem poſſe eſſe artem activam.
3. Ad omnem ſyllogiſmum ſcientificũ eadem eſt metaphyſicè neceſſaria.
4. Objectum Logicæ ſunt operationes mentis.
5. Objectum attributionis eſt ſola demonſtratio.
6. Ideæ Platonicæ, quocunque ſenſu accipiantur, non ſunt univerſale ſcientificum.
7. Neque conſtituitur univerſale per naturam, quæ à parte rei ſit communis pluribus per inexiſtentiam, 2. vel indifferentiam.
8. Aut quæ ſaltem in ſtatu poſſibilitatis pluribus ſit communis.
9. Neque conſiſtit in pluribus naturis, quæ ſint unum ſimilitudine.
10. Sed partialiter conſtituitur per intellectûs operationem.
11. Actus judicativus prædicans terminum genericum de ſpecifico, aut individuali conſtituit univerſale.
12. Differentia ſpecifica non bene deſumitur ex prædicato nobiliſſimo.
13. Sed aſſignanda eſt diſſimilitudo eſſentialis.
14. Relatio conſiſtit in ſola ratione fundandi completa.

Ex Phyſica Univerſali.

15. Eſſentia corporis naturalis non conſiſtit in actuali extenſione à Carteſio aſſerta.
16. Materia prima non ſunt atomi homogeneæ, nec elementa chymica, aut peripatetica.
17. Sed eſt ſubſtantia incompleta Ariſtotelis, ingenerabilis, & incorruptibilis.
18. Poteſt de abſoluta potentia Dei exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali; non poteſt omni ſpoliari naturaliter.
19. Non magis appetit formas nobiliores, quàm ignobiliores.
20. Bruta verè ſentiunt, adeóque datur in illis forma diſtincta à combinatione elementorum.
21. Qualis etiam admittenda eſt in plantis.
22. Plures formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ naturaliter ſtare nequeunt in eadem parte materiæ; poſſunt tamen per miraculum.
23. Non dantur formæ cadavericæ.
24. Nec formæ partiales, quæ communiter adſtrui ſolent.
25. Unio informativa conſiſtit in prioritate ſubjecti ad formam.
26. Poſſibilis eſt violentia phyſica ſine injuria.
27. Repugnat moraliter, ut per operationem humanam fiat verum aurũ.
28. Phyſicè contingere non poteſt mutua naturæ prioritas pro eodem inſtanti inter duas cauſas phyſicas.

29. Eadem tamen dari potest inter causas morales.
30. Actio productiva effectûs indifferentis est entitas modalis.
31. Realiter distinguitur à passione, 2. & recipitur in effectu.
32. Causa creata producit accidentia modalia, intentionalia, & absoluta.
33. Divinitus evenire potest, ut causa creata agat, ubi non est.
34. Accidentia nec ut causa adæquata, nec ut inadæquata influunt in productionem substantiæ.
35. Universalis panspermia non probatur.
36. Semina non vivunt.
37. Sola substantia immediatè producit primas qualitates ad intra.
38. Harum attemperatio est adæquatum principium qualitatum secundarum.
39. Ad productionem accidentium in subjecto extraneo concurrit etiam substantia.
40. Sola quantitas est subjectum sustentationis respectu accidentium communium.
41. Quæ naturaliter migrare non possunt de subjecto in subjectum.
42. In destructione compositi non fit resolutio usque ad materiam primã.
43. Intensio qualitatum fit per additionem gradûs ad gradum.
44. Qui sunt similes.
45. Simile non potest intendere sibi simile.
46. Elementa ante mixtionem in se agunt, & quidem secundùm eandem partem.
47. Non repugnat infinitum categorematicum multitudinis, 2. intensionis, 3. & extensionis.
48. Implicat creatura, quæ ratione suæ essentiæ sit perfectissima in omni genere.
49. Continuum componitur ex partibus actu distinctis, solùm formaliter divisibilibus in infinitum.
50. Unio continuativa non est modus specialis.

De Elementis.

51. Calor non consistit in agitatione partium ignearum, nec frigus in earum quiete.
52. Humiditas non componitur ex atomis sphæricis dissolutis, nec siccitas ex iisdem quiescentibus.
53. Humiditas, & siccitas non sunt qualitates activæ.
54. Aër ex natura sua est intensè frigidus.
55. Absolutè gravis, 2. Pollétque virtute elastica.
56. Præter aërem crassiorem admittenda est aura æthera.
57. Gravitas præter impetum innatum deorsum non dicit qualitatem distinctam.
58. Levitas non est præcisè negatio gravitatis.

59. Mo-

59. Motus localis consistit in successiva præsentia corporis mobilis in pluribus locis immediatis ad exigentiam principii intrinseci.
60. Rarefactio est major extensio, quæ fit per intrusionem corpusculorum.
61. Elementa gravidant in loco proprio.
62. Vacuum naturaliter dari non potest. 2. Metaphysicam illius impossibilitatem malè negavit Cartesius.
63. Solus aër est causa experimentorum, quæ aliàs in metum vacui refundi solent.
64. Elementa manent formaliter in mixtis.

De Anima.

65. Partes fluidæ, ut sanguis, lac &c. non informantur ab anima.
66. Animæ brutorum perfectorum sunt indivisibiles.
67. Non item animæ plantarum, aut brutorum imperfectorum.
68. In anima divisibili partes sunt homogeneæ.
69. Nec in corde, nec in hepate fit hæmatosis.
70. Per corpus animalis datur sanguinis circuitus.
71. In generatione animalium una non succedit alteri.
72. Malè dixit Cartesius sensationem meram esse passionem; cùm sit actio, qua experimentaliter percipitur objectum.
73. Ad sensus externos non pertingunt ullæ species intentionales.
74. Neque sensatio externa communicatur sensui interno per species.
75. Visio ocularis fit in retina. 2. Ex qua non emittuntur radij in objectũ.
76. Lumen non consistit in effluvio corpusculorum. 2. Nec in motu corporis luminosi impellentis ætherem.
77. Nulli colores.
78. Nec species visivæ distinguuntur à lumine modificato.
79. Sonus est impetus aëris diffusi usque ad membranam cochleæ auricularis.
80. Odor non est qualitas simplex. 2. Nec propagatur per species.
81. Objectum gustûs fit ex quantitate certa ratione modificata.
82. Qualitates tam organo intrinsecæ, quàm extrinsecæ sunt objectum tactûs.
83. Organum sensûs interni nec est cor, nec glandula pinealis, aut alia substantia cerebri, sed plexus retiformis.
84. Anima rationalis est indivisibilis in partes integrantes, & spiritualis.
85. Libera libertate indifferentiæ.
86. Cujus actibus non obest præscientia Divina.
87. Repugnat, ut causæ secundæ liberæ prædeterminentur ad actus liberos.
88. Neque respectu causarum necessariarum admittimus hujusmodi determinationem.
89. Prædeterminare ad actus malos non stat cum sanctitate Dei.
90. Immortalitas animæ rationalis demonstratione, etiam purè physica, evincitur.

91. Ani-

91. Animæ rationales non ſunt inæquales in perfectione ſubſtantiali.
92. Potentiæ inorganicæ identificantur cum anima.

De Mundo, & Cœlis.

93. Mundus potuit exiſtere ab æterno.
94. Poteſt demonſtratione phyſica everti motus terræ à Copernico aſſertus.
95. Materia cœlorum eſt ejusdem ſpeciei cum materia corporum ſublunarium.
96. Forma eorum eſt mixtum ex noſtris elementis.
97. Sunt ab intrinſeco corruptibiles.
98. Non ſolidi, ſed liquidi.
99. Moventur ab intelligentiis.

Ex Metaphyſica.

100. Signa infallibilia diſtinctionis realis ſunt ſeparabilitas duorum quoad locum, vel tempus, & vera oppoſitio producentis ad productum.
101. Gradus metaphyſici ejusdem entis non diſtinguuntur inter ſe ſtrictè realiter.
102. Non eſt admittenda inter gradus ejusdem entis creati diſtinctio formalis ex natura rei.
103. Nec diſtinctio virtualis intrinſeca, ſive Major.
104. Nec extrinſeca, ſeu minor; ſed purè diſtinguuntur ejusmodi gradus diſtinctione formali rationis rationatæ.
105. Exiſtentia cauſæ primæ demonſtratur argumentis moralibus & phyſicis.
106. Permiſſo etiam aliquo proceſſu in infinitum.
107. Concurſus Dei immediatus in omnes effectus non poteſt committi alteri enti ſupplenti illius vices.
108. Sola cauſa prima determinat ſecundas ad individuationem.

O. A. M. D. G.



- Antiporta a doppia pag.
- 11 tav. f. t.

D.fr. [ ]^4, A–Z, Aa–LL^4, M^2

double-page frontispiece & 11 plates